.s of
. le by
FOOTE, M. D.,
.lmont Ave.,
lelphia, Penna.

23 A 621

D. CHRISTIANI GOTTLIEB LVDWIG

ORD. MED. IN ACAD. LIPS.

DECANI

INSTITVTIONES CHIRVRGIAE PRAELECTIONIBVS ACADEMICIS ACCOMMODATAE.



LIPSIAE,

IN OFFIC. LIBRAR. GLEDITSCHIANA

MDCCLXIV.

9864

COMMILITONIBVS
HVMANISSIMIS
S.

Cum in inſtitutionibus variarum medicinae partium edendis huc vsque occupatus fuerim, anno demum ſuperiore ad chirurgiam acceſſi. Hanc arduam doctrinam olim in PLATNERI ſcholis acceperam, et quo magis colerem, HARTRAMFTIUM noſtrum, medicum et chirurgum experientiſſimum mihique ſemper coniunctiſſimum, aliosque chirurgos artis exercitio illuſtres ſequutus fueram. Cum itaque poſt obitum eumque praematurum praeſtan-

tiſſimi PLATNERI ad chirurgiam docendam ipſe me accingerem, eandem ad ductum inſtitutionum ab eo editarum aliquoties tradidi. Anno quinquageſimo octauo, poſtquam inſtitutiones medicinae clinicae edideram, cum in explicanda chirurgia pergerem, inſtructus opportuna occaſione, quam triſte bellum nobis offerebat, aliquam conuenientiam doctrinae in coniunctis his medicinae partibus tradendis acquirere anniſus ſum, ideoque aphoriſmos chirurgicos ipſe elaboraui, quos in ſchedis manuſcriptis vobiscum communicaui. In his conſcribendis eo potiſſimum reſpexeram, vt doctrinarum ordinem non tantum inſtitutionibus medicinae vniuerſae, ſed clinicis potiſſimum accommodarem, vniuerſales vbique praemitterem et particulares ita ſubiungerem, vt ea, quae de ratione internis morbis medendi expoſueram, cum externis nunc declarandis melius conferri poſſent, porro varia ex monitis et inuentis recentiorum chirurgorum adderem, et, quae interea ipſe obſeruaueram, paſſim adſpergerem.

Ab eo tempore hos aphoriſmos aliquoties explicaui, nonnulla adieci, alia correxi et mutaui, indeque factum eſt, vt libelli ſcripti, qui in Veſtris manibus erant, rebus proponendis non ſemper reſponderent; quae quidem a nonnullis notata, ab aliis vero neglecta, correctio, quoniam me in enarrando et explicando haud

haud raro turbabat, de chirurgiae quoque inſtitutionibus prelo ſubmittendis cogitaui.

Equidem diu dubitaui, an hunc laborem ſuſciperem. Me non latebat, eum, qui hanc medicinae partem declarandam ſibi ſumeret, non tantum rerum eo pertinentium cognitionem hiſtoricam habere, ſed ipſo artis vſu exercitatum eſſe debere; nunquam tamen ad operationes chirurgicas ſuſcipiendas me ſatis exercitatum iudicaui. Cum autem in medicina facienda chirurgiae quoque medicae crebra ſe mihi obtuliſſet occaſio, et interea variis ſaepe et arduis operationibus praeſtantiſſimorum chirurgorum adſtitiſſem, eosque conſilio meo ſuſtinuiſſem; cum et rationem medendi variam, et euentus operationum felices et minus proſperos ſaepius obſeruaſſem, et in cauſſas morborum et ſymptomata concurrentia ſedulo inquiſiuiſſem, ſatis me confirmatum ſenſi ad opus ipſum in commodum Veſtrum exſequendum.

Quoniam vero multa in inſtitutionibus clinicis propoſita per chirurgiam magis explicanda, alia prorſus neglecta nunc demum accuratius exponenda eſſent, eundem mihi, quem in priori libro elegeram, ordinem praeſcripſi. Vniuerſales nimirum doctrinas de inflammatione, tumoribus, vulneribus, vlceribus et oſſium morbis, in prima parte, in altera vero par-

ticulares corporis laeſiones et morbos, ex prioribus diiudicandos, tractationibus ſingularibus, ad ſeriem partium corporis humani diſpoſitis, conſideraui, et vbique nexum et ſummam doctrinarum ita concinnaui, vt repetitio a Vobis accuratius inſtitui, et, ſi inpoſterum aliquid addi deberet, ſuis locis inſeri, et in augmentum cognitionis Veſtrae conuerti poſſet.

In iis vero doctrinis, quae ad chirurgiam medicam ſpectant, ſtudioſe id egi, vt initia morborum accurate perpenderentur, iisque ita occurreretur, vt operationes chirurgicae grauiores et dubii ſaepe euentus, quantum fieri poſſet, euitarentur. Quamquam enim multi ex Vobis ad exercitium artis, in manuali chirurgia praeſtandum, non accedunt, attamen cum in praxi clinica iis ſaepe morbis mederi debeant, in quibus ad operationem chirurgicam deueniendum eſt, ideo bene inſtruendi ſunt, quo ſuo officio ſatisfaciant. Qua in re efficienda eas quoque attendere oportet mutationes, quibus obortis, medicamenta interne data et externe applicata non ſufficiunt, ſed ad ſcalpelli et aliorum ferramentorum auxilium progrediendum eſt. Cum etiam haud raro medicis adiungantur chirurgi, aut minus periti, aut, ſi in arte exercenda aliquid valent, vel timidi nimis, vel audaces: medici officium omnino eſt, ad normam pathologiae et therapiae genera-

neralis omnes morborum cauſſas, ſymptomata et euentus, bene perpendere, et indicationem medicam ita dirigere, vt etiam contraindicantium ratio expendatur, quae non ex chirurgia manuali et ipſa operationis methodo, ſed ex chirurgia medica potius reliquisque doctrinis, quae eam dirigunt, repetenda ſunt.

Quam ob rem nec ea neglexi, quae ad operationes varias chirurgicas ſpectant, ſed de iis ſuo loco dixi. Et primo quidem ex principiis artis rationem adminiſtrationis chirurgicae, quae variis ferramentis atque auxiliis fit, declaraui, quo finis, ob quem operatio inſtituenda eſt, vere attingatur. Ferramenta ipſa et faſcias in libello hoc vel certe non omnia, vel non pluribus verbis deſcribere potui, cum in praelectionibus noſtris melius oſtendi et explicari, quam paucis deſcribi queant. Quo vero haec ipſa explicatio melius animis inhaereat, et Vos ea, quae monuimus, melius repetere poſſitis, ſtrictim ac ſtudioſe ea, quae potiſſimum in fabrica anatomica partium, dexteritate chirurgi, et encheireſi in operatione praeſtanda, in ferramentorum conſtructione et applicatione obſeruanda ſunt, annotaui.

Vti vero puto, me ſuccincta explicatione rerum ad chirurgiam pertinentium Vobis ſatisfeciſſe, et ad hanc normam doctrinas tradere

poſſe,

poſſe, ſic medici et chirurgi in arte hac exercitati forte condonabunt, ſi iis non vbique ſatisfecerim, vel in vna alteraue parte errauerim. Monita eorum mihi ſemper grata erunt: nam cum in diſciplinis medicis tradendis inuenta recentiorum ſcriptorum ſemper colligam et accurate diiudicem, ac, ſi probanda ſint, libenter amplectar, etiam in tradenda chirurgia haec vbique addam, et in perficiendis his inſtitutionibus ſemper occupatus ero. Valete. Dabam Lipſiae Menſe Maio, 1764.

PROLEGOMENA.

§. 1.

Ea medicinae practicae pars, quae medicamenta et auxilia externa ,manu potiſſimum applicanda, in medela morborum adhibere docet, chirurgia appellatur (i. m. §. 97.).

Quae ad illuſtrandam hanc doctrinam ex antecedentibus repetimus, ea paragraphorum numeris poſitis indicauimus, addidimus autem *i. m.* quando ex inſtitutionibus noſtris vniuerſae medicinae, *m. c.* autem, quando ex inſtitutionibus medicinae clinicae quaedam loca conferenda ſunt.

§. 2.

Siſtit itaque chirurgia ſpeciales externis morbis medendi regulas, ex fundamentis therapiae generalis hauſtas et per experientiam confirmatas, quae non tantum medentem in curatione morborum interno-

rum, in praxi clinica iam expoſitorum, iuuant, ſed et in externis, nunc a nobis deſcribendis, morbis praecipue applicantur.

§. 3.

Supponit inſuper chirurgia cognitionem hominis ſani et aegroti, phyſiologiam ſcilicet et pathologiam omnesque diſciplinas, quae has illuſtrant, (m. c. §, 60) praecipue anatomen. (i. m. §. 64. ſeqq.) Ad normam enim corporis ſani laeſiones, in aegro occurrentes, optime diiudicantur, et, quae in hoc mutanda ſunt, perſpiciuntur, quo poſtmodum medendi methodus ad indicationes therapiae generalis diſponatur.

§. 4.

Indicata autem remedia partim ex medicamentis, in materia medica et pharmacia expoſitis, (i. m. §. 69. ſeq.) ſeliguntur, partim ex apparatu inſtrumentorum et faſciarum ad ſingulas operationes apto depromuntur, omnium vero vſus et applicatio ex eorundem indole et fabrica diiudicatur.

§. 5.

Cum igitur medicus chirurgus et medicamentis et variis inſtrumentis machinisque applicatis curationem morborum ſuſcipiat, chirurgia in medicam et manualem diſtingui ſolet, quae etiam interdum vt partes diſtinctae diſciplinae, quam nunc tractamus, conſiderantur. Cum autem nobis hanc tractationem non ad remediorum et operationum, ſed ad morborum differentias, eodem modo vt in inſtitutionibus praxeos clinicae, accommodare placuerit, vtramque chirurgiam omnino coniungere debuimus.

§. 6. Me-

§. 6.

Medicus chirurgus itaque eodem modo, vt clinicus, definitiones et differentias et proinde conſuetum morborum decurſum praemittit, porro in cauſas et ſymptomata inquirit, deinde ex his diagnoſin et prognoſin colligit, et tandem medendi rationem ad normam indicationum generaliorum dirigit.

§. 7.

In methodo medendi igitur vitalem indicationem primo attendit, cauſas morbum inducentes et augentes, ſi quae ſuperſunt, vel intercurrunt, remouet, ipſam labem partibus inductam corrigit, et interea, ſi opus eſt, ſymptomata vehementiora minuit (i, m. §. 91. ſeqq.).

§. 8.

In his omnibus diaetae rationem prae reliquis attendit, medicamentorum vires ex natura eorundem diiudicat, et per experientiam confirmata ſeligit, eaque caute applicat et effectus obſeruat, tandem etiam, vel manu tantum exercitata, vel eadem variis inſtrumentis inſtructa, ad corrigendas externas corporis laeſiones ſe accingit.

§. 9.

In noſtra quidem medendi ratione alia medicis, alia chirurgis relicta ſunt; §. 5. medicus tamen in medela, morbis externis adhibenda, licet ipſe exercitium artis, quatenus manu perficitur, ſibi proprium non reddiderit, theoriam vt acquirat neceſſe eſt, quo chirurgo, manualem operationem exercenti, ſi requiratur, auxilio et conſilio adeſſe poſſit.

§. 10.

Chirurgus autem, niſi ipſe medica eruditione inſtructus ſit, a medico iudicium de natura morbi

eiusque mutationibus ſibi expetat, et ita praecipue virium vitae rationem ex ſignis internis diiudicandam et efficaciam medicamentorum adhibendorum percipiat. Ipſe etiam in medicamentorum ſimplicium ſelectum et bonitatem ſtudioſe inquirat, nec non pharmaceuticam praeparatorum et compoſitorum rationem intelligat, et, ſi opus eſt, praeparationem ipſe ſuſcipiat, inſtrumenta, et generalia et ſingulis operationibus apta, vna cum faſciarum apparatu bene diſpoſita habeat et ita ſemper ad exercitium artis paratus ſit.

§. 11.

Quae de artis chirurgicae hiſtoria et dignitate, nec non de requiſitis boni chirurgi in his prolegomenis proponi poſſent, breuitatis ſtudioſi lubenter omittimus, cum vix ſuccincte explicari queant; ſuis tamen locis paſſim nonnulla, quae has res concernunt, inſerenda erunt; de ordine autem tractandorum pauca praemittere doctrinae ratio poſtulat.

§. 12.

Elegimus omnino ordinem, quem in tractatione medicinae clinicae ſequuti fuimus, et morbos vniuerſales ideo praemittimus, quo generale chirurgiae ſyſtema exhibeamus, quod tractationem morborum particularium facilem et expeditam reddet. Morbi vero particulares exempla exhibent, quae ad praxin indiuidualem accuratiorem ducunt.

§. 13.

Ad vniuerſales morbos chirurgicos pertinent tumores inflammatorii et alii frigidi dicti, vulnera et vlcera, quibus in oſſium morbis praecipue fractura et luxatio addi poſſunt. In his vero explicandis thera-

therapiae generalis fundamentis preſſe inhaeremus, ne empirica tantum, ſed rationalis quoque chirurgia tradatur.

§. 14.

Morbi particulares ad ordinem praecipuarum corporis partium, a capite ad extremitates progrediendo, recenſentur, et ita diſponuntur, vt in iis declarandis, praeter ſingularem medendi methodum exemplis illuſtratam, inprimis de operationibus chirurgicis vario apparatu perficiendis agatur.

§. 15.

Cum autem in his inſtitutionibus chirurgicis, quas praelectionibus academicis accommodatas eſſe voluimus, multa, planius coram explicanda, hic tantum breuiter indicari queant, a re alienum non erit, praeſtantiſſimorum auctorum ſcripta paſſim commemorare et noſtros ad eorum lectionem amandare. Inprimis vero inſtitutiones chirurgiae rationalis Ill. PLATNERI crebrius commendabimus, quod libellum in omnium manibus eſſe ſcimus, et ob ſuccinctas deſcriptiones repetitionibus aptiſſimum iudicamus.

§. 16.

Sequens tabula morbos in his inſtitutionibus chirurgicis pertractandos ſiſtit.

I. Vniuerſales.

A. Inflammationes.

1. De inflammatione in genere.
2. De eryſipelate.
3. De phlegmone.
4. De abſceſſu.
5. De aduſtis et frigore tactis.

 6. De

6. De gangraena et ſphacelo.
7. De glandularum inflammatione.
8. De ſcirrho et cancro.

B. Tumores.
1. De tumoribus in genere.
2. De oedemate.
3. De tumoribus, qui tunica includuntur.
4. De lentis glandularum obſtructionibus.
5. De aneuryſmate.
6. De varice.

C. Vulnera.
1. De vulnere in genere.
2. De haemorrhagia vulnerum.
3. De dolore et neruorum diſtenſione.
4. De vulneribus collifis et vexatis.
5. De vulneribus ſclopetorum.
6. De vulneribus, quae virus habent.
7. De vulneribus artefactis, venaeſectione, cet.

D. Vlcera.
1. De vlcere in genere.
2. De fiſtulis.
3. De vlceribus artefactis.

E. Oſſium morbi.
1. De oſſium morbis in genere.
2. De laeſa oſſium nutritione et rhachitide.
3. De tumore oſſium.
4. De carie.
5. De fractis.
6. De ancyloſi.
7. De luxatis.

II. Particulares.

A. Integumentorum morbi.
1. De verrucis et clauo.

2. De

2. De herpete, varis et porrigine.
3. De ſurunculo et carbunculo.

B. Capitis morbi.
1. De hydrocephalo.
2. De vulneribus capitis.
3. De fractura cranii.
4. De trepanatione.
5. De vulneribus faciei.
6. De labio leporino.
7. De oculorum morbis.
a. De ophthalmia in genere.
b. De palpebrarum morbis.
c. De viarum lacrymalium morbis.
d. De corneae vitiis.
e. De ſtaphylomate.
f. De ſuffuſione.
g. De motu oculorum vitiato.
h. De hydrophthalmia et hypopio.
i. De amauroſi.
8. De linguae et faucium morbis.
9. De polypo narium.
10. De dentium morbis.
11. De fractura maxillarum.
12. De luxatione maxillae inferioris.

C. Colli morbi.
1. De fractura et luxatione vertebrarum colli.
2. De capite obſtipo.
3. De vulneribus colli.
4. De tracheotomia.
5. De ſcrophulis.

D. Pectoris morbi.
1. De mammarum morbis.
2. De fractura coſtarum et ſterni.
3. De luxatione coſtarum et vertebrarum.

 4. De

4. De gibberoſis.
5. De vulneribus pectoris.
6. De empyematis operatione.

E. Abdominis morbi.

1. De vulneribus abdominis, enteroraphe et gaſtroraphia.
2. De paracenteſi abdominis.
3. De herniis.
4. De teſticulorum morbis.
5. De ſcroti et penis morbis.
6. De ani vitiis.
7. De viarum vrinariarum vitiis.
8. De lithotomia.
9. De vteri et vaginae morbis.
10. De luxatione oſſis coccygis.

F. Extremitatum morbi.

1. De ganglio.
2. De paronychia.
3. De tendinum vulnere et ſutura.
4. De articulorum vulneribus.
5. De luxatione extremitatum ſuperiorum.
6. De luxatione extremitatum inferiorum.
7. De fractura extremitatum ſuperiorum.
8. De fractura extremitatum inferiorum.
9. De amputatione membrorum.

PARS

PARS I.

MORBI VNIVERSALES.

§. 17.

In hac parte non tantum eos morbos, qui vniuerſum corpus ſimul inuadunt, ſed hos quoque conſideramus, qui paſſim in corpore occurrentes ex vniuerſali aliqua doctrina declarandi ſunt §. 13. quo partim aliquod diſcendi compendium, partim faciliorem ad morbos particulares tranſitum habeamus.

TRACTATIO I.

DE

INFLAMMATIONE.

§. 18.

Inflammationis diiudicandae fundamenta alibi quidem declarauimus (i. m. §. 975. 1088. 1209. 1521. 1531) et ſuccinctam tractationem ex vniuerſae medicinae praeceptis collegimus (m. c. §. 270. ſeqq.) nonnulla tamen ex iis repetenda et ad inflammationum externarum diſquiſitionem accommodanda, alia vero nunc demum in chirurgia addenda et accuratius explicanda ſunt.

CAPVT I.

DE

INFLAMMATIONE IN GENERE.

§. 19.

Inflammatio (m. c. §. 270.) eſt ſtaſis cruoris condenſati in minimis vaſis cum impetu ſanguinis

 natu-

naturali maiore, praecipue ad partem affectam directo. Illa igitur ſpaſmum minimorum vaſorum febremque coniunctam habet, et ex calore, tumore, dolore et pulſatione cognoſcitur.

§. 20.

Staſis ipſa in diuerſo inflammationis gradu varia eſt, nunquam tamen admitti poterit, niſi cruor in ipſis vaſis arterioſis haereat et ita cordi reſiſtat, qua in re a celeritate ſanguinis et humorum febrili differt, quae veram immeabilitatem nondum inuoluit: in aucta et confirmata inflammatione ſanguis forte in cellulas laterales diffunditur.

§. 21.

Vti vero iam in omni febre vaſa minima non vt in ſtatu ſano blande reagunt, ſed ſpaſtice contrahuntur, et ideo per reſiſtentiam maiorem cordis vim extorquent; ſic praecipue inflammatio in parte oborta cum inſigni vaſorum ſpaſmo et validiori cordis impetu coniuncta eſt, et febrim vehementem inducit.

§. 22.

In limitibus vaſorum ſanguiferorum et ſeroſorum inflammatio oritur, et ita vel cruor in minima vaſa nimium diſtenta transfertur, vel ipſe in vaſis ſanguiferis cruorem alias vehentibus ita condenſatur, vt propelli nequeat, ſed ob ſtaſin maiorem cordi reſiſtat.

§. 23.

Inflammatio autem non tantum quietem ſanguinis in vaſis quibusdam, ſed aliquam eius in mixtione ipſa mutationem inducit, ita vt, dum in vna parte globuli cruoris condenſantur et quieſcunt, in reliquo circu-

circulo attritus et per eum inductus calor lymphaticam ſanguinis partem coagulet, quam ob cauſſam tota ſanguinis maſſa inflammata dici poteſt.

§. 24.

Haec deprauata mixtio diatheſin phlogiſticam ſeu veram diſpoſitionem inflammatoriam ſanguinis ſiſtit, et primo in ea parte naſcitur, cui vis, ad geneſin inflammationis apta, illata fuit, poſtea calor, in toto corpore inde auctus, lymphaticam ſanguinis partem cogit. Hoc certe cruſta denſa alba ſuperficiei ſanguinis, in inflammatione laborantibus ex vena educti, inhaerens declarat.

§. 25.

Cruorem ſtagnare diximus, ſi vera inflammatio eſt, ſi autem ſerum plus minus acre in vaſis quibusdam congeritur et quodammodo haeret, tunc febris quidem, nulla autem inflammatio excitatur. Si porro ſeri motus ita impeditur, vt arteriis vicinis et cordi quoque magis reſiſtat, quod in eryſipelate, rheumatiſmo et arthritide nonnunquam obſeruamus, tunc ſpuria appellatur inflammatio, variis nimirum ſignis ad veram accedentibus, quibus auctis, haud raro in veram tranſit.

§. 26.

Veram inflammationis ſedem in arteriis poſuimus §. 20. in anguſtis enim earum finibus reſiſtentia locum habet, quae a robore fibrarum aucto, et elaſtico, et vitali, ita intenditur, vt obſtructio ſanguinis condenſati longe vehementior reddatur. Nonnunquam tamen venae varicoſae diſtentae et ſanguine ſpiſſo repletae inflammationis ſpuriae quandam ſpeciem referunt, quae tamen verae in arteriis formandae occaſionem praebent, et in hoc caſu quoque ſanguis extra vaſa in cellulas ſe diffundere videtur.

§. 27.

§. 27.

Cauſſa proxima inflammationis in ſtaſi cruoris cum fortiori ſanguinis appulſi impetu conſiſtit, quae, quando in minimis partis cuiusdam vaſis formata eſt, maiora vitae incommoda inducit, et ad vniuerſum vaſorum-ſyſtema ſe diffundit. Hanc tamen aliae praediſponentes et occaſionales cauſſae praecedunt, quarum illae potiſſimum in ſolidarum et fluidarum partium diſpoſitione quaerendae ſunt.

§. 28.

Diſponit nimirum ad inflammationem praecipue rigiditas ſolidarum partium, ab elaſtico vaſorum robore nimis aucto pendens; ſed interdum etiam partialis laxitas diſtenſioni vaſorum et ſtaſi ſanguinis inde oriundae locum concedit. In neutro tamen caſu fit inflammatio, niſi vitale robur per cauſſas acceſſorias intendatur, et reſiſtentiam cordi pariat.

§. 29.

Quod ad humores attinet, ſpiſſus, non pituitoſus, ſed condenſatus ſanguis, qualis in hominibus robuſtis vel quoque in atrabilariis deprehenditur, ad ſtaſes inflammatorias diſponit. Accedunt variae acrimoniae, quae minimis vaſis ſtimulum iniiciunt, inprimis rancida et bilioſa.

§. 30.

In his autem diſpoſitionibus rite diiudicandis ad plethoram et cacochymiam praecipue attendimus. Illa ex eo, quod aequabilem per vaſa minima motum impedit, et ob nimiam mouendorum molem cordi iam magis reſiſtit; haec vel ex procliuitate in coagulum, vel ex acri ſtimulo vaſis iniecto diiudicatur, vti in metaſtatica inflammatione cognoſcimus. Num ſanguis in morbis putridis nimium reſolu-

ſolutus inflammationi anſam praebeat? quaeritur. Inflammatio vera non eſt, ſanguis tamen putridus, in vaſa, cruori alias non peruia, effuſus, interdum quosdam inflammationis effectus edit, ſaepius tamen ſine praegreſſis inflammationis ſignis gangraena oritur.

§. 31.

Inter cauſſas occaſionales referri merentur vulnera varii generis, vel quoque vehemens irritatio dolorem efficiens, compreſſio valida partium, calor nimius vel frigus ſummum, aliaeque mutationes, quae in partibus mollioribus ſpaſmum excitant, ideoque ſanguinis progreſſum liberum eiusque in canalibus continuatis praeſtandam euolutionem impediunt, et hoc fluidum nimis cogunt; quamobrem ſaepiſſime etiam medicamenta praepoſtere exhibita et applicata inflammationis cauſſae ſunt.

§. 32.

Ex his omnibus patet, inflammationem nunquam ex vna cauſſa oriri, ſed multas easque ſaepius diuerſas, atque adeo nonnunquam oppoſitas corpori applicari, antequam proxima §. 27. oriatur et perſiſtat.

§. 33.

Cum inflammatione febris plus minus inſignis excitatur, prout ſtaſis ſanguinis et coniunctus vaſorum ſpaſmus ſubitam vel vehementem, vel languidiorem paulo reſiſtentiam ſiſtit. Hinc etiam horror, horrorem excipiens calor, ſitis, cephalalgia et alia ſymptomata febrilia diuerſo ſaepius gradu cum inflammatione coniuncta ſunt.

§. 34.

§. 34.

In parte inflammata tumor, rubor, calor, dolor et pulſatio percipiuntur, quae ab obſtructione illius et ex aucto et neruos tendente ſanguinis impetu et affluxu dependent et explicantur (i. m. §. 1209.) et ſigna diagnoſtica in externis potiſſimum inflammationibus praebent.

§. 35.

Cum autem non tantum ad partem affectam, ſed etiam ad vniuerſum corpus, in quo inflammationis effectus apparent, in diagnoſi reſpiciendum ſit, febris quoque coniuncta §. 33. et praecipue pulſus fortis et celer attendi merentur. Vti enim, dum pulſus intenditur, inflammatio generatur, ſic in pulſu duro demum et vehementer renitente confirmata oſtenditur: qua in re tamen ad partis inflammatae fabricam et morboſas mutationes ſimul attendendum eſt.

§. 36.

Etiam prognoſtica ſigna inde patent. Febris enim moderata per inflammationem excitata, hanc ſoluit et diſcutit, quod inprimis ſperari poteſt, ſi pulſus durior in mollem et plenum mutatur: quod ſi vero febris nimium increſcat, et pulſus fortis in durum mutetur, inflammatio quoque ita intenditur, vt partialis in vniuerſalem tranſeat. §. 23. Febris ſubito remittens, perſiſtentibus externis inflammationis ſignis, defectum virium indicat, cum quo reſolutio expectanda non eſt; variae potius perverſae mutationes, nunc declarandae, ſuccedunt.

§. 37.

Si nimirum cruor quieſcens motu inteſtino adhuc agitatur, inflammatio non diu ſubſiſtit, ſed vel vi na-

vi naturae et medicamentorum reſoluitur, vel ſubſiſtens deſtructionem partis inflammatae efficit, quo tempore non tantum cruor ſtagnans, ſed vaſa quoque continentia reſoluuntur et in materiam purulentam mutantur.

§. 38.

Si haec partium continentium et contentarum reſolutio in corpore de reliquo ſano cum blando humorum affluxu perficitur, neque inflammatio nimis vehemens et magna eſt, pus bonum album et ſpiſſum colligitur, quod vel vi naturae vel artis auxilio euacuatur et ſecedit; in acceſſu vero acrium, vel alio modo male mixtorum, humorum pus tenue et ſanioſum colligitur, quod gangraenoſae deſtructioni occaſionem praebet; ſi vero peſſima humorum indoles eſt, eaque in toto corpore nata, parti inflammatae potiſſimum inhaeret, tunc certe gangraenoſa et ſphaceloſa corruptio ſuccedit, quae rarius in parte affecta coercetur.

§. 39.

Cum humores per inflammationem coacti et ſtagnantes in parte quadam ſubſiſtunt, et cum vaſis continentibus coaleſcunt et quaſi exſiccantur, quod in glandulis et aliis partibus ſimilis ferme fabricae fieri ſolet, tunc tumor durus renitens remanet, qui ſcirrhus dicitur, et interdum ſine dolore diu quieſcit, non raro tamen in cancrum mutatur.

§. 40.

Generalis itaque prognoſis in omni inflammatione haec eſt: Si vis vitae et aetatis vigor optimaque humorum craſis eſt et apta medendi via eligitur, ſpes verae curationis, quae reſolutio eſt, affulget: ſi vero vniuerſalis in corpore languor deprehenditur; ſi ſolidorum robur vel nimium vel nullum

lum, et humorum mixtio deprauata eſt, vel tandem inepta medendi ratio accedit, inflammatio in variam partis deſtructionem conuertitur, quae demum vel in ea ſubſiſtit et coercetur, vel totum corpus deſtruit.

§. 41.

Specialis medendi ratio, quoad indicationem reſolutoriam, et alias minus proſperas inflammationis mutationes, in conſideratione ſpeciali tradenda erit, nunc tantum generalem curandi viam paucis indicabimus (i. m. §. 1531. ſeqq.) quo fundamenta doctrinae, quibus ſequentia capita innituntur, iaciamus.

§. 42.

Inflammationi imminenti inprimis in aegris plethoricis venaeſectio opponenda eſt, quae, nimiam ſanguinis copiam ſubducendo, et inteſtinum et progreſſiuum motum moderando, circulationem aequalem reddit, nimiumque calorem compeſcit, ne condenſatio cruoris et lymphae coagulum eueniat.

§. 43.

Licet vero rebus ſic ſe habentibus omnes ſe- et excretiones in corpore praeſtandae liberius ſuccedant, aluus tamen, ſi ſegnior ſit, vel clyſmate libera reddenda, vel medicamento purgante antiphlogiſtico mouenda erit. In phlegmaticis et laxis corporibus nonnunquam efficaciora concedenda ſunt euacuantia.

§. 44.

Aucta inflammatione venaeſectio largior et repetita ſuſcipienda eſt, primum venae eius, quae parti inflammatae vicina eſt, deinde, ſi haec non ſufficiat, venae remotioris. Cruſta alba denſa in ſuperficie

ficie ſanguinis e vena miſſi nata, paulo poſt denuo inſtituendam indicat, praeſertim ſi ſymptomata perſiſtant.

§. 45.

Venaeſectio plethorae et temperamento aegrorum accommodanda. In veris plethoricis, iisque robuſtis, larga omnino praeſtantior eſt, plethorae obeſae et ei, quae a debilitate oritur, parca, et ſi opus eſt, reiterata magis conuenire videtur. Obſeruandus tamen eſt prioris euacuationis effectus, antequam altera ſubiungatur.

§. 46.

Cum febris, calor ſiccus et motus coagulatorii venaeſectione coercendi ſint §. 42. haec quidem larga ſatis ſit, attamen fini aſſequendo apta: attendendum enim eſt, ne motus reſolutorii prorſus infringantur. Quando igitur hi vigent, et ex pulſu pleno, madore cutis aliisque ſignis cognoſcuntur, noxia magis eſt venaeſectio, quoniam copiam ſanguinis nimis ſubtrahendo liberam et plenam eiusdem circulationem impedit.

§. 47.

Si pars inflammata iam ad ſuppurationem vergere incipit, et vehementiſſimus dolor remittit, venaeſectio vtpote nimis tarda nocet, niſi vehementia febris interdum et iuſto tardiorem excuſet. Nec inflammatio externa, quae a metaſtaſi materiae morboſae efficitur, venaeſectione coercenda eſt, cum materia morboſa, certe noxia, ad internas ſedes conuertatur. Quo igitur eidem facilis fiat exitus, in hoc inflammationis genere potiſſimum ſuppuratio adiuuanda eſt.

§. 48.

Circulum humorum liberum redditum, ideoque reſolutionem blandam ſanguinis obſtructi iam factam eſſe, vel certo expectari poſſe, remiſſio ſymptomatum et ſe et excretiones liberiores indicant. Perſpiratio autem apte ſuccedens, et mador cutis, tunc temporis imminens, infuſis calidis plantarum reſoluentium iuuari poteſt. Vrina quoque cum ſedimento rubello et aequali optimae notae eſt.

§. 49.

Si clyſmata aluum non ſatis liberam reddunt, antiphlogiſtica purgantia, ex tamarindorum et caſſiae pulpa, manna, paſſulis et cremore tartari parata, et calorem infringunt, et humorum impetum ad alia loca deriuant. Haec ideo valentiora ſint, minime autem draſtica et reſinoſa, quae ſtimulis ſuis nocent, et interdum tantum requiruntur. §. 43.

§. 50.

Frictione quoque partium remotarum et ſinapiſmis applicatis reſolutio iuuatur. In robuſtioribus interdum veſicatoria ex cantharidibus non improbanda ſunt: reſolutioni enim anſam praebent, et acri ſtimulo, minime tamen parti inflammatae noxio, humores deriuant.

§. 51.

Imminenti vel leuiori viſae inflammationi externe ſacculi ex herbis reſoluentibus, ſaluiae, betonicae, chamomillae ac ſambuci floribus et ſimilibus, vel potius puluis earundem cum terris bolaribus rubris miſtus opponendus eſt, quo perſpiratio partialis adiuuetur, et circulus humorum liberior reddatur: ea vero non nihil aucta, epithemata ex decoctis herbarum amararum et reſoluentium, abſinthii, rutae,

marru-

marrubii, quae moderato calore placent, applicanda' ſunt, quo robur vaſorum excitetur et humor ſtagnans diſcutiatur.

§. 52.

Febris inflammatoria nimis intenſa venaeſectione coerceatur §. 42. ſqq. ſuadenda tamen ſimul eſt abſtinentia a victu nimis nutriente: quod ſi aliqua nutritio concedenda eſt, ex vegetabilium partibus facile digerendis eligatur. Dandus quoque eſt potus ſufficiens ex ptiſanis farinaceis et demulcentibus, quibus in ſucciplenis acida, in ſiccioribus nitrum adiici poteſt.

§. 53.

Quod ſi febris nimis depreſſa ſit, victus ex animalibus quoque iurulentus tenuis concedi poterit, et iis, qui pituita abundant, ptiſanae acriores conueniunt. Tunc temporis quoque hauſtus vini generoſi et cardiaca medicamenta propinari poterunt, quo reſolutio humoris ſtagnantis adiuuetur. Si cum inflammatione cacochymia in corpore obſeruatur, ad eam quoque corrigendam remedia dirigenda ſunt.

§. 54.

Quod ſi vero inflammatio his ipſis auxiliis diſcutienda non eſt, de ea tantum intra limites coercenda cogitandum erit, quo materia impacta emolliatur, et, ſuppuratione ex voto ſuccedente, educatur, quae quidem mutatio in externis corporis partibus melius, quam in internis viſceribus, adiuuatur.

§. 55.

Ad ſuppurationem incipiendam et abſoluendam facit febris moderata, quae optimos humores ad locum affectum deriuat: in confiniis enim partium, in pus conuertendarum, inflammatio ſemper ſu-

ſtinenda eſt: ob hanc cauſſam quoque aeger modice nutriatur, et pars affecta quieta ſit.

§. 56.

Locus affectus interea calore moderato et cataplaſmatibus emollientibus foueatur. Praeſtant in hunc vſum chamomillae et ſambuci flores, nec non meliloti ſummitates, quibus vis antiſpasmodica ſimul ineſt. Emplaſtrum de meliloto et malacticum, paulo craſſius illinita, interdum, de nocte potiſſimum interponantur, cum vſus cataplaſmatum eo tempore non commode continuari poteſt.

§. 57.

Quod ſi vero cacochymicus corporis ſtatus puris boni elaborationem vix permittat, non tantum deprauata humorum indoles medicamentis internis, quantum fieri poteſt, corrigatur; (i. m. §. 1472. ſeqq.) ſed externis remediis nunc commendatis amara quoque, v. c. abſinthium, ruta cet. quippe quae corruptioni reſiſtunt, adiicienda ſunt. Interne potiſſimum propinetur cortex peruuianus, qui antiſepticam et roborantem virtutem habet, et gangraenam ſphacelumque auertit.

§. 58.

Generalis autem haec tractatio omnem diiudicationem et medelam inflammationi praeſtandam non abſoluit. In diuerſis itaque inflammationis ſpeciebus eiusque mutationibus, nunc plenius declarandis, varia medendi methodus accuratius definienda eſt, quod optime fieri poſſe arbitramur, ſi ab eryſipelate ad phlegmonen, ab hac ad abſceſſum tranſeamus, quo reſolutionis et ſuppurationis ratio clarius pateſcat.

§. 59.

§. 59.

De aduſtis etiam et frigore tactis partibus, quae inflammationem coniunctam habent, diſſerendum erit, antequam gangraenam et ſphacelum, peſſimas inflammationum mutationes, examinemus. Inflammationem glandularum tandem tractationi de ſcirrho et cancro praemittendam eſſe iudicamus.

CAPVT II.

DE ERYSIPELATE.

§. 60.

Si humores ſeroſi, acriores redditi, in vaſis cutaneis potiſſimum ſtagnant, et inde, accedente motu febrili, ſuperficies integumentorum corporis tumet et rubet, eryſipelas naſcitur, quod proinde ſpurium inflammationis genus §. 23. vel primus eius gradus dici meretur.

§. 61.

A ſede maxime conſueta deſumitur haec definitio. Nullum enim dubium eſt, ſuperficiem viſcerum interdum quoque primo hoc inflammationis gradu affici, quia in tenuiſſimis tubulis, perſpirationem externam et internam praeſtantibus, praecipua morbi huius ſedes eſt.

§. 62

Tumor inflammatorius latus eſt, ad vicinas partes facile excurrens, interdum mollior, interdum durior. Color in iis, qui bonos ſuccos habent, ex albo rubet; in cacochymicis autem corporibus eryſipelas liuidum colorem ſiſtit. Digito paululum preſſa

 pars

pars ruborem amittit, illo autem ſublato, hic illico redit. Interdum puſtulae, immo veſiculae, ichore plus minus acri plenae, efflorefcunt. Si morbus cutem profundius occupat, quod in plethoricis interdum euenit, ſuperficies tumoris magis rubet et ſplendet. Hinc differentia eryſipelatis oedematoſi, ſcirrhoſi, puſtuloſi et phlegmonodis intelligitur.

§. 63.

Varii gradus huius morbi ex vehementia febris et acrimonia humorum definiuntur. Febris eryſipelati iuncta vtplurimum exigua eſt. Licet enim ea interdum cum magno horrore ingrediatur, hoc tamen ſuperato, et materia acri primo impetu caloris in cutis ſuperficie fixa reddita, mitior vtplurimum febris gradus perſiſtens diſcuſſioni fauet. Dolor non pungens, ſed plerumque pruriens eſt.

§. 64.

Cauſſa proxima eſt ſtagnatio ſeri acris in vaſis minimis, inprimis cutaneis; ad eam itaque procliues ſunt, qui acrimonia humorum, inprimis rancida et biliofa ſcatent, et ita ad habitualem hunc morbum diſponuntur; ſpongioſa praeterea et laxa praecipue corpora eryſipelate vexantur.

§. 65.

Occaſionem praebent animi affectus et triſtiores et vehementiores, terror inprimis et ira, calor inſignis vel frictio cuti admota, irritatio per medicamenta externa in vulneribus ſanandis. Hinc ii, qui deprauatis ſuccis ſcatent, emplaſtra leuiter irritantia vel pinguia vix ferunt; ſed cutis vicina facile eryſipelaceo tumore afficitur et puſtulas contrahit.

§. 66.

§. 66.

Diagnoſis ex antecedentibus patet, §. 62. prognoſis autem ex diſpoſitione generali humorum definitur. Si humores ſtagnantes non adeo acres ſunt, perſpiratione aucta facilis fit diſcusſio, et cuticula ſicca reddita ſine vlla cutis eroſione deſquamatur. Cum etiam ſerum magis quam cruor ſtagnet, in ſuppurationem veram nunquam tendit; quod ſi enim acris humor abundet et confluat, cutis puſtulis et vlceribus arroditur, et cuticula in veſiculas ichore plenas eleuatur. Si primus hic inflammationis gradus vel ex plethora, vel ex inepta medendi methodo augetur, haud raro in veram phlegmonen degenerat.

§. 67.

Indicatio curatoria eo redit, vt humor ſtagnans diſcutiatur. Diſcusſionem febris moderata iuuat, auctior vero temperantibus, praecipue nitroſis medicamentis, et porro infuſis calidis, ſcordii, betonicae cet. et inde excitata blanda diaphoreſi compeſcitur. Venaeſectione febrim moderante hoc in morbo vix opus eſt, in languida potius humorum circulatione cardiaca medicamenta vires ſuſtineant.

§. 68.

Externe applicentur medicamenta ſicca, quae acre ſerum abſorbent, et vaſa cutanea roborant, pulueres plantarum diſcutientium et roborantium, quibus terrae bolares et ceruſſa admiſceantur. Paulo durior tumor farinas ſeminum emollientium, lini et foenugraeci admixtas habeat. Haec remedia ſicca, moderate calida applicanda et aliquoties per diem mutanda ſunt. Humiditas in iis nata bonum ſignum eſt, et perſpirationem auctam prodit.

§. 69.

Nocent eryſipelati medicamenta ſpirituoſa, inprimis ſpiritus vini camphoratus, qui humores cogit fibrasque magis ſtringit, quam blande roborat, et ideo tumorem durum reddit. Emplaſtra diſcutientia parum proſunt, et inprimis quia pinguia ſunt, perſpirationem impediunt et phlegmonen facile inducunt.

§. 70.

Eryſipelas, quod ex deprauata et valde acri humorum indole per metaſtaſin ad cutim determinatam oritur, externis remediis vix tentandum, multo minus inepta medendi methodo reprimendum eſt, ſed exigit curationem per interna remedia (m. c. §. 167. ſeqq.). Quod ſi vero vlcera cutanea relinquat, haec, impetu febris ſuperato, ſponte ſaepius exſiccantur, vel vnguento ex aceto, lithargyrio et oleo liliorum alborum recenter parato et mixto, optime tractantur.

§. 71.

Qui eryſipelate vexantur, iis exhibendus eſt victus parcus, ex cibis boni ſucci, minime tamen iurulentus, potus tenuis aquoſus commendetur, niſi febris exigua hauſtum fermentati potus concedat. Quies vniuerſi corporis conuenit, praecipue tamen pars affecta modice inuoluta quieſcat et perſpiret.

§. 72.

Si poſt eryſipelaceum tumorem, ſpirituoſis medicamentis adhibitis induratum, §. 69. pulueres ſupra laudati §. 68, diſcutiendi vi non ſatis pollent, emplaſtro molliente v. c. diachylo cum gummis opus eſt, vel cataplaſmata emollientia cum remediis diſcutientibus mixta adplicentur; ſi tunc vlcera contrahuntur, aptis remediis depuranda et exſiccanda ſunt.

CAPVT

CAPVT III.

DE PHLEGMONE.

§. 73.

Grauior inflammationis gradus phlegmone dicitur, quae non tantum in internis, ſed etiam in externis partibus ſedem figit, et veram cruoris ſtaſin in tota cute et vicino contextu adipoſo, quin et profundius interdum ſiſtit. Tumor itaque in phlegmone magis fixus eſt, quam in eryſipelate, et grauior quoque vis ſymptomatum obſeruatur.

§. 74.

Febris inflammatoria maiori cum impetu progreditur et creſcit, pulſus durior eſt, et calor ſummopere auctus, tenſio et dolor in tumore renitente et eleuato moleſtiam creant, et ſi ille ad partes vicinas extenditur, priorem locum non relinquit; color quoque gradu variat, ita vt ſaepius ex roſeo in obſcure rubicundum ſe vertat. Ex his itaque ſignis potiſſimum diagnoſis patet, et differentia ab eryſipelate intelligitur. §. 62. ſeqq.

§. 75.

Et cauſſae vehementiores ſunt. Saepius enim deprauati et acres, febre concitati nec coctione ſatis ſubacti humores, vti ad internas, (m. c. §. 270. ſeqq.) ſic non raro ad externas ſedes coniiciuntur: ſaepius ad vulnera, inprimis vexata, et fracturas complicatas oſſium aliasque laeſiones externas accedit inflammatio: non raro etiam cauſſae occaſionales grauiores v. c. animi affectus, ebrietas cet. leuiores inflammationes intenduntet pertinaciores reddunt.

§. 76.

Prognoſis quidem praecipue ex grauitate cauſſae partes varias laedentis deſumitur, attamen ad indolem quoque humorum, in hac inflammatione congeſtorum, et ad vim elaſticam et vitalem, diſcuſſioni plus minus fauentem vel reſiſtentem, attendendum eſt. Cum etiam nimia rigiditas ſpasmum et condenſationem ſanguinis inducat, laxitas autem partium et debilitas vniuerſalis nimiae humorum congeſtioni anſam praebeat, ſtaſis humorum in vtroque caſu pertinacior et reſolutio difficilior redditur.

§. 77.

Si humores boni per cauſſam validam externam ad ſtaſin et phlegmonen ducuntur, haec, niſi nimis vehemens ſit, apta medendi methodo vtplurimum diſcutitur; ſi vero humores acres ſunt et in contextum celluloſum coniiciuntur, facilis fit tranſitus ad gangraenam. Interna et vniuerſalis humorum deprauatio et cacochymia, quae morbum partialem intendit, triſtem vtplurimum habet euentum. Etſi enim maligni humores, ad externas corporis ſedes deriuati, externis remediis magis coerceri poſſunt, peior tamen ſemper redditur inflammationis conditio, cum non ad humorem tantum ſtagnantem, ſed ad malignitatem illius potiſſimum reſpici debeat.

§. 78.

Venaeſectio inprimis ex febre magna et pulſu duro neceſſaria eſſe iudicatur, quae etiam ſymptomatibus porro vrgentibus repetenda eſt. §. 42. ſeqq. Alui lotiones et purgantia antiphlogiſtica non intermittenda ſunt; §. 43. 49. febris etiam temperantibus medicamentis et potu tenui acidulo moderanda §. 52. quibus rite perſpectis hoc quoque patet, quomodo

modo victus ratio et reliquum aegri regimen diſponendum ſit. §. 71.

§. 79.

Atque etiam praeterea ad externa remedia, quae varii inflammationis gradus exigunt, attendendum eſt. In recenti et vix ſe formante phlegmone conſtrictio partis, vel in loco ipſo, vel ſupra eum, impetum ſanguinis congerendi cohibeat, in quem finem ſolutionem ſalis ammoniaci, addito aceto, affecto loco imponere conuenit.

§. 80.

Non incongruum quoque eſt, acetum cum lithargyrio coctum, vel plantas diſcutientes, leuiter aromaticas et adſtringentes, in vino rubro coctas, vel ſpiritum vini rectificatiſſimum, camphora bene ſaturatum, in epithematibus applicare, quo his remediis inflammationis primus impetus reprimatur. Neceſſe tamen eſt, vt pars laeſa in ſitu tranquillo et moderato calore conſeruetur.

§. 81.

In applicatione remediorum reprimentium, quae roborando agunt, praecipue eo reſpiciendum eſt, vt ſanis de reliquo corporibus, ex cauſſa valida occaſionali inflammationem alicuius partis ſuſcipientibus, applicentur; porro, num decubitus humorum inflammatorius in contextu celluloſo et glanduloſis partibus profundus ſit: hoc enim modo illa vix diſcutiunt, ſed ſuppurationem impediunt, et ſcirrho generando anſam praebent.

§. 82.

Si interea, dum haec medicamenta applicantur, tumor increſcit, et durior fit, ruborque cum dolore intenditur, ſpes tamen reſolutionis adhuc adeſt: epithemata ex herbis amaris et reſoluentibus v. c. abſin-

abſinthio, ruta, ſcordio cocta, addito ſale ammoniaco, protinus et iterato applicanda ſunt. Sed et aegri et tumoris varia conditio varium vſum epithematum ſuadet.

§. 83.

Nam mollior tumor et laxum corpus poſtulant, vt plantae adſtringentes addantur, epithema etiam cum vino rubro coquatur, ita enim partibus robur affertur: ſin tumor durus et renitens deprehenditur, et ſicca rigidaque corpora phlegmone tentantur, flores chamomillae, ſambuci et meliloti aquoſo decocto addantur, vel omnino cataplaſmata ex his parata applicentur.

§. 84.

In re dubia, vt in neutram partem peccetur, cataplaſma ſimile, vel emplaſtrum malacticum vel diachylon cum gummis, ſatis tamen ſpiſſum, medio tumori applicandum erit, quo ſtagnans humor in centro tumoris cogatur: interea vicinae partes epithemate diſcutiente a proſerpente inflammatione defendendae erunt.

§. 85.

Hoc quoque valet, ſi gangraena iam imminet, et plenaria diſcuſſio ferme impoſſibilis videtur. Laudant hoc in caſu cataplaſma, ex herbis amaris cum anatica parte fuliginis ſplendentis paratum. Ne autem color peregrinus medentem in dignoſcendo tumore impediat, eundem in mutatione cataplaſmatis ſpiritu matricali lauare conuenit, tunc etiam interdum cutis in medio tumore incidenda eſt, quo humori ſtagnanti pro parte exitus concedatur.

§. 86.

Si itaque febris ſenſim paulatimque imminuitur et tandem ferme euaneſcit, tumor cum remiſſione dolo-

doloris ſubſidet, nec flacceſcit, et cutis ad calorem et colorem naturalem redit, totum etiam corpus ſudore vel perſpiratione aucta madeſcit, et ex vrina craſſa ſubſident: diſcuſſionem iam factam eſſe, vel certe perfectam fieri poſſe perſpicimus.

§. 87.

Si phlegmone his ipſis auxiliis diſcutitur et tumor imminuitur, febris autem prorſus deſinit, tunc laxitas nimia, quae parti remanet, frictione, vel ſpirituoſis applicatis, vel conſtrictione per faſciam corrigenda eſt: membrum etiam hactenus quietum exercitatione roborare prodeſt. Reliqua monita, quae phlegmones curationem dirigunt, in gangraenae et vulnerum tractatione adiicienda erunt.

CAPVT IV.

DE ABSCESSV.

§. 88.

Si inflammatio externa paululum remittit, ſi febris, licet imminuta, tamen vtcumque cum ſiti et calore adhuc continuat, ſi dolor grauatiuus punctorium excipit, et tumor profundus extrorſum quoque eleuatur, ſuppurationem in parte inflammata oriri et abſceſſum ſiue apoſtema formari coniicimus.

§. 89.

Eſt itaque abſceſſus formatio et collectio puris in medio tumoris inflammatorii. Vaſa nimirum, quae in centro tumoris maxime obſtructa ſunt, nec non contextus cellularis, quem perreptant, cum humoribus

ribus coactis emolliuntur et a ſana parte abſcedunt. Hinc in ea parte mollities duritiei, et color pallidior rubori ſuccedit, licet vicinae partes adhuc inflammatae ſint et tumeant.

§. 90.

De geneſi puris, quae et in hac et in aliis tractationibus doctrinae noſtrae attentionem chirurgi exigit, pauca nunc commemorare conuenit. Sanguis et in vaſis ſtagnans, et in vehementiori inflammationis gradu forte in ipſas cellulas effuſus, §. 20. motu progreſſiuo et inteſtino non amplius promouetur et agitatur; calore igitur interno moderato permanente, vel ſimili cum externis remediis applicato, nouum in particulis ſuis motum inteſtinum reſolutioni putridae aliquo modo ſimilem incipit. Impetus ipſius ſanguinis in vaſis arterioſis, nondum prorſus obſtructis, hanc reſolutionem iuuat. Quod ſi itaque pinguedo et lymphaticus humor in cellulis contentus bonae notae ſint, et ſimilis humor per vaſa adhuc libera adducatur, magma illud, quod pus dicitur, coit.

§. 91.

Motus enim inteſtinus ſanguinis a progreſſiuo in vaſis corporis determinatis et liberis pendens, veram elaborationem humorum in varios vſus efficit: (i. m. §. 208. ſeqq. 220. ſeqq.) ſi autem humoris ſtagnantis ſpontanea reſolutio, a calore moderato, in animalibus mortuis, vel partibus ſimili modo in corpore viuo affectis, putredinem excitante oritur, tunc non bonam illam elaborationem humorum, ſed potius deſtructoriam reſolutionem mixtionis fluidorum et compagis ſolidorum efficit, quae in corpore denuo elaborari nequit, ſed id, quod collectum eſt, abſcedit.

Reſorptum pus in circulum nonnunquam redit ſed bonis humoribus aſſimilari nequit, niſi enim per metaſtaſin eiiciatur, bonos humores maligna indole afficit: hoc etiam accidit, ſi pars ſubtilior puris corrupta et acris reddita reſorbetur.

§. 92.

In pus itaque conuertitur ſanguis ſtagnans cum vaſis ſuis, pinguedo et tenuiores lymphatici humores vna cum cellulis, in quibus continentur, quae quidem mutatio potiſſimum per moderatum calorem nec nimis auctum nec nimis depreſſum, et per maiorem ſanguinis a tergo factum impetum perficitur. Haec vero reſolutio in pus, quae quaſi emollitio tantum eſt, per ſe euenire non poſſet, niſi boni humores a vaſis vicinis elaborati ad ſtagnantes et emolliendas partes accederent, et magma purulentum ſpiſſum, aequale, inodorum et album redderent.

§. 93.

Hac ratione bona ſuppuratio efficitur; ea tamen non ſemper bene ſuccedit, ſed particulis male mixtis v. c. viſcidis et acribus, in parte inflammata iam collectis et ſubſiſtentibus, vel aliis ſimilibus ex corpore eo deriuatis, pus quidem, ſed malae notae, efficitur: aut enim nimis viſcidum, aut tenue et ſanioſum, aut flauum, foetidum et ichoroſum redditur; quae quidem mutationes iam tranſitum ſuppurationis incompletae vel corruptae in gangraenam ſiſtunt.

§. 94.

Redeamus nunc ad abſceſſum, in cuius formatione febri inflammatoriae, iam quodammodo imminutae, nouus quaſi impetus et horror accedere ſolet. Mollities tumoris non protinus obſeruatur, ſed aliqua tantum tenſionis remiſſio, quae ſenſim paulatimque

timque euidentior fit, donec fluctuatio collectae et mobilis factae materiae admotis digitis ſentiatur, interea vero grauitas membri magis moleſta redditur.

§. 95.

Haec ſigna in abſceſſu, ſub cute vel non adeo profunde, in contextu celluloſo inter muſculos haerente facile percipiuntur, in profundiori autem attenta et reiterata diſquiſitio, digitis, partim alterne, partim ſimul appreſſis, cum naturali partium ſitu et craſſitie comparata requiritur, ſi latentis puris indicia colligere velit chirurgus.

§. 96.

Abſceſſu latente, nullisque externis ſignis collectae materiae apparentibus diſquiſitio maxime difficilis redditur; quod ſi vero ad mutationes morbi inflammatorii bene attendimus, et ſigna in externis abſceſſibus, inprimis ratione febris et laeſae cuiusdam actionis alias obſeruata comparamus, dolor grauatiuus et aliquis in interna parte motus, pulſatorio haud abſimilis, ſedem abſceſſus latentis detegit. Accedit tandem in vario corporis ſitu perceptio tumoris, et auxilii applicandi ratio ex ſitu et fabrica partis affectae porro diiudicatur.

§. 97.

Abſceſſus ſub cute formatus parum periculi habet, praeſertim ſi pus idoneo tempore educatur, hoc eſt, tum, cum ex materia in vaſis coacta et in contextu celluloſo ſtagnante formatum eſt. Si vero reprimentibus et diſcutientibus medicamentis praepoſtere adhibitis puris geneſis impeditur; ſi pus collectum, vel ob faſcias nimis adſtrictas, vel ob minus aptum membri ſitum in ſinus laterales premitur; ſi

illud

illud nimis diu retinetur, attenuatur et reſorbetur, varia mala inde oriuntur. Haec quidem potiſſimum in profundo abſceſſu euenire ſolent, vbi pus non tantum nobiliores partes, ad quas ſe diffundit, laedit, ſed cachecticam quoque corporis diſpoſitionem inducit.

§. 98.

Materia purulenta in abſceſſu collecta, ſed iuſto tempore non euacuata, tenuis fit et ad reſorptionem idonea. Interdum quidem vrina cum pure reddita, vel alui deiectiones purulentae felici metaſtaſi morbum ſoluunt, nonnunquam tamen pus ad alia loca fertur, et nouam ſaepe, minus commodam, ſedem ſibi eligit, quae transmigratio ex dolore et plus minus inſigni immobilitate partis denuo affectae cognoſcitur.

§. 99.

Reſolutio inflammationis et diſcuſſio materiae impactae ſemper quaerenda eſt. Quando itaque dubium eſt, vtrum illa adhuc fieri queat, an de emollitione vnice cogitandum ſit, cataplaſmata ex chamomillae floribus et ſimilibus, quae, praeter vim emollientem, blandam quoque anodynam et reſoluentem exercent (i. m. §. 1434.), additis nonnullis amaris et diſcutientibus ſupra laudatis §. 82. 83. applicanda ſunt. Aliena prorſus hoc tempore ſunt reprimentia et ſpirituoſa.

§. 100.

Si ſpes diſcuſſionis omnino euaneſcit, febris in vigore relinquenda, vel interdum, languentibus viribus, excitanda eſt. Si vero, id quod tamen rarius euenire ſolet, febris iuſto vehementior inueniatur, eam temperantibus potius nitroſis et acidis, quam venaeſectione coercere praeſtat. Purgantia etiam,

Chirurg. C in-

inprimis draſtica, et ea, quae corpus vehementer commouent, aliena ſunt; ſola, ſi opus eſt, clyſmata conceduntur. Cibus et potus interea febri accommodentur.

§. 101.

Tumori applicanda ſunt cataplaſmata emollientia ex pane albo, lacte et oui vitello, vel ex herbis, radicibus et ſeminibus emollientibus parata, quibus oleoſa et pinguia, minime tamen rancida, adiiciantur. Sed eorum moderatus calor ſit et humiditas, et ſaepe denuo imponantur, cum nimis calida, humida et frigida noceant.

§. 102.

Emplaſtra quoque, ex ſimilibus compoſita, vel ex gummi ſaponaceis emollientibus ſimul adiectis parata, v. c. malacticum vel diachylon cum gummis, egregii vſus ſunt, praeſertim ſi alutae ſpiſſius ſuperinducuntur, et ita cataplaſmatis modo applicantur. Iis tum maxime vtendum eſt, cum inprimis per noctem crebrior mutatio cataplaſmatum, quae ad calorem conſeruandum requiritur, locum non habet.

§. 103.

Si media tumoris pars magis emollienda et ſimul irritanda eſt, quo pus in centro cogatur, eidem cepae vſtulatae et caricae pingues, vel orbiculus emplaſtri valde emollientis applicetur, cataplaſmate autem vniuerſus tumor tegatur, quo quidem modo maturatio tumoris et apta ad inciſionem praeparatio efficitur.

§. 104.

Interdum dolor nimis vrget, et ſpaſtica fibrarum contractio moleſtiam creat; ideoque maturationem tumoris retardat. Tum quidem non niſi emol-

emollientia cataplaſmata applicanda ſunt. §. 101. Quia vero et anodyna vis requiritur, praeter chamomillae flores §. 99. herba hyoſcyami, emplaſtris autem emollientibus §. 104. puluis herbae cicutae addatur, quibus dolor non nihil cohibetur, et maturatio materiae impactae acceleratur.

§. 105.

Cum abſceſſus formandus, ob humorum in cacochymicis corporibus deprauationem, in putredinem vel ſimilem corruptionem inclinat, nonnulli quidem emollientibus acetum iungunt; cum autem his remediis contraria vis ineſſe videatur, praeſtat omnino emollientia mediae tumoris parti, et diſcutientia ad ambitum applicare §. 84. 103. In hoc etiam caſu internum auxilium ſuccurrat, et inprimis largior corticis peruuiani vſus ſuadeatur.

§. 106.

Tempus abſceſſum aperiendi per cutim, in medio tumore attenuatam et quodammodo flaccidam redditam, nec non per fluctuationem materiae contentae, quam leni digitorum appoſitorum preſſu et agitatione cognoſcimus, definitur. Si vero abſceſſus profundius haeret, nullaque ſigna mutationis in integumentis communibus offert: ſola diſquiſitio fluctuationis, eiusque ſaepe obſcurae, parte affecta in aptum ſitum redacta, attentum chirurgum inſtruit.

§. 107.

Abſceſſus non niſi maturus aperiendus eſt; aliqua enim puris portio collecta reliquam crudam et ſanguinolentam materiam, in vaſis et cellulis ſubſiſtentem, emollit, et ita mutat, vt tandem pus omne album, ſpiſſum et aequale educatur. Si

vero tumor iuſto citius aperitur, pus tenue ſeroſum atque ſanguinolentum effluit, et ambitus durior relictus, licet emollientia medicamenta et in cauo aperto et in externo ambitu porro adhibeantur, aegrius emollitur.

§. 108.

Sunt quidem nonnullae rationes, quae abſceſſum iuſto citius aperiendum eſſe ſuadeant, dolor ſcilicet ingens, materia profunde in contextu celluloſo haerens, quae integumentis externis nondum emollitis facile ſinus format: ſed tunc quoque minus proſpere ſuccedit emollitio, et, niſi in his porro curandis ſumma circumſpectione vtatur chirurgus, vlcera ſinuoſa vel quoque calloſa relinquuntur.

§. 109.

Si pus diutius in abſceſſu relinquitur, illud, licet bonum fuerit, calore iterum attenuatur et ſanioſum fit, atque hac mutatione non tantum ad reſorptionem diſponitur, ſed vicinas quoque et ſanas partes, quae conſeruari deberent, penetrat, et erodendo ſinus format, contextum celluloſum deſtruit, et mala vlcera difficilius curanda relinquit.

§. 110.

Abſceſſus ſcalpello ancipite ſiue lanceola aperiendus eſt. Quoniam vero noſtri aegri ferrum haud raro reformidant, et ſpontanea ruptura ſaepe retardatur, cauſtica remedia, inprimis lapidis infernalis particula, non nihil humectata, mediae et molliſſimae tumoris parti emplaſtro cincta applicetur, alioque emplaſtro contegatur, quo facto ſaepe intra aliquas horas cutis eroditur atque pus effluit.

§. 111.

§. 111.

Cum vero et in ruptura ſpontanea, et in aduſtione per cauſtica, apertura nimis anguſta fiat, ex qua pus non facile effluit, ſed, inprimis ex magno et profundo abſceſſu, violenta preſſione demum eliminandum eſt; cum porro orificium eandem ob cauſſam, ne concidat, turundis denſioribus et intumeſcentibus diſtendi debeat, et ex hac compreſſione margines calloſi fiant; cum tandem ſanatio in vulnere inciſo melius, quam in eroſo, procedat, inciſio ſemper praeferenda eſt.

§. 112.

Inciſio autem tumori et cauo pus colligenti proportionata fiat, ſemper tamen ſatis ampla. Quo melius igitur illa praeſtari queat, materia purulenta collecta, latera tumoris blande comprimendo, verſus locum inciſurae vrgeatur, et ſcalpellum ex vna parte profundius immiſſum per oppoſitum latus educatur. Cauendum tamen eſt, ne profunda inciſione magna vaſa et aliae vicinae partes laedantur.

§. 113.

Locus inciſionis in medio ſemper tumore eligendus eſt, cum per eum exitus ex omni caui ambitu pateat. Licet enim interdum vulnus, in latere infimo tumoris inflictum, deſcenſum puris iuuare videatur, inciſio tamen, quae tunc temporis in parte dura nec ſatis emollita efficitur, alia incommoda coniuncta habet. §. 108. Speciales caſus differentia tumoris et anatomica partium conditio definit.

§. 114.

Continuanda interim ſunt medicamenta externa, quo reſiduum emolliatur, et pus omne educatur. Sed

de his in tractatione de vulnerum et vlcerum curatione, in quae abſceſſus nunc mutatus eſt, dicturi ſumus. Quo autem blandi humores ad locum affectum et emolliendum ducantur, victus ratio habenda eſt; quorſum pertinent inprimis ea, quae iam ſupra de inflammatione diximus §. 52. 53.

CAPVT V.

DE
ADVSTIS ET FRIGORE TACTIS.

§. 115.

Licet partes corporis humani, ignis et frigoris vehementia tactae, ex ſtaſi humorum, grauiori inflammatione afficiantur, ideoque praeternaturales hae mutationes ex antecedentibus doctrinis ſatis diiudicari queant: tamen cum variae obſeruationes, quae hanc doctrinam illuſtrant, adiiciendae ſint, vberiorem paulo tractationem, quam gangraenae et ſphaceli conſiderationi praemittimus, non ſine fructu fore praeuidemus.

§. 116.

Ignis flamma, vel fluida ebullientia, vel ſolida ignita, ſi corpori propius admouentur, cutem ſiccant, perſpirationem cohibent, et fluida cogunt. Diutius autem parti cuidam admotus ignis vaſa non ſolum ſtringit, ſed ipſas quoque viuas partes penitus deſtruit et comburit.

§. 117.

Ex cauſſae laedentis grauitate et duratione laeſionis, nec non partis affectae natura et indole, diagnoſis petenda, et per ſucceſſiuas igne tactarum et deſtru-

deſtructarum partium diſquiſitiones porro definienda eſt. Sufficiet ideo, ſi aliquot gradus diiudicemus, et aptis remediis expoſitis medendi viam indicemus, nonnullaque monita ſuper ambuſtis adſpergamus.

§. 118.

Si cutis, cuticula non ſecedente, ardore, dolore et pruritu afficitur, leuius malum eſt, et membra laſſa eminus igni admouenda, vel calidae aquae immittenda, vel reprimentia medicamenta applicanda ſunt; his enim humores calore coacti, iterum mobiles redduntur, et oriundae inflammationi reſiſtitur. Acetum cum lithargyrio coctum, atramentum vulgare, vel ſolutio vitrioli prae reliquis commendantur. In mitiori malo aqua vulneraria calida, linteolis excepta, cum fructu applicatur.

§. 119.

Si ipſa cutis criſpa redditur et puſtulae maiores eleuantur, grauius malum eſt. Serum itaque ſtagnans veſiculis inciſis educatur et pinguia emollientia ſuperhabeantur, v. c. cepae cum butyro non ſalſo vſtulatae, ſapo cum aqua vulneria in linimenti conſiſtentiam redactus, vel vnguentum de lithargyrio, et ſimilia, quae emolliendo diſcutiunt, praeſtantiſſima tunc temporis iudicantur auxilia.

§. 120.

Maius autem periculum imminet, quando cutis ferme ſine ſenſu relinquitur, et laeſio ad adipem vsque penetrat, quo tempore non tantum nunc laudata medicamenta §. 119, ſed, ad grauiorem inflammationem auertendam, venaeſectio cum aliis remediis antiphlogiſticis, et, cum pus mouendum ſit, etiam cataplaſmata vere emollientia §. 101. 104.

 appli-

applicanda erunt. Quamobrem et medicamenta et inciſiones cutis, de quibus in gangraena dicturi ſumus, adhibendae et caute tentandae ſunt.

§. 121.

In ſanis corporibus, caſu aduſtis, indicatae medendi viae cum viribus vitae ſuſtineantur, ad effectum optatum ducunt: cacochymicorum vero, ſenum, et imbecillium curatio difficilius ſuccedit. Quo maior porro ambitus laeſionis eſt, quoue magis neruoſae et ſenſiles ſunt partes, quae igne afficiuntur, v. c. oculi, eo magis periculum timendum eſt.

§. 122.

Si a loco grauius ambuſto, inprimis ob neruoſas partes valide tenſas et irritatas, inflammatio ad partes vicinas vndique procedit, media pars, igne deſtructa, digeſtiuis quidem vnguentis aliisque remediis ſimilibus emollienda eſt, vicinis autem partibus, quo inflammatio coerceatur, diſcutientia epithemata applicanda erunt §. 82. ſeq.

§. 123.

Remouendae itaque ſunt partes deſtructae, et medicamentis, a natura adiuuandis, et ſcalpello, quo depuratio vlceris relicti praeſtetur; hoc tamen facto, praeſertim ſi profunda loca remaneant, cicatrix ſiccantibus medicamentis non mox inducenda erit; vnguenta potius digeſtiua cum terebinthina et balſamis, nec non liquamen myrrhae, quae carnem alunt et excreſcere faciunt, ſuperhabenda ſunt, donec ſucceſſiue noua cutis a latere ſuccreſcat.

§. 124.

Ne vero tendines aliaeque partes, in vaginis lubricis contentae, accreſcant et immobiles fiant, nonnunquam, licet id ſine dolore fieri nequeat, partes

tes leniter mouendae ſunt, quo contextus celluloſus nimis contractus extendatur; parte etiam iam ſanata, et cicatrice inducta, rigidiores fibrae fomentis aquoſo oleoſis et emollientibus relaxandae ſunt.

§. 125.

Qui frigore ſummo afficiuntur, eorum ſanguis et humores quaſi coagulantur. Cum itaque lentius per vaſa, itidem frigore conſtricta, inprimis in extremitatibus corporis, moueantur, pruriens dolor ſenſim auctus, et tandem ſtaſis ipſa ſine dolore efficitur. Cordis vis auctior febrem reſoluentem vix producit, ſanguis potius, per reliquas partes corporis et per cerebrum praecipue mouendus, ſpiſſior quoque euadit; hinc in toto corpore ſtupor et rigiditas, in capite temulentia et ſopor oriuntur; quieſcit totus humor, ſomnus continuus ſuccedit, inſultui apoplectico ſimilis, tandem mors inducitur.

§. 126.

Si calore ſenſim reuocato coacti humores iterum reſoluuntur, et ad aequalem per vaſa circulum diſponuntur: non tantum in vniuerſo corpore, ſed et in parte, frigore magis tacta, liberior humorum circulus reſtituitur. Obtinetur hoc, ſi, qui frigore obriguit, in conclaui magis frigido, quam temperato, leniter fricatur, et calor ſenſim augetur. Pars vero prae reliquis magis laeſa in aquam frigidam non conglaciatam, immergitur, vel niue obtegitur.

§. 127.

A primo hoc caloris gradu ſenſim paulatimque ad alios et maiores ducatur frigidum corpus, donec blanda perſpiratio moderatam reſolutionem coactorum humorum indicet, et optime iuuet; quo facto

frictio corporis continuetur, cardiaca, v. c hauſtus vini generoſi, propinentur, tandem calida infuſa herbarum diſcutientium lenes ſudores ſub ſtragulis temperatis eliciant.

§. 128.

Partiales tumores a frigore oriundi primum albidi ſunt, poſtea a ſanguinis impetu rubent, et pruriente dolore moleſti ſunt. Niſi igitur calor lente reuocetur §. 126. ſtaſes quaedam partiales remanent, variis temporibus moleſtae, quae perniones inducunt. Si vero vehementior ſit frigoris effectus, cutis ſinditur, ſuccedentibus vlceribus impuris. Si tandem ſubitanea caloris vis, et fluida agitando, et ſolida deſtruendo, accedit, nigri ſiunt tumores et putridus ſphacelus inducitur.

§. 129.

Perniones igitur ii dicuntur tumores §. 128, qui ſi cutis et contextus celluloſus obſtruentem quendam humorem retinent, ſub tempeſtatum variationem, vel frigore vel calore vehementius admoto, cum pruriente dolore reuocantur. Terebinthina cum oleo raparum miſta, vel rapae congelatae et contritae, vel haec cum oleo lini temperatae, ſapo venetus cum aqua vulneraria tritus, vel alia, quae emolliendo diſcutiunt, in his ſanandis applicari poterunt.

§. 130.

Si ſerum acre in cacochymicis ſimul ſtagnat, et tunc cutim erodit, et puſtulas eleuat, acris humor continuo irritat, et ſaepe vlcera difficilis curationis relinquit, quae tamen, humore ſubtus ſtagnante diſcuſſo, aptis remediis depuranda et conſolidanda ſunt.

Si in-

Si intenſi frigoris vis in extremitatibus praecipue ad oſſa vsque penetrauit, et inprimis partes eorum ſpongioſas, quae circa articulos ſunt, deſtruxit, illae vel ſuo vitio rumpuntur et ſecedunt, vel artis ope ſeparandae ſunt.

CAPVT VI.

DE GANGRAENA ET SPHACELO.

§. 131.

Humores corporis animalis ſani ſalinas et aquoſas particulas, definita proportione mixtas, et oleoſis et terreſtribus iunctas, ſiſtere, globulos fluidi, legibus circulationis et ſecretionis mutatos et euolutos, conſtituere, et ex his tandem ſolidas partes nutritionem ſuam et augmentum capere, phyſiologia docuit (i. m. §. 180 et §. 240 ſeq.). Hi vero motus progreſſiui et inteſtini humorum, in ſano homine tranquilli vel parum ſaepe aucti et imminuti, ſemper tamen liberi ſunt.

§. 132.

Si vero ſanguis in parte inflammata ſtagnat, apta haec humorum euolutio impeditur: hinc globuli ſanguinei et ſeroſo lymphatici non tantum praeter naturam reſoluuntur, et ex parte coagulantur, ſed vaſa quoque continentia labefactantur et deſtruuntur. Formatur itaque, niſi reſoluatur inflammatio, pus, quod in affluxu optimorum humorum ſpiſſum, album, aequale in abſceſſu cognouimus §. 90. ſeqq. ſi vero acrimonia et ſanguini ſtagnanti, et vbique in corpore moto adhaeret, reſolutio putrida inducitur (i. m. §. 976).

§. 133.

Reſolutionem hanc fluidi et ſolidi putridam generali nomine appellamus: ſubtiliſſimae enim et ſumme volatiles partes aquoſae, ſalinae et oleoſae, in vaporem ingrati odoris attenuantur, terreſtres et aliae fixae magis partes vel in liquamen putridum conuertuntur, vel in cruſtam denſam et tenacem coeunt.

§. 134.

Cum itaque poſt validam inflammationem dolor et rubor ſubito remittunt, tumor non nihil ſubſidet, febris antea vehemens vel prorſus vel maximam partem imminuitur, ſubſequente interdum horrore vago ſaepiusque redeunte, nullaque reſolutionis ſigna apparent, §. 86. humores ſtagnantes in putridam diatheſin tranſire, et ſolida, in quibus continentur, deſtrui poſſe praeuidemus. Hanc corruptionem gangraenam et ſphacelum appellamus.

§. 135.

Primus itaque gradus gangraena eſt, vbi humor putridus contextum celluloſum, inter partes diſperſum, in ſimilem corruptionem mutat; alter autem gradus ſphacelus dicitur, cum partes organicae vicinae corrumpuntur, et ſine ſenſu et motu ſuperſtite ad oſſa vsque deſtruuntur.

Priorem gradum ob aliquam caloris vitalis praeſentiam Germani *den heiſsen Brand*, alterum ob caloris defectum *den kalten Brand* appellant.

§. 136.

In definiendis his corruptionis, quae ſtagnantibus animalium humoribus accidit, gradibus ad ſedem maxime reſpeximus, cum ita chirurgus ſatis inſtruatur. Non dubium quidem eſt, putridam diathe-

theſin in ſubtiliſſimis contextus celluloſi tractibus, qui organicas partes intercurrunt, et corruptionem augere, et variam mixtionem humorum in diuerſis hominibus hanc deſtructionem ſolidi et fluidi mire mutatam oſtendere, ſed effectus ſimiles ſunt, nec niſi ſymptomatum augmento quodammodo differunt.

§. 137.

Cauſſa proxima eſt ſtagnantis humoris corruptio putrida §. 132. 133. quae partes continentes ſolidas non tantum deſtruit, ſed ad vicinas quoque in contextu cellulari proſerpit, atque adeo per reſorptionem totius corporis humores inficit. Haec nata in parte aliqua per totum corpus diffunditur, diffuſa autem non raro in aliquam partem colligitur. Nimirum in morbis acutis, diatheſi putrida conſpicuis, humor malignus, non bene coquendus, in partes quasdam interdum congregatur, et ſub ipſo acceſſu ſine vero inflammationis progreſſu mox gangraenam et ſphacelum adfert.

§. 138.

Praediſponentes cauſſae ſunt: plethora inſignis, quatenus inflammationi anſam praebet, cacochymia varia, praecipue atrabilaria, vel aliae ſpecificae v. c. ſcorbutica, venerea, cet. Huc interdum quidem nimia fibrarum ſtrictura accedit, magis tamen imbecillitas ſolidarum partium, quae aequalem humorum circulum, inprimis per extrema, ſuſtinere nequit. Hinc, qui effoetos et corruptos humores habent, ſcorbutici, qui ſtagnantes in cellulis et cauis humores acres continent, hydropici, qui per graues morbos aliasque cauſſas debilitati ſunt, ſenes inprimis, gangraena vtplurimum afficiuntur.

§. 139.

§. 139.

Inter cauſſas occaſionales eae potiſſimum afferendae ſunt, quae validam inflammationem excitant, et liberum humorum circulum prorſus cohibent: compreſſio arteriarum, venarum et neruorum, et horum praeſciſſio, vel nimis arcta conſtrictio per faſcias et ferulas: frigoris et caloris ſumma vis partibus applicata: putrida corruptio humoris ſanguineo ſeroſi, in variis corporis cauis ſtagnantis: vulnera colliſa cum fractura oſſium, in quibus ſaepius gangraena interne incipit: vulnera, quae virus habent.

§. 140.

Varius autem eſt gangraenae progreſſus, cum partim a vi vitae nimium intenſa et irritata, partim a debilitate ſolidorum, vt cauſſis vere contrariis, oriatur. Interdum ex peſſima quadam humorum diatheſi nata, varias externas internasque partes petit et deſtruit, indeque peior reddita ſe diffundit: interdum ab externa cauſſa nata lente in partem affectam congeritur, in qua coercetur, et gangraenam et ſphacelum tantum partialem inducit: interdum gangraenoſa partis alicuius diſpoſitio euoluta reſorbetur, atque totum corpus inficit et deſtruit.

§. 141.

Quod vero in abſceſſu formando humor ex vaſis ruptis in caua cellularia diffunditur, et dolor ob neruos non amplius tenſos remittit, id quoque in gangraenae initio obſeruatur: febris tamen et reliquae mutationes aliter, quam in abſceſſu eueniunt §. 94. quae quidem, cum aeger bene ſe habere videatur, maximam medici et chirurgi exigunt attentionem.

§. 142.

§. 142.

Horror enim, qui in abſceſſu formando ob febrim ſuppuratoriam perſiſtentem calore blando diſcutitur, in gangraena crebrius redit, et languore ſummo excipitur: pulſus celerior ſubſiſtens longe debilior fit, et ſatis declarat, ſolidarum partium robur ad materiam euoluendam non ſufficere, et proinde putredinem accelerari; febre etiam non ſatis valida exiſtente, clandeſtinae quaedam anxietates aegri obſeruantur: praeterea ſe et excretiones nulla verae coctionis ſigna praebent.

§. 143.

Haec in vniuerſo corpore eueniunt, in parte affecta tamen aliae ſubſequuntur mutationes. Partem laeſam non grauatiuus dolor, ſed potius ſtupor et torpor afficit, quid quod aeger ſaepius poſt inſignes cruciatus melius ſperare incipit. Tumor interdum augetur, ſed flaccidus fit, vix renitens, foueas impreſſas diu retinens, cutis ſucceſſiue pallida, liuida, immo ſubnigra redditur, et in cuticula puſtulae, ſanioſo humore plenae ſparſim eleuantur et concidunt.

§. 144.

Quando vero ex his ipſis ſignis integumentorum inflammationem in gangraenam mutatam eſſe cognoſcimus, mediamque ſaepe partem ſine dolore irritamus et incidimus, inflammatio, dolorem creans, haud raro ad vicinas partes radiorum ad inſtar progreditur, id quod vel vehementia morbi, vel neglectu genuinorum, vel abuſu ſpuriorum remediorum efficitur: inprimis vero productiones celluloſae inter muſculos et ad vaſa attendendae ſunt, in quibus, vtpote laxioribus, materia gangraenoſa progreditur.

§. 145.

§. 145.

Gangraenam in ſphacelum iam tranſiiſſe §. 135. perſpicimus, ſi integumentis ſubiectae partes, muſculi et vaſa, ad oſſa vsque ſine ſenſu tanguntur et inciduntur. Vlcus putridum, quod inde oritur, primo humidum eſt, et reſorptionem materiae peſſimae corruptae facile admittit; ſi vero ſubſiſtit, omnes partes, ſphacelo tactae, aridae, nigrae et nonnunquam friabiles fiunt.

§. 146.

In hoc autem et triſti rerum progreſſu putridi morbi ſigna in vniuerſo corpore ſe offerunt et augentur: ſumma ſcilicet virium proſtratio, pulſus debilis et celer, reſpiratio anxia, ſitis ingens et ſiccitas linguae, inquietudo ſumma, deliria ſuauia, raro ferocia. vrina primum cruda et aquoſa, paulo poſt craſſa, nigra, foetida, ſudor frigidus non leuans, alui deiectiones foetidae, ſubſultus tendinum, conuulſiones, et tandem mors.

§. 147.

Ex his omnibus §. 144 ſeqq. gangraenae et ſphaceli, in externis partibus oborti, diagnoſis facile patet; internas autem partes, in quibus externa ſigna ſaepe, niſi nulla, certe dubia ſunt, ſimili labe affici, primo quidem ex inflammationis internarum partium ortu et progreſſu colligimus, natam vero et auctam hanc corruptionem ex ſignis vniuerſalibus §. 145. potiſſimum perſpicimus.

§. 148.

Prognoſis generalis haec eſt: gangraenoſa et ſphaceloſa corruptio nunquam ita tollitur, vt partes putredine affectae et deſtructae ad priſtinam integritatem reducantur. Omnis itaque medici et chirurgi attentio in eo poſita ſit, vt progreſſum morbi coerceant,

ceat, et ſanas adhuc partes cum in vicinia gangraenoſae et ſphaceloſae corruptionis, tum in vniuerſo corpore ab infectione defendat.

§. 149.

Si gangraena, a cauſſa externa nata in corporibus, quae vigor vitae et aetatis ſuſtinet, cum moderata febre progreditur, et ex his cauſſis limites inflammationis et ſuppurationis inter partem mortuam et viuam figuntur, ſpes curationis affulget. Hoc etiam in partibus ſphacelo corruptis valet, in quibus diiudicandis ſemper ad limites corruptionis, et ad confinia inflammationis reſpiciendum eſt.

§. 150.

Vti puſtulae, in cuticula mollis tumoris eleuatae, gangraenam latentem oſtendunt, ſic ichor ex illis eductus corruptionis gradus indicium eſt. Mitior eſt morbus, ſi ſeroſus et pellucidus humor in illis ſtagnat, grauior, ſi ſanies flaueſcens, nigra et foetidiſſima ex iisdem effluit; ex hac enim putredo celeriter proſerpens, et ſphacelum inducens colligitur.

§. 151.

Si gangraena, in contextu celluloſo ſub cute tantum ſerpens, apta medendi via coercetur, mobilitas membri, formato nouo contextu, ſaepe, licet tardius reſtituitur: ſin profundius ad interſtitia faſciculorum muſcularium, et ad tendines eorumque vaginas deſcendit, motus liber nullo modo reſtituitur, etſi ipſi muſculi ſphacelo affecti non fuerint, haud raro enim calloſa cutis cum muſculis ipſis coaleſcit.

§. 152.

Vti moderata febris gangraenae limites figit, §. 149. ſic nimia humorum dyſcraſiam nimium euoluit, progreſſum morbi celeriorem reddit, et ita

aegrum praecipitat. Interdum, v. c. in imbecillis et ſenibus, omnis febrilis impetus deficit. Ac tum quidem gangraenoſa corruptio lentius, attamen vlterius proſerpit, et limites inflammationis ac ſuppurationis nunquam figuntur. Interdum ipſas naturae vires limites ponere, membrumque emortuum et quaſi exſiccatum ex ipſo articulo excidere, obſeruationes rariores oſtendunt. §. 145.

§. 153.

Quando gangraena ab internis ſedibus, v. c. ad oſſa fracta, primum incipit §. 139. et inde extrorſum ad integumenta progreditur, maius periculum eſt, cum putridus humor tunc temporis proſerpat; niſi igitur inciſione facta, ea, quae abſcondita ſunt, detexerimus, nec certam prognoſin formare, nec malum coercere poterimus.

§. 154.

Qui ex cacochymia, v. c. ſcorbuto et hydrope, vel ex maligno quodam miaſmate, per febrim euoluto et ad internas ſedes delato, gangraena afficiuntur, breui pereunt, cum ex peſſima hac materie, vel ad externas quoque partes delata, multi periclitentur, facileque ad ſphacelum ducantur. Ipſa enim materiae corruptae ſubtilitas in omnes corporis humores ſe diffundit. De vulneribus, virulento humore imbutis, idem ſentiendum eſt.

§. 155.

Si medulla ſpinalis aut neruus inſignis laeditur, non tantum paralyſis et atrophia in parte oritur, ſed partes inde pendentes ad gangraenam et ſphacelum diſponuntur. In his medela vix vnquam praeſtari poteſt. Etiam cum vaſa maiora, ad partem ducta, iam corrupta ſunt, auxilium nullum expectandum erit, quoniam circulus humorum plane impeditur.

§. 156.

§. 156.

Cum gangraena a variis cauſſis inducatur, variasque in diuerſis corporibus mutationes ſubeat, methodus medendi, omnibus generibus gangraenae accommodata, vix definiri poteſt. Quod ſi vero in generaliori hac conſideratione, ratione internae curationis, virium vitae moderandarum normam, et putredini reſiſtentia medicamenta exhibeamus, ratione remediorum externorum, putredini ſerpenti reſiſtere, et ſeparationem putridi a ſana parte adiuuare doceamus, praecipua medentis officia delineamus.

§. 157.

In omni gangraenae progreſſu febris ratio habenda eſt. Quod ſi enim poſt validam laeſionem inflammatio celeriter in gangraenam tranſire videatur, et febris vehemens cum pulſu duro potiſſimum ſaeuiat: non ob gangraenam, ſed ob inflammationem, quae oriundae gangraenae metum facit, venaeſectio inſtituenda, aliaque febris infringendae auxilia (m. c. §. 50) iungenda ſunt. Nam etſi hoc modo inflammationem venaeſectione non amplius diſcuti poſſe praeuideamus, celerem tamen gangraenae progreſſum interea impedimus, quo remediis, ad ſuppurationem ducentibus, tempus et locus detur.

§. 158.

Sed ſi, quod frequentius fieri ſolet, vel cum febre nimis depreſſa gangraena oriatur, vel ea ex debilitate, vt cauſſa, generetur, venaeſectio et alia, quae febrim infringunt, aliena ſunt: danda potius ſunt cardiaca, quae vires ſuſtinent, dum neruos analeptica vi incitant, et circulationem humorum quodammodo intendunt (m. c. §. 53).

§. 159.

Ex his etiam victus ratio definienda erit. Iuſcula enim plus minus ſaturata, et alia celeriter nutrientia, ex animalibus hauſta, quae in poſteriori caſu §. 158 concedi poſſunt, in priori §. 157 prorſus interdicenda ſunt; nullus enim alius, niſi leniſſimus, ex vegetabilibus, inprimis cerealibus et fructibus horaeis, conceditur victus. Sic quoque hauſtu vini generoſi imbecilles ſuſtinendi, febre autem nimis agitati, ſero lactis vel acido vel dulci, vel ptiſana cum ſucco citri, reficiendi ſunt.

§. 160.

Sic quoque, vbi calor nimius fuerit, et impetum humorum ad partem affectam deducat, purgantia antiphlogiſtica valida, et clyſmata cum cremore tartari, additis quoque aliis ſtimulantibus, applicanda erunt; in altero caſu, vbi euacuatio valida aliena eſt, clyſmate tantum emolliente aluus, ſi neceſſe ſit, libera reddi poterit.

§. 161.

Praeter analeptica (i. m. §. 1359. ſeqq.) quibus vires vitae in omni progreſſu gangraenae ſuſtinendae ſunt, praecipue peruuianus cortex bonae notae ſuadeatur: huius enim vis non tantum roborans eſt, et febrim moderatam ſuſtinet, ſed putredini quoque reſiſtit. Ob hos effectus acidis vegetabilibus et mineralibus, hunc in finem commendatis, praeferri meretur. In puluere, electuario, infuſo vinoſo et aquoſo, prout aegri diſpoſitio illud permittit, ſemper tamen ſatis copioſe, ad vnam alteramque vnciam intra viginti quatuor horas dari poteſt.

§. 162.

Propoſita medendi ratio a recentioribus ſcriptoribus adeo laudata, et multis obſeruationibus illu-

ſtrata, ideo etiam commendari meretur, quoniam cauſſis gangraenae ſimul reſiſtit. In celeri enim ex inflammatione in gangraenam tranſitu, nec non in putrida humorum indole, ſine praegreſſa vera inflammatione, gangraenam et ſphacelum inducente, moderamen circuli ſanguinis et humorum efficiendo, omnem vitalem, prophylacticam et curatoriam indicationem abſoluit, et multis quoque ſymptomatibus medetur.

§. 163.

Tranſeamus ad remediorum externorum conſiderationem. Cum in omni gangraena ad partem deſtructam, nec vllo modo conſeruandam, et ad partem ſanam, ab vlteriore infectione defendendam, attendendum ſit, in illa ad emollitionem et ſeparationem, in hac ad blandam inflammationem, limites ſuppurationis figentem, ab attento chirurgo reſpiciendum eſſe cognoſcitur. Quamobrem ea, quae de poſſibili inflammationis creſcentis diſcuſſione §. 82. 83 et de arcenda imminente gangraena §. 84 et 85 propoſuimus, in memoriam reuocanda erunt.

§. 164.

Cum autem nunc ea, quae gangraenae iam formatae oppori debent, explicanda ſint, partim ad variam gangraenae ipſius faciem §. 134. 150, partim ad ſubiecta eorumque diuerſa temperamenta, prout vel laxa et ſucciplena, vel rigida et ſicca ſunt, reſpiciendum eſſe illico patet, antequam de ſelectu remediorum exponere poſſimus. Poſterius ideo praemittendum eſſe putamus, quo in gangraenae vario progreſſu, ex viribus vitae cognitis, et effectibus remediorum obſeruatis, indicationem ſuam dirigere, et, rebus interdum mutatis, medicamenta etiam mutare poſſit chirurgus.

§. 165.

Quoniam varietas ſubiectorum et cauſſae faciem morbi noſtri mutat §. 156, et vniuerſalem medendi methodum in omni gangraena vix admittit, tenendum omnino eſt, chirurgum in progreſſu morbi demum ex nocentibus et iuuantibus cognoſcere, vtrum in electa medendi methodo ſubſiſtere, an ab ea non nihil recedere, aut, cum ſubitanea contrariorum mutatio ſemper nociua ſit, ſenſim ad contraria redire debeat et poſſit. Quam ob rem in applicatione remediorum de proxime inſtruendo apparatu bene cogitet.

§. 166.

Emollientia inprimis cataplaſmata et emplaſtra §. 56, ibi neceſſaria videntur, vbi ſiccitas vrget, et dolor, a neruis ſpaſtice conſtrictis in confiniis gangraenae oriundus, ſeparationem corrupti a ſano cohibet, quo putrida deſtructio, quae auertenda non eſt, in medio acceleretur. Si autem putredo nimium increſcit, et magna humiditas eſt, haec medicamenta aliena iudicantur.

§. 167.

Terebinthina, balſama et gummi ſaponacea, emolliendi virtute quidem non deſtituuntur, ſed ſimul putredini reſiſtunt: cum tamen cruſtas denſiores reddant, et tenacitate ſua perſpirationem cohibeant, pinguibus adiectis, vel cum vitello ouorum ſubacta, ita temperantur, vt, antiſeptica virtute non prorſus amiſſa, ad emollientem vim tendant. Ex his diiudicantur vnguenta varia digeſtiua v. c. baſilicum.

§. 168.

Plantae amarae leniter aromaticae et diſcutientes, ſcordium, abſinthium, ruta, cet. in epithematibus

bus et cataplaſmatibus locum habent, vbi putredo celerius ſerpit, et copioſa humiditas, quae partes ſanas deſtruit, affluit: minus vero vtilia ſunt, vbi cruſta nimis denſa eſt, et perſpiratio putridi vaporis ſuccedere nequit. Licet enim ea his ipſis remediis adiuuari deberet, effectus tamen ob facilem exſiccationem non ſequitur.

§. 169.

Myrrha et aloe putredini quoque reſiſtunt, et in ſpirituoſis ſolutionibus hunc effectum magis, quam in puluere, praeſtant: in nimio itaque humiditatis affluxu iuuant, in ſiccitate autem aliena ſunt. Myrrha cum albumine ouorum cocto in liquamen redacta, balſamicam vim mitiorem exſerit.

§. 170.

Spirituoſa fermentatione producta, et concentrata, inprimis ſpiritus vini, putredinem arcent et ſiccant, ſed praeterquam quod cruſtam putredinis nimis denſant, vicinas quoque partes validius ſtringunt atque humores cogunt, et ita ſuppurationem, in confiniis ſe monſtrantem, ſine qua nulla vera ſeparatio ſuccedit, cohibent. Spirituoſa mitiora, v. c. aqua vulneraria ſiue ſclopetorum, mitius agunt, nec ſuppurationem prorſus impediunt. Spiritus ſalis ammoniaci putridas partes penetrat, et vicinas inflammando ſeparationem feliciter praeſtat.

§. 171.

Acida vegetabilia, et ex his praecipue acetum deſtillatum, decoctis plantarum amararum additum, putredini reſiſtit, et ſimul roborat. Niſi itaque nimia ſiccitas vrgeat, optimum effectum edit. Acida metallicis particulis iuncta, in vitriolo et viridi aeris vim ſepticam et deſiccantem habent, et, cum cauſtico quaſi effectu polleant, irritationem ſani et ſepa-

rationem corrupti ſimul iuuant. Haec vero, ne nimis vehementer agant, melle, virtute digerendi praedito, temperanda ſunt, vti in vnguento aegyptiaco et fuſco WÜRTZII cognoſcitur.

§. 172.

Salia epithematibus, vel cum vel ſine aceto, adiicienda ſunt, ſi viſcida humiditas magis penetranda vel reſoluenda eſt: hinc etiam antiſepticis nimium exſiccantibus §. 168. 169, interdum iungi poſſunt. Reliquis hac in re praeſtant ſal ammoniacus et nitrum. Aqua calcis viuae non negligenda, ſed decoctis addenda eſt, praeſertim ſi deſiccantem virtutem augere velis.

§. 173.

His praemiſſis, ipſum gangraenae progreſſum eiusque mutationes melius perpendere, et nonnulla, quae vel in vario morbi ſtatu, vel in variis aegris attendenda ſunt, ſubiungere, et de aliis monitis in ſymptomatibus oboriundis exponere poſſumus. Monemus ergo in genere, melius eſſe, indicata remedia ex indicatione, pro ſinguli aegri diuerſo habitu ponderanda, applicare, quam ſolis, et ſaepe non ſatis definitis obſeruationibus de viribus medicamentorum gangraenae opponendorum inhaerere.

§. 174.

Gangraena, quae in integumentis corporis oboritur, epithematibus ex decocto herbarum amararum et aromaticarum ſemi vinoſo, addito ſale ammoniaco et aceto, optime compeſcitur. Dummodo enim vires vitae non nimis depreſſae ſint, ſed humores ad peripheriam ducti moderatam inflammationem ſiſtant, id, quod iam corruptum eſt, ad ſucceſſiuam ſeparationem diſponitur.

§. 175.

§. 175.

In hac morbi conditione praeter ea, quae de victu monuimus §. 159, reliqua regiminis ratio bene ordinanda, et in poſterum quoque ſeruanda eſt. Aeger in conclaui puro et temperato contineatur, applicata remedia blando calore ſint, qui ſeruandus eſt, ideoque pars affecta linteis et pannis bene obuoluatur, minime tamen oneretur, nec faſciis nimis conſtringatur.

§. 176.

Si in horum medicamentorum applicatione partes emortuae inſtar cruſtae coeunt, et non nihil exſiccantur: a parte viua quodammodo recedunt, cuius margines roſea inflammatione turgent, et ex hoc interſtitio humor blandus et pus bonae notae effluit, cruſta ſeparatur, et vlcus hoc gangraenoſum purum redditur, poſteaque cicatrix vt in vulnere inducitur.

§. 177.

Quod ſi vero cruſta nimis ampla et craſſa, aut non nihil arida et tenax ſit, vt nec facile cedat, neque ſeparari poſſit: ſectionibus in longitudinem et transuerſim ductis, incidenda eſt, quo ſanguis non tantum putridus, ſed quodammodo floridus quoque, effluat, et aeger ſcalpelli aciem in ſubiecta parte ſana non nihil ſentiat.

§. 178.

Applicanda tunc ſunt vnguenta, cataplaſmata, emplaſtra, inſpergendi ſunt pulueres, aliaque medicamenta ex iis, quae §. 166, ſeqq. diiudicauimus, parata, quae corruptionis variis gradibus et mutationibus opponi poſſe videntur, et effectu attente obſeruato et ponderato, vel continuentur, vel ſuo modo mutentur. Ratione autem internae diſpoſitionis aegri, febris et victus ſimul habeatur ratio §. 160 ſeq.

§. 179.

Si enim cruſta nimis ſicca et arida eſt, emollientia cataplaſmata ac emplaſtra, et vnguenta ſimilia digeſtiua applicanda ſunt: ſi vero pars corrupta nimia humiditate turget, amara et aromatica addi poſſunt. Putredini tandem auctae et haec, et balſamica, ſpirituoſa et acida medicamenta opponuntur, quem quidem remediorum ſelectum per exempla a variis auctoribus propoſita declaramus.

§. 180.

Alia vero medicamenta parti deſtructae, alia ſanis vicinis imponenda ſunt. Si, v. c. corrupta pars putrida humiditate ſcatet, ea decocto antiſeptico ex ſcordio et abſinthio, ſale ammoniaco ſaturato, vel pro re nata oleo terebinthinae, in liquore minerali anodyno ſoluto, vel ſpiritu ſalis ammoniaci, vel etiam decocto corticis peruuiani ſaturato, eluatur et iterum quodammodo extergatur, paulo poſt puluilli ex linteo carpto parati, vnguento digeſtiuo, cui et alia medicamenta antiſeptica admixta ſunt, bene imbuti, imponantur, atque etiam parte affecta bene tecta, vel cataplaſmata emollientia, vel epithemata diſcutientia, quae et confinia tangunt, addantur, quoue melius haec applicata medicamenta penetrent, partes corruptae contextus celluloſi forfice praeſcindantur.

§. 181.

Si gangraena profundius ſerpit, et partes vicinae iam ſphacelo tactae ſunt, non tantum integumenta, ſed aponeuroſes, tendines, immo omnes emortuae partes non ſolum incidendae, ſed ex parte praeſcindendae ſunt, vt ſcalpelli acies ſanas partes quodammodo tangat, quo medicamenta ad confinia ſani et

cor-

corrupti vſque deferantur, et, ſi fieri poteſt, moderata inflammatio moueatur.

§. 182.

In ſeparatione vero corruptarum partium, §. 180 et 181, caute verſandum eſt, cum ex vna parte id, quod putridum humorem retinet et fouet, ſeparandum, neque vero ex altera ſanis partibus vis inferenda ſit. Qua in re accurata partium cognitio anatomica chirurgum inſtruit, vt et ſitum earum et tractum fibrarum in aponeuroſibus, tendinibus et muſculis perpendat, et vaginarum, tendines et vaſa ob ducentium, decurſum cognoſcat.

§. 183.

Corruptio gangraenoſa et ſphaceloſa altius inhaerens omnes corporis humores inficit, et febre putrida excitata mortem accelerat, niſi amputatio membri, de qua alio loco dicturi ſumus, antequam infectum eſt, inſtituatur. Quod ſi vero vires adhuc conſtantes ſint, et internorum remediorum efficacia easdem ſuſtineat §. 161, ideoque infectio ab internis partibus arceatur: tunc, licet limites figantur, corrupta tamen pars ſeparanda eſt. Interdum forte pars corrupta balſamicis et ſpirituoſis medicamentis ita exſiccari et quaſi condiri poteſt, vt cum ſana ſimul conſeruetur (i. m. §. 1464).

CAPVT

CAPVT VII.

DE INFLAMMATIONE GLANDVLARVM.

§. 184.

Inflammationem ſtaſin cruoris diximus §. 19, eamque in limitibus vaſorum ſanguiferorum et ſeroſorum oriri oſtendimus §. 22. Cum itaque in glandulis et partibus ſimilibus, in quibus ſecretio peculiaris humoris ex ſanguine perficitur, non tantum lentor, ſed etiam ſtaſes inflammatoriae frequentius oriantur, et hae ipſae peculiarem quandam attentionem exigant, de iis pauca quidem ſigillatim commemoranda erunt.

§. 185.

Vaſorum diſtributio in his partibus varia et curioſiſſima eſt, ab anatomicis vero nondum ſatis euoluta, ex illis tamen alia, et praecipue nonnulla ſanguifera, in contextu celluloſo glomerulos cingente, alia minima et vix ſanguifera dicenda in ipſis glomerulis diſtribuuntur. Illa inflammatio ipſa, haec autem non niſi effectus inflammationis in coagulo humorum tangunt.

§. 186.

Quia autem varii humores ex ſanguine ſecernendi ſunt, ideoque peculiaria organa in corpore diſpoſita ſecretionem praeſtant (i. m. §. 212, ſeqq.): haec quidem euolutionem globulorum ex ſanguine, nouamque mixtionem exigit, quae ex ſucceſſiuo per vaſa motu declarari deberet. Cum autem ſanguinis circulantis vis in his minima ſit, noua adminicula, a ſanguinis impetu non vnice pendentia, in hac elaboratione requiri perſpicimus.

§. 187.

§. 187.

Neque enim dubium eſt, neruos, ad has partes diſtributos, ſuo auxilio languidiorem per has glandulas motum incitare, et ita ad ſecretionem multum conferre. Vix quidem demonſtrari poterit, nerueum fluidum ſecernendo humori accedere; neruorum tamen vis quandam oſcillationem efficit, vt lentior motus, in his vaſis ad aequalem elaborationem humorum ſumme neceſſarius, quodammodo adiuuetur, ne praeternaturales ſtaſes oriantur.

§. 188.

Glandularum itaque inflammationes a febre et celeri ſanguinis impetu ad partes, vt vbique, ſic et hic efficiuntur. Cum tamen, iisdem motibus ſubito languentibus, vis circuli ad reſolutionem aptam ſuſtinendam non ſemper ſufficiat, et nerui ſpaſtice conſtricti motum humorum, in ſanitate euoluendorum, et in referanda inflammatione reſoluendorum, non, vt decet, vrgeant, in his partibus, ſtaſi inflammatoria ſaepe diſcuſſa, clandeſtina remanet.

§. 189.

Quoniam ea, quae febrim nimium infringunt, in primis venaeſectio iuſto largior, in omni inflammatione reſoluenda nocent §. 46, potiſſimum in glandulis non niſi ſumma cum attentione admittenda ſunt. Ex alio quoque doctrinae capite conſtat, roborantibus et reprimentibus, quae ſolida ſtringunt, et ſimul humores cogunt, motus reſolutorios in glandulis facile cohiberi: hinc emollientia potius, et ea, quae ſpaſmum leniunt, nec non leniora aromatica diſcutientia, glandularum inflammationi conuenientiſſima inueniuntur remedia.

§. 190.

§. 190.

Humores lymphatici in glandularum vaſis moti, vel alii peculiares, lac, ſaliua, mucus, cet. natura ſua ad coagulum proni ſunt, et ſtaſin irreſolubilem inducunt: qui, ſi in oboriunda inflammatione haerent et ſtagnando corrumpuntur, ad bonam ſuppurationem vix diſponi poſſunt, ſed in ſaniem quandam diffluunt, quam ſerum tenue affluens, in verum pus quoque non mutandum, auget. Niſi itaque obſtructa penitus reſoluantur et mobilia reddantur, vera ſanatio locum non habet.

§. 191.

Si natura in reſolutione tumoris inflammatorii, circa glandulam vel partem glanduloſam nati, emollientibus, diſcutientibus, et antiſpaſticis auxiliis adiuuatur: ipſe ſenſim mollior et quodammodo maior redditur, attamen paulo poſt ſine vlla duritie relicta decreſcit, ac tunc diſcuſſionem plenariam factam eſſe perſpicimus. Si contra in emollito tumore pus contrahi cognoſcimus §. 94, is ad ſuppurationem omni arte diſponendus eſt, quo pus in contextu celluloſo circa glandulam, et in eius interſtitiis moueatur et educatur, atque ita in minimis glandularum glomerulis reſolutio, vel diſcuſſione, vel reſorptione adiuuetur.

§. 192.

Quod ſi vero tumor reprimentibus, ſpirituoſis ſcilicet refrigerantibus et nimis valide roborantibus medicamentis applicatis, decreſcat, fluidiſſimae humorum partes diſſipentur, et craſſiores magis ad coagulum diſponantur: tunc quidem inflammatio circa glandulam nata diſcuti videtur, ſed humores in minimis vaſis contenti coguntur, ſiccantur et quaſi

ſub-

ſubſiſtunt, ideoque tumor decreſcens durior fit, et in ſcirrhum mutatur.

§. 193.

Stagnantes corporis humores iam ex ſua natura in deprauatam indolem mutantur, magis vero in corruptionem tendunt humores coacti, ſi ex cacochymia vniuerſali vel particulari ad deprauatam et praeternaturalem mixtionem diſponuntur: tunc enim acrimonia adhaerens ſimul quieſcit, et in ſcirrho latens alio tempore peior euoluitur.

§. 194.

Si circa has partes glanduloſas vel ipſum contextum celluloſum, in quo ſimiles ſeroſo lymphatici humores continentur, elaborantur et mouentur, preſſione, frictione, vel alia irritatione, calloſitas naſcitur: clandeſtinae ſaepius inflammationes ſimul coniunctae ſunt. Hinc eadem incommoda eueniunt, vt ſcilicet humor contentus condenſetur, ſubſiſtat et acrior reddatur, atque ita etiam in parte non euidenter glanduloſa duritiem et ſcirrhum producat.

§. 195.

Interdum etiam materia quaedam plus minus maligna, in febribus acutis metaſtatice mota, (i. m. §. 1290, ſeqq.) ad glandulas reiicitur, quo inflammatione ibi excitata, vlterius coquatur, et ſuppuratione facta, colligatur ac educatur. Hoc quidem non tantum in glandulis lymphaticis, ad axillas et inguina ſitis, ſed ſaepe etiam in parotide, glandula ſaliuali maxima, euenit, et noſtram quoque hoc in capite attentionem exigit.

§. 196.

§. 196.

Metaſtaſis talis materiae morboſae, ad parotides et alias glandulas incipiens, nullo modo turbanda, ſed maximam partem naturae viribus, per medicamenta cardiaca, ſi quidem requiritur, adiutis, relinquenda eſt. Reprimentibus enim medicamentis §. 80, materia morboſa facile in maſſam humorum repellitur. Etiam emollientia efficaciora §. 101, ſeqq. quae eandem allicere deberent, in principio euitanda ſunt, cum iisdem haud raro facilius diſcuſſio materiae nimis agilis quam collectio praeſtetur.

§. 197.

Haec vero emollientia tunc tandem applicanda erunt, quando materia iam ſedem fixam elegit, vbi cataplaſmata et emplaſtra emollientia, maxima cum cura adhibita, maturationem abſceſſus accelerant. Nec incidatur tumor ante veram puris collectionem *), ne glandula ipſa inciſione laedatur, quae ſuppurationem ichoroſam, et non raro maligna vlcera relinquit. Nec expectetur tamen ruptura ſpontanea, quoniam, pure nimis diu retento, diſcuſſio in ipſa glandulae ſubſtantia §. 191, expectari nequit, et praeterea cutis nimis attenuata alienatur, et cicatrix difficile inducitur.

*) Forte materiae collectae inſignis malignitas hac in re exceptioni locum dat; notanda etiam ſunt ea, quae de abſceſſu citius aperiendo §. 108, propoſuimus.

CAPVT

CAPVT VIII.

DE SCIRRHO ET CANCRO.

§. 198.

Scirrhus eſt tumor durus, ſine inflammatione et dolore, in parte glandulofa, vel alia ſimili celluloſo vaſculoſa, §. 192. 194, a ſero et lympha, vel alio humore, ſanguine tenuiore et ſtagnante, ortus. Licet enim interdum collapſis vaſis, poſt magnam haemorrhagiam, morbus, ſcirrho ſimilis, durities ſcilicet viſcerum, oriri videatur: minime tamen in verum ſcirrhum mutatur, niſi ſimul in minimis vaſis ſtaſis accedat, et coalitio vaſorum cum ipſa inhaerente materia eueniat.

§. 199.

A coacta igitur et condenſata in minimis glandulae vaſis materia tumor oritur, qui a vaſis paulo maioribus, in omni ambitu et interſtitiis glandulae diſtributis, turgidis, et pro parte obſtructis redditis, interdum paulo aſperior eſt, et tactu ita percipitur. Quamdiu vero materia in vaſis infarctis quieſcit, dolor nullus obſeruatur, quoniam vis et actio neruorum in tota parte ſupprimitur; ſed durus tumor vt peregrinum corpus in contextu celluloſo haeret.

§. 200.

Cauſſa proxima, quae ex definitione patet, §. 198, alias in fluidis, alias in ſolidis haerentes, praeſupponit: in his enim ſpaſtica conſtrictio vel euolutionem humorum conſuetam per glandulas et partes ſimiles impedit, vel orificia vaſorum, ex quibus humor ad ſuppurationem efficiendam affluere deberet, ſtringit et ſtaſin plenariam ſiſtit. In fluidis vero vel labes vniuerſalis humorum in cacochymia, §. 193, vel ipſa humorum ſeroſo lymphaticorum diſpoſitio ad

ſtaſin, ex lentore naturali pendens, §. 190, vel medicamenta, hanc diſpoſitionem inducentia, §. 192, praepoſtere applicata, attendenda ſunt.

§. 201.

Facile itaque ſcirrho vexantur hypochondriaci, et quibus haemorrhoides et catamenia non ex voto fluunt, infantes rhachitici, ſcorbutici, inprimis vero, qui rigido et exſucco corporis habitu praediti ſunt. In his enim omnibus elaboratio humoris lymphatici in glandulis non, vt decet, perficitur; ſed ſtricturis potius ſpaſticis, quae circulum humorum in minimis cohibent §. 187, valde obnoxii ſunt.

§. 202.

Et occaſionales cauſſae plurimae huc transferendae ſunt, v. c. victus crudus, aceſcens, et ſalſus, praecipue in infirmis, potus aceſcens et vappidus, moeror et triſtitia, praecipue in iis, qui, quoniam aere liberiore non fruuntur, nec exercitatione corporis reficiuntur, humores languide mouent. Qui plumbum tractant, (i. m. §. 1391 ſeqq) et cibis, in vaſis aeneis vel ſtanneis, quibus plumbum admixtum eſt, coctis, veſcuntur, ſimilibus obſtructionibus expoſiti eſſe ſolent.

§. 203.

Ex duritie igitur partis glanduloſae ſcirrhus cognoſcitur, tactuque eius ambitus diſquiritur, ſed leniter, ne nimiis contrectationibus moueatur. Hic, ſi in ſano de reliquo corpore ex cauſſa externa ortus fuit, interdum diſcuti et reſolui, vel ſectione tolli poteſt; ſi vero in cacochymicis ex deprauata et vniuerſali humorum indole natus, aut per eam malignior factus fuit, vel prorſus non, vel non, niſi humorum indole correcta, chirurgi auxilium admittit.

§. 204.

§. 204.

Si ſcirrhus minor in contextu celluloſo copioſo delitescit, parum incommodi inducit; ſi vero mole augetur, ſaepe vicinas partes premens, dolores, ſtaſes, nouasque partium obſtructiones efficit. Si arterias, ad partes vicinas ductas, comprimit, defectus nutritionis, ſeu atrophia, ſequitur: ſin, venis comprimendis, liberum ſanguinis regreſſum impedit, oedematoſi tumores oriuntur: ſi tandem neruus premitur, ſtupor et inſenſibilitas ſuccedunt.

§. 205.

In tumore ſcirrhoſo quieſcunt humores, isque ferme ſine vita inter alias partes viuas haeret, ideoque, quantum fieri poteſt, in quiete relinquendus eſt. Nam, etſi propria partis functio quodammodo laeditur, et magnitudo ſaepe deformitatem affert, haec tamen incommoda longe mitiora ſunt, quam ſcirrhus ipſe motus. Satis enim periculoſa eſt eius ad eam partem adhaeſio, cuius motus intermitti nequit, v. c. ad labia, vel ad axillas.

§. 206.

Benignus vero ſcirrhus et quieſcens peior redditur et excitatur, ſi humores corporis acrimonia morboſa et medicamentoſa, exercitatione nimia corporis et animi affectibus, indeque oriundo calore et ſpaſmo agitantur. Hoc autem inprimis euenit, cum humores de induſtria ad partem laeſam, per medicamenta emollientia, pinguia, irritantia, ſpirituoſa et alia diriguntur, vel partes ſcirrhoſae nimis contrectantur, fricantur et agitantur.

§. 207.

Scirrhum autem hactenus quieſcentem moueri, et ad malignitatem tendere, dolor primo pruriens, paulo poſt pungens et lancinans, tandem ſucceſſiue

vrens declarat: acrem enim humorem euolutum et motum neruos magis laedere et irritare, ex hoc dolore perſpicimus. Accedit interea maior durities a tenſione, et, a vaſis in ambitu extenſis, aſperitudo. Scirrhus itaque motus ex natura ſua fit malignus, et his mutationibus accedentibus, iam cancer occultus dici meretur.

§. 208.

Si color cutis rubet, leuiter ea inflammatur, et dolet, tunc materia ſtagnans magis mouetur, cuticula arroſa effluit ichoroſus humor, qui excoriationem auget, tandem vero cutis liuida fit, in nigredinem vergit, et cancer apertus, ſiue carcinoma, ſuccedit. Ab vlcere enim putrido eroditur glandula et cutis, et ſanies cancroſa rodens et foetens copioſius effluit. Cancer vero appellatur hic morbus, quoniam ſaepe venae, circa tumorem diſtentae, varicoſae et recuruae, cancri pedes aemulantur.

§. 209.

Peſſima vero eſt ſanies cancroſa, quae corruptionis ſphaceloſae vehementiam longe ſuperat. Non tantum enim impoſita linamenta arrodit, vlterius proſerpendo, partes vicinas irritat et inficit, vaſa lymphatica ſtringit, et humorem contentum inquinat, ſed cum toto corpore communicatur, et labem vniuerſalem inducit. Foetor quidem moleſtiam creat adſtantibus, attamen contagio ſuo non nocere videtur, interim, niſi ſumma cura adhibeatur, neque chirurgus munditiei ſtudioſus ſit, vlcera haec cancroſa nonnunquam contagioſa fieri poſſunt.

§. 210.

Vlcus ipſum variam ſpeciem refert: ambitus vt plurimum tumet et inaequalis eſt, et licet rubeat, veram tamen inflammationem non ſiſtit, putrida potius

tius caro nonnunquam excreſcit, quae vix coerceri poteſt. Si vlcus proſerpit, in vicinia nouus tumor inflammatorius naſcitur, qui tamen pus bonum non exhibet, ſed ſanioſum. Interdum haemorrhagia ex vaſis varicoſis ruptis, vel carne putrida oritur; interdum aqua limpida viſa, ſed acerrima, ex vaſis lymphaticis vicinis erumpit, et morbum ad tempus leuat, vlcus tamen ad hanc deprauationem progreſſum, cum carcinomaticum contagium iam ad humorum maſſam tranſierit, vix vnquam depurari poteſt.

§. 211.

In hac vlceris deprauatione aeger per interualla, vel prurientibus, vel lancinantibus, vel vrentibus doloribus, afficitur, qui poſtea ſaepius acerbiſſimi et continui fiunt, febris lenta accedens tandem in tabem conuertitur, quae aegrum abſumit. Interdum haemorrhagia inſignis vires et ſimul vitam aufert; interdum languidus aeger in ſomnolentiam et ſtuporem coniicitur; interdum conuulſionibus tentatur, donec poſt multos cruciatus vitam cum morte commutet.

§. 212.

Scirrhus recens vix formatus, mobilis adhuc, qui nec in ſe malignus eſt, nec ex humorum deprauata indole vniuerſali malignior redditur, aut medicamentis tentari, aut, ſi his reſolui nequit, ſcalpello exſcindi poteſt. Maior attentio requiritur, cum malignitatis notas offert: niſi enim iam maiora mala praeuideamus, tentandus non videtur. Malignitate nata, et cum corporis humoribus communicata, nullum niſi forte palliatiuum affertur auxilium: vidimus enim, et in hoc genere exſtirpationem breuiſſimi temporis leuamen exhibuiſſe.

§. 213.

Medicamenta, ſcirrho recenti applicanda, ſint emollientia, ea tamen, quae ſimul diſcutiant, et putredini reſiſtant, emplaſtra potiſſimum ex gummi ſaponaceis, malacticum inprimis cum diaphoretico malaxatum, vel aliud ex ſaponato cum balſamo ſulphuris RVLANDI paratum, quibus omnibus puluis cicutae admiſceri poteſt. Haec ſpiſſa cataplaſmatis inſtar applicantur. Sapo, cum aqua vulneraria in paſtam redactus, in principio morbi non inutilis eſt. Epithemata ſicca frictione, cataplaſmata vt plurimum humiditate nocent. Nocet interdum aceti vapor, nocent alia reprimentia, quibus nonnulli vehementem diſcutiendi vim adſcribunt.

§. 214.

Si reſolutionis ſpes affulget, et ſcirrhus ſine noxa frictione tentari poteſt, vnguentum neapolitanum, et in eo vis reſoluens mercurii non ſine fructu applicatur; hoc enim remedium magis efficax videtur, quam emplaſtrum VIGONIS cum mercurio, vel lamina plumbea, quam argentum viuum permeauit, externe applicata. In omni tamen externo mercurii vſu ad effectus internos quoque reſpiciendum eſt, quo iidem apto medendi modo adiuuentur.

§. 215.

Ac interne quidem non ea tantum danda ſunt decocta (m. c. §. 536.), quae humores diluunt et blande reſoluunt, ſed diaetae quoque regimen ex omni parte accurate ſeruandum erit. Fortiora medicamenta reſoluentia interna, inprimis mercurialia, in cauſſa venerea magis, quam in alia, adhibentur; ſed et in his obſeruatio medicum eruditum dirigit. Cauendum tamen ſemper eſt, ne his tumor, qui reſolui nequit, moueatur et peior reddatur, et ſol-

licite

licite attendenda ſunt omnia monita, quae de vſu medicamentorum mercurialium alibi propoſita fuerunt (m. c. §. 536, ſeqq.).

§. 216

Si reſolutio non ſuccedit, cum ſuppuratio vera in noſtro tumore haud expectanda ſit, ad curationem per ſcalpellum deueniendum eſt. Antequam vero ea ſuſcipiatur, varia, omni attentione adhibita, examinanda ſunt. Sedes ſcirrhi et vicinae partes, inprimis vaſa et nerui, accuratius conſiderari debent, quo cognoſcatur, an tumor radicitus exſtirpari poſſit? ſi enim hoc non ſuccedit, labor inanis eſt. Porro quoque aetas, temperamentum, gradus morbi et diſpoſitio hominis ad ſanationem vulneris praeſtandam, ponderanda ſunt.

§. 217.

Cutis vero vsque ad tumorem incidenda, paulisper ſeparanda, et inciſio futurae cicatricis formationi accommodanda eſt, quo tumor ipſe vel filis transmiſſis, vel hamulis, vel, quod optimum eſt, digitis adduci, et a ſede ſua non nihil demoueri queat: hac enim enchireſi et radices, et partes, quibus firmiter adhaeret, ſimul praeſcinduntur, et vaſa quodammodo tracta et praeſciſſa melius conſtringuntur, quo haemorrhagia nimia euitetur.

§. 218.

Si haemorrhagia non vrget, cauum, ex quo ſcirrhus exſectus, fuit, digitis omnino diſquirendum eſt, num aliqua durities ſuperſit, vel particula calloſae tunicae ſcirrhum inuoluentis? hae enim particulae relictae protinus exſcindendae ſunt. Si vero haemorrhagia vrget: vel ligatura arteriae diſciſſae ſuſcipiatur, vel alia auxilia, ſuo tempore in haemorrhagia vulnerum laudanda, adhibeantur, vel,

 niſi

niſi vehemens eſt, cauum linamentis carptis repleatur, et pannis iniectis, leniterque comprimentibus, et faſcia circumuoluatur, continuata vero cura eo dirigatur, quo relictae partes ſuppuratione, vel cauſticis admotis, ſeparentur, et depuratione praeſtita, conſolidatio apta ſuccedat.

§. 219.

Quod ſi porro tumor ſcirrhoſus actiones conſuetas impediat, nec in quiete ſeruari queat, et interea §. 213, ſeqq. reſolutioni locus non concedatur, ille potius medicamentis externis motus, iam cancer occultus dici mereatur: eo enitendum eſt, vt ſectio ſcirrhi iam moti, vel etiam exulcerati, tentetur. Hac in re tamen maior attentio requiritur, quo omnes partes corruptae remoueantur, quod quidem interdum ſuccedit, ſi humores boni ſunt, et ſuppuratio plenior excitari poteſt, per quam etiam malignus humor ſimul tollitur.

§. 220.

Si ſectio §. 216, ſeq. inſtitui nequit, et ſcirrhus benignus eſt, tunc is nullo modo agitetur, §. 206, quo, ſi fieri poteſt, vsque ad ſummam ſenectutem quieſcat. Qua in re aegro exquiſitiſſimum diaetae regimen iniungendum eſt. Idem et tunc temporis accurate obſeruandum erit, ſi cancer occultus vel etiam apertus euadit, neque amplius veram medelam admittit.

§. 221.

Cibus conſtet alimentis bonae notae, facile digerendis, nec in corruptionem ſpontaneam, praecipue rancidam, procliuibus, vel ſimpliciſſimus ſit ex lacte et pane albo, moderate tantum nutriens; ptiſana ex radicibus demulcentibus, vel cum farinaceis cocta, pro potu ordinario eligatur, hauſtus potus fermentati

bonae

bonae notae interdum concedatur; exercitatio corporis, ſomnus et animi affectus intra limites ſanitati conuenientes contineantur, quo humorum circulus blande expediatur; ille etiam validis euacuantibus, ſudoriferis et catharticis non intendatur, ſed, ſi neceſſe eſt, leniſſimis laxantibus et clyſmatibus interdum aluus moueatur; venaeſectio moderata in plethoricis inſtituatur. Fonticulus in proxima parte excitatus palliatiuam curationem iuuat.

§. 222.

Sub prouida hac attentione in iis, qui etiam in ſenectute validis vitae viribus inſtructi ſunt, exempla carcinomatis, per plures annos ſine grauiſſimis ſymptomatibus §. 211, ſubſiſtentis, annotantur; alia quoque, licet rariſſima, occurrunt de carcinomate, per ſpontaneam ſuppurationem ſecedente, vel de partibus tumoris carcinomatici exſiccatis et ſponte ſeparatis, vel facile remouendis.

§. 223.

Si vitium ſub cute deliteſcit, vix medicamentum applicari poteſt, quod non laedat: vel leuiſſima enim partes has irritant. Curandum itaque ſedulo, vt tumor nec agitetur, nec comprimatur: concedunt tamen nonnulli in doloribus intenſis ceratum cum herba hyoſcyami paratum, vel emplaſtrum ſaturninum MYNSICHTI. Cum vero cancer apertus eſt, isque modica humiditate turget, ſaepe ſufficit, ſi linamenta ſicca, quae humorem acrem ſugunt, applicentur, et ideo ſaepe mutentur.

§. 224.

Excreſcentem carnem compeſcunt leniter, exſiccant, et putredini reſiſtunt ſpiritus ſalis, aqua plantaginis valde dilutus, vel lenior aqua phagedaenica. Haemorrhagiis obortis, et ſero copioſius affluente,

linamenta ſicca ſufficiunt. In nimia ſiccitate mucilago cydoniorum cum aqua plantaginis parata prodeſt, et dolores non nihil temperat. Si dolor vrget, vnguentum nutritum, quod ex lithargyrio, aceto et oleo paratur, proficuum eſt. Alia, quae paſſim commendantur, pinguia digeſtiua, et depurantia medicamenta, aliena ſunt.

§. 225.

Infuſo aquoſo herbae belladonnae, ſed exigua quantitate hauſto *), aliisque narcoticis plantis adhibitis, et dolorem et carcinomatis progreſſum conſopitum et refrenatum fuiſſe, recentiorum obſeruationes teſtantur. Tutior longe videtur extracti et pulueris herbae cicutae vſus in pilulis, quem alii commendant **). Dabunt forte caute inſtituta experimenta in triſti hoc morbo ſolatium, et animum eorum confirmabunt, qui haec medicamenta, neruis forte inimica, timent.

*) vid. TIBERII LAMBERGEN Ephemeris perſanati carcinomatis. Groningae, 1754. 4to, et Commentarii de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis. Vol. IV. Part. II. p. 261.

**) vid. ANTONII STOERCK Libellus, quo demonſtratur, cicutam non ſolum vſu interno tutiſſime exhiberi, ſed et eſſe ſimul remedium valde vtile in multis morbis, qui huc vsque curatu impoſſibiles dicebantur. Vindobonae, 1760. 8. Eiusdem Liber ſecundus, quo idem confirmatur. ibid. 1761. 8. et Supplementum neceſſarium de cicuta, vbi ſimul cicutae imago aere excuſa eſt. ibid. eodem, 8.

TRA-

TRACTATIO II.
DE TVMORIBVS.

§. 226.

In praecedenti tractatione de tumoribus, qui cum inflammatione coniuncti ſunt, vel eam ſequuntur, egimus. Praeter eos vero multi alii tumores in corpore naſcuntur, qui, quoniam ſine inflammatione oriuntur et procedunt, vel eam tantum, vt ſymptoma, coniunctam habent, frigidi dici poſſunt *) et peculiarem tractationem exigere videntur.

*) Frigidi in oppoſitione inflammatorii caloris appellantur, ſed, inflammatoriis vt acutis conſideratis, hi tumores chronici forte dici merentur.

§. 227.

Difficile quidem videtur, diuerſos hos tumores ex generali aliqua idea, quae particularibus diſquiſitionibus praemitti poſſit, diiudicare; magna enim eorundem et ratione cauſſarum, et ſymptomatum eſt varietas: non incongruum tamen erit, conſiderationem aliquam generalem pathologico therapeuticam praemittere, et poſtea in hac tractatione quosdam tumores, in vniuerſo corpore et variis eiusdem partibus ſimili ratione obuios, diiudicare, alios vero paſſim in particulari diſquiſitione ſubiungere.

CAPVT I.
DE TVMORIBVS IN GENERE.

§. 228.

Fluidum inter partes continentes collectum et ſtagnans tumorem efficere, inflammationis exem-

exemplo cognouimus. Quemadmodum autem in ea ſanguis, potiſſimum vi propulſus et condenſatus, tumorem efficit, ſic lentae quoque fiunt collectiones humorum, qui ſenſim paulatimque ſpiſſiores fiunt, et tumorem ſine inflammatione ſiſtunt, niſi, quod interdum euenit, partes vicinae a tumore preſſae inflammentur.

§ 229.

Fluida ipſa diuerſa, lente collecta, differentias tumoris efficiunt: aer enim, ſerum tenue, plus minus corruptum et ichoroſum, vel etiam viſcida et ſpiſſior pituita, ſanguis, vaſa arterioſa et venoſa nimium diſtendens, variam omnino tumorum indolem nobis ſiſtunt, qua in re ſemper ad partes etiam continentes, vaſa, contextum celluloſum, et caua varia corporis reſpiciendum eſt.

§. 230.

Non tantum autem fluidae partes nimium collectae, ſed firmae quoque, e ſede ſua motae, tumores efficiunt; inteſtina enim et omentum hernias varias formant, aliaeque partes molles interdum vicinas partes diſtendunt, et ipſa oſſa, in fractis et luxatis e ſitu ſuo ſecedentia, partes vicinas tumidas reddunt: tandem quoque ſolidarum partium excreſcentiae et callus, tumores praeternaturales in corpore obſeruandos exhibent.

§. 231.

Cum itaque vel fluidi praeternaturalis collectio §. 229, vel ſolidi e ſede ſua receſſio, et augmentum §. 230, tumores efficiant: cauſſam proximam praecipue in errore loci ponere poſſumus, ad quam efficiendam aliae remotae, et praediſponentes, et occaſionales, in ſolidis et fluidis partibus accedunt.

§. 232.

§. 232.

Solidae nimirum partes aut ſolutionem vnitatis patiuntur, per quam fluida ex limitibus praeſcriptis ſecedunt, colliguntur et ſtagnant, vel nimia partium laxitas efficit, vt cauitates variae, praeter modum diſtentae, plus humoris ſuſcipiant: in vtroque genere partes firmae etiam e ſede recedunt. Nimis rigidae quoque fibrae, vicinas partes prementes, has ad duritiem et callum diſponunt.

§. 233.

Fluidae autem partes vel ob copiam moleſtae ſunt et ſolidas diſtendunt, vel idem praeſtant, poſtquam acrimonia ſua, in vaſis lymphaticis praecipue, eroſiones effecerunt, vel nimis ſpiſſae et ad circulationem et reſorptionem ineptae redditae, colliguntur: hinc ſtagnando magis magisque condenſantur, ob ſiccitatem inde oriundam a corruptione putrida nonnunquam praeſeruantur, et tantum quieſcendo vicina caua comprimunt, ideoque augmenti tumoris cauſſa ſunt.

§. 234.

Occaſionales cauſſae variae ſunt: tenſio partium ſolidarum varia, indeque oriunda nimia earundem diſtenſio et ruptura; quies nimia humorum in vita ſedentaria; victus viſcidus, lenteſcens; potus ſpirituoſus vel vappidus; coagula humorum ex nimio calore et frigore, omnesque cauſſae, quae deprauatas fluidorum mixtiones, ſanguinem, ſerum et lympham inquinantes, efficiunt, ideoque liberam circulationem et aptam elaborationem humorum impediunt.

§. 235.

Praecipua tumorum ſymptomata ſunt, dolor et immobilitas. Ille quidem in lente coactis tumoribus vix obſeruatur, ſed in ſubito oriundis, euidentior

eſt, praeſertim ſi vicinae partes neruoſae ſint, ſpaſmo excitato, tenſionem moleſtam efficiant, q circulus ſanguinis et humorum porro impeditur, et tumores oborti augentur. Immobilitas vero ex ſitu partium vicinarum et magnitudine tumoris ipſius diiudicatur.

§. 236.

Ex his quoque ſigna tumorum petuntur, prout nimirum illi ex partis cuiusdam laeſione oriuntur, vel iam formati, functiones laeſas efficiunt. Attendenda potiſſimum ſunt ambitus, incrementum, tenſio, dolor, pulſatio, mollities, durities, fixitas, mobilitas et aliae conditiones, ſpeciali examine ſigillatim et accuratius diiudicandae.

§. 237.

Prognoſis ex cauſſis pertinacioribus, vel facile remouendis, ex conſtitutione aegri, quoad ſolida et fluida, ex ſede tumoris, vel in parte nobili, vel in eius vicinia, ex ſymptomatibus ſimul oriundis, vel leuioribus, vel vrgentibus, ex celeri vel lento incremento, aliisque cauſſis et effectibus deſumitur, quae omnia ſpeciali tumorum examine accuratius definiuntur.

§. 238.

Indicatio curatoria repoſitionem ſolidi, e ſede moti, et diſcuſſionem fluidi, praeter naturam collecti ac inſpiſſati, exigit; quo facto robur partium externis internisque auxiliis reſtituendum erit, ne noua partis dimotio vel fluidi collectio eueniat. Euacuatio fluidi ſtagnantis et ſeparatio tumoris, vel per medicamenta externa et interna, vel ſaepius ferramentorum ope, praeſtandae, et tunc temporis ſuſcipiendae ſunt, quando lenta diſcuſſio locum non habet. Palliatiua indicatio dolorem compeſcere iubet.

§. 239.

§. 239.

Quoniam autem ea, quae nunc in genere propoſuimus, ad varios tumores applicanda ſunt, de his, qui vniuerſales ſunt, et in diuerſis corporis partibus eadem ferme ratione oriuntur, in generali hac tractatione expoſituri ſumus; de particularibus vero, qui non niſi in quibusdam corporis partibus eueniunt, in ſpeciali morborum chirurgicorum examine acturi ſumus, principia tamen doctrinae hic explanata, et adiecta medendi methodus, ceteras tractationes maxime illuſtrabit.

§. 240.

Ad vniuerſales igitur hic accuratius pertractandos tumores referimus oedema, a ſeri ſtagnatione oriundum, et tumores, qui in tunica includuntur, et in variis corporis locis deprehenduntur: de lentis deinde glandularum obſtructionibus quaedam addimus, et aneuryſma tandem, ceu tumorem arteriae, et varicem, qui tumor venae eſt, praecedentibus ſubiungimus.

§. 241.

De tumoribus oſſium, et de herniis ſpuriis et veris, hic quidem in genere agendum eſſet, ſed has tractationes et ad morbos oſſium, et ad morbos abdominales aptius referri poſſe, nobis perſuaſum habemus. De emphyſemate, tumore ſcilicet aereo, inter ſymptomata vulnerum pectoris acturi ſumus; de tumoribus cutis, oculorum, aliarumque partium, in particulari tractatione paſſim quaedam propoſituri, et ex generali doctrina declaraturi ſumus.

✽ ✽ ✽

CAPVT

CAPVT II.

DE OEDEMATE.

§. 242.

Oedema eſt tumor cutaneus *) ſine inflammationis ſignis conſpicuus §. 34, pallidus, frigidus, ſine dolore et pulſatione, facile etiam mutabilis, cum pro ſitu partium et cauſſis mox augeatur, mox imminuatur, mox etiam in hunc vel illum locum cedat.

*) Integumenta communia et contextum celluloſum praecipue occupat, ſed et in partibus ſimilis fabricae ſaepe deprehenditur, v. c. in faucibus, vbi anginam oedematoſam ſiſtit.

§. 243.

Cauſa proxima in ſeri collectione et ſtagnatione poſita eſt, quod quidem in ſano corporis ſtatu blandae et quaſi lymphaticae naturae eſt, in celluloſo contextu et vaſis lymphaticis haeret, et ducitur, et ex illo demum reſorbetur, in his lentius mouetur; in morboſo vero vel magis tenue et aquoſum, vel viſcidum et pituitoſum effunditur et languidius circulatur, in ſummo tamen morbi gradu ad plenariam ſtagnationem diſponitur.

§. 244.

Solida laxa et debilia, fluida ſpiſſa et immobilia atque etiam tenuia, per ſeroſas excretiones non ſatis eliminanda oedemata inducunt; in primis vero lentor ſanguinis, in venis regredientis, attendendus eſt, quippe qui reſorptionem ex vaſis ſeroſo lymphaticis et cellulis impedit, ſanguini tamen per arterias ducto non ita reſiſtit, vt inflammatoria ſtaſis effici poſſit.

§. 245.

§. 245.

Licet autem hic ipſe lentor ab inertia ſolidorum et inprimis languida circulatione vnice pendere videatur, tamen ad humores plus minusque vitiatos ſimul reſpiciendum eſt, qui quidem ex particulis, in elaboratione humorum vniuerſali non ſatis ſubactis, viſcidis et acribus, vel inſpiſſantur, vel attenuantur. Cum autem in inſtitutionibus pathologicis (i. m. §. 940, ſeqq. §. 1018, ſeqq §. 1191, ſeqq.) et in medicina clinica (m. c. §. 451, ſeqq. §. 466, ſeqq) de cacochymia pluribus egerimus, repetitione non opus eſſe iudicamus.

§. 246.

Quod ſi vero hae cauſſae vniuerſales vel non adſint, vel leuiores, nec tumoribus his inducendis ſufficientes inueniantur: infarctus tamen et obſtructiones viſcerum internorum, regreſſum ſanguinis et ſeri ab extremitatibus impedientes, adduci merentur; particulares porro, inprimis venarum compreſſiones, oedemata in morbis chirurgicis ſaepius occurrentia ſiſtunt. Vti enim in grauidis a mole vteri extenſi oedemata pedum frequentiora ſunt, ſic ab oſſibus fractis, ab his et aliis partibus e ſede motis, a compreſſione ferularum et faſciarum, a tumoribus variis glandularum, cet. eiusmodi tumores oedematoſi ſaepiſſime oriuntur.

§. 247.

Interdum perſpiratio impedita in vaſis ipſis lymphaticis cauſſa diſtenſionis et oedematum eſſe ſolet, quia ſuperfluus humor non expulſus in cellulas vicinas deriuatur; hinc a frigore, magis tamen a calore nimio, partibus applicato, oedema oritur. Simili ratione moleſtae vrinae retentiones ſeri copiam augere,

eandemque ad celluloſos contextus vario modo deiicere poſſunt.

§. 248.

Oedemata autem vel molliora ſunt, vel duriora: in illis foueae, digitis impreſſae, diu ſubſiſtunt, in his cutis facile eleuatur: in illis enim relaxatio et debilitas ſolidorum, et ſaepe extrauaſatio ſupponi poteſt, in his vero ſolidae partes adhuc ſatis validae ſunt, et a copia humoris collecti tantum diſtentae deprehenduntur. Tranſitus oedematis ad varias hydropis ſpecies (m. c. §. 466, ſeqq.) a nobis declaratus eſt, ſimiles vero mutationes in particularibus morbis chirurgicis deſcribendis commemorabimus.

§. 249.

Ab inflammatorio tumore oedema facile diſtinguitur, §. 242, hoc tamen interdum eryſipelate accedente mutatur, et tunc ex ſignis mutatis dignoſcitur; ſi vero, vt interdum fieri ſolet, oedema vulneribus accedit, ab emphyſemate omnino ex defectu ſtridoris aerei in hoc tumoris genere percipiendi diſtinguitur.

§. 250.

Oedemata, poſt graues morbos ex imbecillitate relicta et oriunda, inſtauratis iterum per victum et medicamenta viribus, vtplurimum diſſipantur: quae vero grauioribus morbis non prorſus tollendis, vel imperfecta criſi iudicatis, adiuncta ſunt, lentorem humorum et relaxationem ſolidarum partium vix ſuperari poſſe indicant, tandemque in anaſarcam et alias hydropis ſpecies mutantur, vt in ictero grauiore, aut tabe, haud raro cognoſcimus.

§. 251.

Partes, quae humidis epithematibus, iisque ſaepius ex negligentia nimium refrigeratis, tractantur, fre-

frequenter oedemate afficiuntur, quod tamen, niſi a corporis diſpoſitione ſimul pendeat et augeatur, mutata medendi ratione facile cedit. Si in vulneribus naſcitur, ſaepius bonam ſuppurationem impedit, ideoque, niſi cauſſa tolli vel mitigari poſſit, facile gangraenam inducit. Tumoribus, venas comprimentibus, accedens oedema non niſi cum tumore ipſo tollitur.

§. 252.

Curatio, externis remediis praeſtanda, exigit, vt ſeri nimia copia collecta diſcutiatur, et fibris diſtentis robur iuſtum reddatur. Tenendum tamen omnino eſt, externa diſcutientia et roborantia remedia non tuto applicari poſſe, niſi interna corporis diſpoſitio, quae oedemata fouet, internis remediis ita correcta ſit, vt liberum humorum circulum iuuet et expediat.

§. 253.

Solidorum itaque et fluidorum vitia vniuerſalia ex conſtitutione cuiuslibet aegri diiudicanda et corrigenda ſunt. Cum autem abundantia humorum ſeroſorum oedema foueat: ante omnia de euacuatione aluina, quae aegrotantium viribus conueniens ſit, vel alia ſeroſa, eaque ſatis valida, cogitandum eſt, quo poſtea cardiaca et roborantia remedia propinari queant.

§. 254.

Diſcuſſio oedematum per calorem moderatum externe applicatum optime efficitur: pedes potiſſimum corporibus duris, v. c. ligno querno, vel lateribus calidis imponuntur, haec tamen, quia nequeunt accommodate ad corporis ſuperficiem flecti, minus apta videntur. Arena calida, vel potius furfures, aut ſcobs ligni querni, partibus vel immediate, vel

in ſacculis applicata, praeſtantiora ſunt, calorem enim diu ſeruant, et nonnunquam blandam perſpirationem mouent. Caue tamen, ne calidis his, etiam ſiccis, nimis applicatis, relaxationem partium, quae ab humido calore alias pendet, augeas.

§. 255.

Efficacius agunt epithemata ſicca, ſi furfuribus pulueres plantarum diſcutientium, abſinthii, rutae, ſabinae, radicis bryoniae et cyclaminis, vel ſimilium, aromatica et non nihil ſtimulante vi praeditarum, addantur. Cataplaſmata ex his parata maiori quidem diſcutiendi vi pollent, ſed cauendum omnino eſt, ne humiditate noceant, quod etiam in balneis partialibus, cum ſcoriis aliisque diſcutientibus et adſtringentibus medicamentis paratis, notandum eſt.

§. 256.

Sudor etiam in balneo vaporis ſiue laconico cum fructu elicitur, ſi nimirum partes tumidae ſuper ſpiritum vini accenſum ponuntur. Rebellia faepius et chronica oedemata ſtillicidio ſolutionis ſalis ammoniaci, addito aceto, vel in thermis embroche, *Douche* dicta, diſcutiuntur, quae frictione in hoc effectu adiuuantur, inprimis, ſi tum temporis interna curatio et ſtrictior diaeta accedat.

§. 257.

Curatio oedematum, in quibus diſcuſſionis initia apparent, roborantibus medicamentis additis multum adiuuatur; quapropter etiam pulueres plantarum adſtringentium, ſaniculae, alchimillae, radicis biſtortae pentaphylli et tormentillae, epithematibus ſiccis admiſcendi ſunt, non neglecto tamen robore per interna remedia praeſtando. Suffimigia etiam ex plantis aromaticis et gummatibus, ladano, ſandaraca, myrrha et ſuccino, vel per ſe, vel pannis laneis

aſperis

aſperis excepta et applicata, negligenda non ſunt. Forte etiam vapor aceti aromatici commendari poſſet.

§. 258.

Frictiones, ſi quae tentari poſſunt, et ſtagnans ſerum optime diſcutiunt, et partibus robur addunt; cum autem frictio non ſemper continuari queat, praeſtat omnino partes faſcia conſtringere. Haec vero tunc demum applicanda eſt, quando aliqua diſcuſſionis ſpes apparet, et excretio ſeri per colatoria apta efficitur. Faſcia etiam ita circumducenda et per aliquod tempus relinquenda eſt, ne humori expulſo nouus acceſſus concedatur.

§. 259.

Oedema, quod ad vulnus vel vlcus acceſſit, externis his remediis ſaepe parum commode tractatur, quare vulneris vlcerisque potior habenda eſt ratio, hisque recte ſanatis videndum, quatenus illis remediis contra oedema vti liceat. Ceterum, quamdiu vulnus adeſt, oedema epithematibus, ex vino rubro cum lithargyrio et gummi reſinoſis roborantibus, v. c. myrrha et anime coctis, coerceri poſſe putatur.

CAPVT III.

DE TVMORIBVS, QVI TVNICA INCLVDVNTVR.

§. 260.

Seroſi humores, in oedemate ſtagnantes, vel in minoribus vaſis iuſto lentius mouentur, vel in vniuerſo contextu celluloſo partis cuiusdam effunduntur: ſpiſſiores vero humores, inter cellulas quasdam comprehenſi, et magis magisque aucti, earum parie-

tes diſtendunt, hos calloſos reddunt, et ita velamentum proprium formant, quo limites ſtagnantis humoris definiuntur. Hi cyſtici ſiue tunicati tumores vulgo dicuntur.

§. 261.

Si geneſin horum tumorum attentius conſideramus, ad formationem membranae includentis, et humoris collecti indolem, praecipue reſpiciendum erit: in priori enim natura tumoris peregrini, in contextu celluloſo ſano formandi, vere poſita eſt, ex altera autem differentiam cognoſcunt chirurgi.

§. 262.

Caua contextus celluloſi, quae in principio exigua quadam humoris non reſorbendi copia diſtenduntur, preſſione humoris immobilis verſus parietes, ſaepe ita calloſa fiunt, vt vlterior reſorptio humoris ex cellula deriuandi prorſus impediatur. Similem vero ob rationem ſaepius noui etiam humoris acceſſus vix vllus eſt, et parua illa granula, quae in pinguedine haerent, vix attenduntur, aut, etiamſi quodammodo increſcant, diu quoque ſine multo incommodo feruntur.

§. 263.

Cum autem partes contextus celluloſi obſtructi in loco quodam ſitae ſunt, vbi continua agitatio et preſſio fit, per quam affluxus humoris noui allicitur: tunc velamentum includens diſtenditur, et, cum in omnibus membranis, ex contextu celluloſo natis, fibrae ex condenſatione glutinis intercurrentis auctae et compactiores reddantur, membrana, talem tumorem includens, denſa et ſaepe prorſus calloſa euadit.

§. 264.

§. 264.

In his partibus vaſa lymphatica, et adducentia, et reſorbentia, deprehenduntur, quae diſtenta humoris affluxum augent et regreſſum cohibent. Ipſa vero vaſa lymphatica ſaepius diſtenta primum tumorum tunicatorum genus, hydatides ſcilicet, efficere poſſunt, quae ſpongioſorum inprimis viſcerum ſuperficiebus nonnunquam adhaerent, et veſiculas variae figurae ſiſtunt, in quibus tumor vel limpidus vel ſanioſus cogitur: denſiores autem tumores tunicati ex his formari nequeunt.

§. 265.

Ad ipſam vero tumorum, tunica incluſorum, geneſin et augmentum haec vaſa lymphatica multum conferunt. Cum enim lenta fiat expanſio, aliquis in illis circulus humorum remanet, qui per vaſa lymphatica ſuſtinetur, dum interdum adhuc boni, interdum autem plus minus corrupti humores adducuntur, et impedimentis obiectis, ſubſiſtunt augenturque: reſorptio enim per vaſa reducentia non, vt decet, perficitur.

§. 266.

In internis corporis cauis, in primis in abdomine, glandulae conglobatae obſtructae geneſi tumorum anſam praebent. Nunc quidem de ipſis glandulis obſtructis non loquimur, ſed de magnis et denſis hydatidibus, quae in meſenterio aliisque abdominis partibus oriuntur, et hydropis ſaccati cauſa ſunt (m. c. § 470,). In cute autem, inprimis circa contextum cellulolum, qui radices pilorum ſuſcipit, (i. m. §. 459,) alii tumores naſcuntur: ex his enim paruis folliculis ſaepe humor viſcidus et tenax exprimitur, rurſusque colligitur. Cum tamen illi oſtio externo praediti ſint, rarius in tantam molem ex-

 creſcunt,

creſcunt, quanta eſt tumorum tunicatorum, in profundiore contextu celluloſo ſitorum.

§. 267.

Ex contenta materia, liquida vel magis ſpiſſa, differentiae tumorum vulgo definiuntur. Aquam enim plus minus limpidam vel ſanioſam hydatis; ſpiſſum, ſed fluidum humorem meliceris; minus fluctuantem, pulticulae ſimilem, atheroma; denſum, pinguedini frigidae ſimilem, ſebaceum, ſteatoma continet. Accedunt interdum contenta aliena, concretiones durae, fibroſae, piloſae, calculoſae et oſſeae, quid quod in vnius tumoris diuerſis loculis ſaepius duplex materia deprehenditur.

§. 268.

Cauſſa proxima in diſtenſione valida caui cellularis, vel vaſis lymphatici, poſita eſt. Diſponuntur ad hanc mutationem corpora, quae viſcidioribus ſuccis ſcatent, qui, vt in aliis ſaepe ad viſcera coniiciuntur, in his, praecipue obeſioribus, ad habitum ſubcutaneum ducuntur. Sicut enim in his ſaepius cutis efflorescentes puſtulas oſtendit, ſic ſimilis etiam materia in cellulas cogitur, tunc ſubſiſtens, quando reſorptio impeditur.

§. 269.

Praecipue igitur ad occaſionales cauſſas reſpiciendum eſt. Saepe enim ſucci vitiati acres, qui, v. c. in ſcabie et tinea, ad ſuperficiem cutis deriuantur et eliminantur, ex parte in his cellulis ſubſiſtunt. Occaſionalis autem incrementi cauſſa, vel in aliqua preſſione, vel in rudiore frictione, poſita eſt. Cum enim nonnulli eiusmodi tumores agitando diſcutere tentent, humores magis alliciunt, colligunt et condenſant, velamentum calloſum reddunt, atque ita eum finem

ſinem non attingunt, quem in humoribus reſorptioni aptis aſſequimur.

§. 270.

Quae ex tumoribus eiusmodi oriuntur incommoda, in principio leuiora ſunt. Nam, cum lente augentur, eorum pondus quaſi ex conſuetudine fertur; vbi vero mole increſcunt, vel vicinae partes ſimili modo intumeſcunt, aliaeque comprimuntur, tunc non tantum pondere ſuo moleſtae ſunt, ſed et motum impediunt, praeſertim ſi ad articulos collocentur, vel maiores vaſorum tractus comprimant, et nonnunquam oedema coniunctum habent.

§. 271.

In externis partibus ſigna diagnoſtica tumorum tunica incluſorum facile colliguntur. Quando enim tactu diſquiruntur, ſedem, ambitum, et interdum materiae contentae indolem euidenter produnt. In internis autem partibus difficilior longe redditur diſquiſitio, cum ſaepius nil niſi ſitus ex cognitione anatomica, et ex diſtenſione partium adiacentium, et laeſis inde actionibus, quodammodo definiendus ſit. Ab oedemate, quod late diffunditur, velamento circumducto, ab aneuryſmate, defectu pulſationis diſtinguitur.

§. 272.

Si tumor tunicatus vel exiguus eſt, vel intra limites contineri poteſt, tunc, cum ſeparationem nihil vrgeat, non opus eſt chirurgi manu. Nam quando, v. c. paruulus eſt, et ad radicem pilorum tantum haeret, ſpiſſam materiem exprimere ſinit, quae lente iterum colligitur, §. *266.* Si vero ex deprauata humorum indole et ex peruerſis, frictione inprimis applicatis, remediis mouetur, et augetur, ſuperueniente inflammatione, in vlcus haud raro

mutatur, quod vel carne fungoſa excreſcente moleſtum redditur, vel ad carcinomatis indolem tranſit, atque ideo triſtia ſymptomata, mortemque ipſam accelerat.

§. 273.

Indicatio curatoria hos tumores diſcutere iubet, quod tamen, ſi vnquam, non niſi in principio fieri poteſt, ſi nimirum humores corporis ſani, vel internis remediis correcti ſint, et euacuantibus blandis deriuentur: interea vero humor, in tumore contentus, emplaſtro diſcutiente mobilis, et ad reſorptionem aptus reddi debet. Emplaſtrum diachylon cum gummis, vel malacticum, cum diaphoretico malaxatum, egregiis viribus pollent.

§. 274.

Ab hac curationis ratione deſiſtendum eſt, ſi emplaſtro applicato tumor magis et cum aliqua duritie increſcit, nec vllo modo decreſcit. Minus enim conuenit, efficaciora cataplaſmata, emollientia et diſcutientia, cum frictione applicare, quippe quae tumorem mouent, et materiam contentam ex cute emollita, vel rupta, vel inciſa ex parte, educunt, velamentum tamen ipſum relinquunt, ideoque nouae collectioni anſam praebent.

§. 275.

Si tumor peruerſa hac medendi ratione ruptus fuit, nec adeo inſignis molis eſt, digeſtiuis cauſtica remedia adiungenda ſunt. Lapis enim infernalis tritus, vnguento aegyptiaco, vel balſamo ARCAEI, exceptus, immittatur, vel ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viua paratus in cauum iniiciatur, quo, inflammatione mota, folliculus ſuppuratione deſtruatur, qui ideo nonnunquam, variis inciſuris factis, ad ſuppurationem diſponendus eſt.

§. 276.

§. 276.

Caue tamen, ne digeſtiuis, ſuppurationem efficientibus, nimium applicatis fungoſae carnis incrementum nimis acceleres, quae, quo celerius creſcit, eo difficilius coercetur. Quod ſi vero cauſticis nimium tentetur folliculus, carcinomatica vlcera generantur, quae ſcalpello difficilius, quam ipſi tumores tunicati, reſcinduntur. Nec folliculi particulam relinquas, quae certo efficit, vt tumor recrudeſcat.

§. 277.

Separatio parui tumoris ſcalpello perficienda facilis eſt, magni autem ardua quidem, ſed, dummodo ille in apto loco haereat, tuto ſuſcipitur. Vetat eandem ſitus in vicina parte nobili, vbi, v. c. arteria et neruus ſimul laeduntur: glandula quoque vicina indurata, vel tumida tantum facta, difficilem reddit ſeparationem. Vires praeterea, longo morbo, in imbecillis potiſſimum, imminutae, certiſſimum contraindicans ſunt, cum ſuppuratio, quae ſemper hanc quoque operationem ſequi debet, non ex voto ſuccedere queat.

§. 278.

Exſtirpationem etiam interdum nimis magna moles tumoris impedit, praeſertim, ſi ille lata baſi adhaereat, et cutis multum vitiata ſit: tunc enim cicatrix aegre formatur, et fungoſa caro facile ſuccreſcit. Venae quoque varicoſae, circa tumorem a compreſſione oriundae, difficilem, immo non raro impoſſibilem, reddunt exſtirpationem, cum ex his inſignis ſaepe ſubſequatur haemorrhagia.

§. 279.

Inciſio per cutim fiat, ea tamen cum attentione, ne folliculus tumorem cingens laedatur *), et licet vel

vel cruciata, vel longitudinalis, ſuper tumorem producta, non prorſus improbanda ſit, ea tamen, quae a latere fit, integumentis non nihil diductis, eius ſeparationi maxime accommodata eſt. Sanguis ex vulnere fluens ſpongia madida, vel ſpiritu vini irrorata, abſtergatur, quo chirurgus ad partes ipſas adiacentes melius attendere queat.

*) Laeſo folliculo, difficilior eſt exſtirpatio, cum ille concidat, maxima tamen cum cura continuanda eſt operatio.

§. 280.

Si tumor in contextu celluloſo laxius haeret, facilius ſeparatur, et quaſi deglubitur; ſi vero, id quod haud raro euenire ſolet, radicibus denſis dimiſſis, et in pinguedine ſpiſſa non nihil dura haeret, difficilius tollitur, cum continuatae inciſiones maxima cum cura inſtituendae ſint. Attendendum enim eſt, vt radices in pinguedinem actae, quantum fieri poteſt, praeſcindantur, interea tamen arteriis et neruis, atque etiam ipſis venis maioribus, aliisque partibus, ſi quae occurrunt, parcatur, et prudenti ſemper feſtinatione exſtirpatio ſuſcipiatur.

§. 281.

Tumore ſeparato, niſi magna haemorrhagia vrgeat, quae attentam compreſſionem, vel ligaturam vaſis diſciſſi exigit, cauum, in quo tumor haeſit, accurate diſquiratur, ne pars tumoris, vel alia vicina indurata, relinquatur *), qua re tumori denuo excreſcenti, vel carni fungoſae generandae occaſio praebetur. Quae diſquiſitio et ſeparatio, etſi in ipſa operatione optima eſt, interdum tamen, ſi cum damno aegri ſuſcipi videtur, ad ſuppurationis initia differatur.

*) Pin-

*) Pinguedo circa tumorem interdum paulo durior eſt, ſed ſuppuratione mota emollitur, hinc diſquiſitio attentum et exercitatum exigit chirurgum.

§. 282.

Cauum autem, quod tumor occupauerat, linteolo obtegitur, et linteo carpto poſtea immiſſo repletur, faſcia, vt decet, iniecta. Suppuratio, quae poſt aliquot dies ſuccedit, digeſtiuis haud adeo pinguibus iuuatur, quo cauum purgetur, et cutis, quae mox in principio adducenda eſt, ad aptam cicatricem formandam diſponatur. Haec ex aliis doctrinae noſtrae capitibus patent, et quae de ſingularibus tumoribus, v. c. oculi, cet. moneri poſſunt, in ſpeciali tractatione paſſim adiicientur.

CAPVT IV.

DE LENTIS GLANDVLARVM OBSTRVCTIONIBVS.

§. 283.

Praecipua quidem monita, quae hanc doctrinam ſpectant, in tractatione de inflammatione glandularum, §. 184. ſeqq. iam propoſita ſunt; cum autem ibidem de ſcirrho ex inflammatione oriundo agatur, et nunc de alia quodammodo ſimilis morbi geneſi, ex lymphaticis humoribus plus minus vitiatis, circa glandulas earumque interſtitia obſeruanda *), diſſerendum ſit, nonnullae huic loco propriae diſquiſitiones non negligendae ſunt.

*) Bubonis vocabulum, quod glandularum inguinalium tumori, inprimis inflammatorio, tribuitur, quoniam interdum etiam de glandularum axillarium tumore vſur-

vſurpatur, huc forte tanquam generale referri poſſet, noluimus tamen nomen minus adhuc definitum introducere.

§. 284.

Glandulas conglobatas, in variis corporis partibus diſperſas, chylum et lympham ſuſcipere, diluere, elaborare, et nouae nutritionis cauſſa in ſanguinem mittere, phyſiologia docuit (i. m. §. 231, ſeqq.). Si itaque lympha particulis viſcidis acribus, aliisque peruerſe mixtis vitiata deprehenditur, nec nouis iisque bonis humoribus accedentibus ſatis diluitur, vel per vlteriorem motum corrigitur, in cellulis et interſtitiis harum glandularum ſtagnat, et hos tumores efficit.

§. 285.

In corporis internis ſedibus, v. c. in meſenterio, praecipue tamen in externis partibus, in inguine, circa alas, et colli latera, cet. tales glandularum tumores occurrunt, quorum humor vitiatus ſaepe adhuc mobilis eſt, et, vti in ſano ſtatu fieri ſolet, ex vna glandula in alteram tranſit. Hi tumores in principio molliores ſunt, paulo poſt duriores fiunt, et haud raro in veros ſcirrhos mutantur. Ergo primum vagi ſunt, deinde fixi redduntur.

§. 286.

Cum tumoribus tunica incluſis multum ſimilitudinis habent: contextus nimirum celluloſus circa glandulas denſior fit, et ita quaſi proprium velamentum efficit, materia autem ſtagnans non quidem ſemper in intimis glandularum glomerulis haeret, ſed praecipue interſtitia cellularia, quae hos glomerulos coniungunt, occupat, et vel tenuis, vel ſpiſſa magis eſt, interdum etiam ſebaceam indolem habet, vt in ſteatomate.

§. 287.

§. 287.

Quousque igitur haec materia, quodammodo ſtagnans, mobilis interdum et reſorptioni iterum apta eſt, ex vna glandula in alteram mouetur, quod potiſſimum in glandulis puerorum, in collo aliisque locis tumidis redditis, obſeruatur. Cum enim pueri creſcunt, nec in incremento ſaepius celeri, praeſertim ſi errores in victu committantur, humor lymphaticus ſatis elaboratur: glandulae hae intumeſcunt, et germanice *die Wachsdrüſen* dicuntur. Materia tamen ſtagnante, per cauſſas acceſſorias nimis ſpiſſa reddita, tumor fixus in vna alteraque glandula ſubſiſtit, et ita tumori, tunica incluſo, ſimilis redditur.

§. 288.

Cauſſa proxima in lympha viſcida et immeabili, per glandulas non ſatis attenuanda (i. m. §. 231, ſeqq.) ideoque ad eorundem contextum cellulosum depoſita et quieſcente, quaerenda eſt. Omnes igitur, qui ſolida laxa, fluidaque ſpiſſa et immobilia habent, nec humores ad nutritionem ducendos rite digerunt, in morbum hunc procliues ſunt, v. c. infantes et obeſi, inprimis, quod ſaepius fieri ſolet, ſi humoribus difficulter motis acrimonia accedit.

§. 289.

Et cauſſae occaſionales indicandae ſunt, quae huc multum conferunt: aer impurus, victus glutinoſus, et facile aceſcens farinaceus, lacticinia in coagulum prona, potus vappidus, aceſcens, foeculentus, praecipue ſi, praeter nimiam in quietem et ſomnum propenſionem, defectus exercitii corporis accedat, et moeror atque triſtitia vires corporis infringant.

§. 290.

His inter ſe collatis ſigna diagnoſtica cognoſcuntur. Prognoſis, in qua potiſſimum ad differentiam

rentiam ſubiectorum reſpiciendum erit, varia eſt. In puerili aetate morboſa ſtaſis, ſeruata accuratiori diaeta in victu et reliquis rebus non naturalibus, vernali potiſſimum tempore, facile reſoluitur et prorſus diſſipatur: quod ſi minus eueniat, vt plurimum cachecticus corporis ſtatus ſubſequitur. Aperitur tamen in his ſaepe alia, eaque vlceroſa excretionis via: haud raro enim materia viſcida et acris ad glandulas meatus auditorii, vel quoque pone aures, vel ad radices capillorum, perſpirationem multum adiuuantium, deducta, tineam inducit.

§. 291.

Namque tinea eſt morbus radicum pilorum (i. m. §. 459.), in quo viſcida et acris lympha ad fontes humoris cutim inungentis deducitur, ibidemque ſtagnat, et tandem exulcerationes efficit, quibus radices pilorum ita corrumpuntur, vt non niſi capillis radicitus euulſis, et interea humoribus correctis, morbus diſſipetur; quo quidem facto, ſi modo diaetae ratio porro habeatur, noui pili creſcunt, qui denuo perſpirationem iuuant.

§. 292.

Et iuuenes ſaepius relictos a puerili aetate, vel per vitia diaetae denuo inductos, tumores glandularum habent, qui aptis remediis interdum reſoluuntur et diſcutiuntur, interdum tamen viribus vitae conſtantibus, abſceſſu formato, tolluntur. Ac tum quidem ſaepe non pus bonum, ſed ſanioſum, et non raro corpuſculis granuloſis refertum, excernitur, ab vſu tamen cicutae bonam interdum ſuppurationem expectari poſſe cognouimus, §. 225. Vlcera inde relicta aegre quidem depurantur, nonnunquam tamen, cicatrice licet foeda inducta, conſolidantur, nec, correctione humorum facta, amplius recrudeſcunt.

§. 293.

§. 293.

In adultioribus obeſis hoc interdum quoque accidit, licet conſolidatio vlcerum longe difficilior reddatur; in corporibus autem ſiccioribus, praecipue ſenilibus, ſedes mali in quibusdam glandulis nati fixa redditur, quae quidem, cum in principio tantum tumefactae ſint, apta diaeta et interna medendi ratione adhibita, diu perſiſtunt, ſtaſi tamen aucta et affluxu ad has partes maiori facto, et tenui ab initio lympha denſata, veros ſcirrhos relinquunt, §. 198. ſeqq. qui acrimonia accedente facile mouentur.

§. 294.

A ſcabie reliquisque puſtuloſis cutis exanthematibus retropreſſis glandularum lenti tumores haud raro oriuntur, quia viſcida et acris materia repreſſa in his praecipue ſedem figit. Alia quoque lymphae vitia v. c. contagium venereum, quod viſcidae lymphae iunctum eſt, morbum, quem tractamus, inducunt, quod in bubonibus, praecipue inguinalibus, vel inflammatis vel lente coactis, crebrius conſpicitur. Vti vero congeſtiones illae per ſimiles excretiones aliis in locis excitatas eadem ratione tolluntur, de qua in loco de tumoribus puerorum §. 290. 291 diximus, ſic in curatione morborum venereorum ad indolem et gradum contagii reſpiciendum eſt.

§. 295.

Quamuis vero nonnulli tumores facile externis remediis diſcutiantur et cedant, huic tamen diſcuſſioni non fidendum eſt, cum materia, ad excretionem non apta, ad internas ſedes ducatur, et infarctus ac ſcirrhos viſcerum inducat. Quemadmodum enim, excretionibus ſcarlatinis ſimilibusque repreſſis, infarctus et ſcirrhos pulmonum effici diximus

(m. c. §. 170): ſic materia glandulis impacta in pueris et adultis, externis iisque vehementioribus remediis diſcuſſa, in pulmones aliaque viſcera conuertitur.

§. 296.

Indicatio curatoria exigit, vt vniuerſa vitiata lympha medicamentis internis corrigatur, tumores poſtea medicamentis blandis diſcutientibus reſoluantur. Qui ſi ſubſiſtunt et fixi redduntur, de iis caute exſcindendis cogitandum eſt: ſin corpora blandis ſuccis, correctionem admittentibus, repleta ſunt, et tumores inflammatione mouentur, tunc vel per bonam ſuppurationem ex voto remouentur, vel exulceratione etiam accedente lente abiguntur. Si tandem deprauata humorum indoles eſt, in ſcirrhum ſaepe et carcinoma tranſeunt, veram autem medelam non admittunt.

§. 297.

De correctione lymphae vitiatae fuſius hic diſſerendum non eſt; paſſim enim de ea re diximus (i. m. §. 1474 ſeqq. §. 1524 ſeqq. m. c. §. 451 ſeqq. §. 511 ſeqq.) quamobrem ad externas tantum curationes indicandas nos conuertimus, et in vniuerſum monemus, ad has deueniendum non eſſe, niſi prius lympha internis remediis correcta ſit.

§. 298.

Si materia in glandulis tumidis iam mobilis eſt, calor moderatus pannis complicatis, vel ſacculis floribus chamomillae, herba ſerpilli, hyſſopi, cet. repletis, externe applicatis, humoribus ſtagnantibus diſſipandis ſufficit. Fortius agunt emplaſtra ſpiſſius illinita v. c. diachylon cum gummis, vel diaphoreticum cum malactico, vel ſaponatum cum balſamo ſulphuris RULANDI, et alia. Cataplaſmata autem,

licet

licet ex herbis diſcutientibus parata fuerint, ſaepe in hoc morbi ſtatu aliena ſunt, cum ſuppurationem facile moueant.

§. 299.

Vbi materia ſtagnans ita mota eſt, et aliqua inflammationis ſigna in parte glandulae vicina apparent, et ſimul cum bona humorum indole febris excitatur, tunc abſceſſum formari, et cum eo corruptas quasdam glandulae partes ſecedere poſſe ſperamus; remedia itaque alibi propoſita §. 101 ſeqq. applicanda ſunt, quo, pure moto, materia ſtagnans educatur, et depuratione facta, cicatrix inducatur §. 176.

§. 300.

Cum autem materia ſtagnans non ſemper in pus bonum conuertatur, ſed cum eo grumuli caſeoſae et ſpiſſae materiae excernantur, cum in aliis acris et ichoroſus humor ſimul effluat, et diuturna vlcera formet, curatio ſaepe difficulter et tardius efficitur: apta vero medendi ratione quoad diaetam et interna medicamenta continuata, adhibitis ſimul remediis externis in curatione vlcerum commendandis, tandem et haec vlcera cedunt, et cicatrice, licet ſaepe irregulari, clauduntur.

§. 301.

Ac hae quidem glandulae induratae et ſcirrhoſae factae interdum exſcindi poſſunt: caue tamen, ne operationem ſuſcipias, cum materia morboſa, quae tumoris cauſſa eſt, adhuc in corpore vaga oberrat, quae tunc ſaepe, vna etiam glandula remota, in aliam coniicitur et morbum reducit. In operatione ipſa vero ea attendenda ſunt, quae de tumoribus tunica incluſis monuimus. §. 277. ſeqq.

§. 302.

Tumor paruus, nec in ſede moleſta haerens, non tangendus eſt §. 272. Si porro, cum exſcindi nequeat, applicatis emollientibus non cedit, ſed creſcendo durior fit, his remediis non nimis vrgendus eſt §. 274 internis potius remediis, §. 297 commemoratis, quibus cicutae vſus iungi poteſt §. 225, diu continuatis, tractari debet. Externe emplaſtra ex gummi ſaponaceis, magis diſcutientia quam emollientia, adhibeantur, quibus et cicutae et hyoſcyami puluis, praeſertim ſi dolor nonnunquam vrgeat, addi poſſunt, quo carcinomatis certo ſubſequentis geneſis, quantum fieri poteſt, caueatur.

CAPVT V.

DE ANEVRYSMATE.

§. 303.

Tumor arteriae aneuryſma dicitur. Si nimirum ad arteriae cuiusdam tractum tumor oritur, qui eodem modo, vt arteria, pulſat, aneuryſma ſubeſſe percipitur; hoc tamen ſigno monitus chirurgus ad cauſſam, incrementum, atque ipſum ſitum tumoris reſpicere tenetur, antequam certum de eius indole iudicium ferat.

§. 304.

Ad cauſſam quod attinet, ſemper laeſio arteriae praeceſſit, quae tamen varia eſt. Si enim poſt validam quandam corporis et partis cuiusdam diſtenſionem ad ſedem arteriae, cui vis illa potiſſimum illata eſt, vel interdum poſt leuem inciſionem arteriae,

riae, ad cauum non penetrantem, rotundulus tumor ſenſim paulatimque oritur, qui digitis preſſus cedit, colorem cutis non mutat, et praeterea euidentius pulſat, ipſam arteriam in volumine ſuo diſtentam perſpicimus. Si vero poſt vulnus quoddam leue, v. c. in venaeſectione inflictum, tumor oritur, qui eleuatus, baſi tamen latior, inaequalis *) in principio cum ſtrepitu quodam percepto cedit, nec vehementer pulſat, tunc eundem ex arteria leui quidem, ſed ad cauum vsque penetrante vulnere affecta, inductum eſſe cognoſcimus.

*) Ecchymoſes a vena nonnunquam pertuſa et ſanguine, in contextum celluloſum effuſo, tumores quidem, ſed longe planiores et minus reſiſtentes ſiſtunt.

§. 305.

Ex hac diſquiſitione diſtinctio aneuryſmatis in verum et ſpurium omnibus probata declaratur. Arteria enim, tunicis ſenſim paulatimque diſtentis dilatata, tumor in ipſo arteriae volumine ortus verum aneuryſma dicitur; ſin ſanguis ex arteria, leui vulnere laeſa, quodammodo effluit, et in vicino contextu celluloſo cogitur, tunc tumor praecipue prope arteriam oritur, qui ſpurium aneuryſma appellatur.

§. 306.

Cauſſae veri aneuryſmatis occaſionales variae ſunt. Non tantum enim valida diſtenſio partis cuiusdam, arteriam in eo tractu ſitam ſimul afficit, ſed, ſi ea, excitata vehementi ſanguinis circulatione et pulſu aucto, a vi externa percutitur vel valide comprimitur, euidentius quoque laeditur. Interdum vehemens in vomitu et partu niſus arteriam laedit, et ita ſubſequenti dilatationi occaſionem praebet. Interdum oſſis fracti vel inſtrumenti cuiusdam im-

 petus

petus arteriae externam ſuperficiem vel laedit, vel comprimit, et ſimilem effectum producit *).

*) A laxatis membranis et aponeuroſibus arteriae proximis aneuryſma interdum oriri perhibent, cum vero hae membranae alias ob cauſſas facile cedant, et praecipua vis arteriae in tunica muſculoſa poſita ſit, haec cauſſa vix probari poterit.

§. 307.

Ad cauſſas praediſponentes plethora et cacochymia referri merentur. Illa non quidem abſolute, ſed per alias acceſſorias v. c. ſuppreſſiones haemorrhagiarum conſuetarum, fluxus menſtrui inprimis et haemorrhoidum, inducitur; haec vel vniuerſum ſyſtema arteriarum debilitat, cum omnes vitiati et morboſi humores partium corporis compagem relaxent, vel id in partibus praeſtent, ſi ad vicinas arteriae ſedes materia acris vlceroſa partiales eroſiones efficiat.

§. 308.

Arteriae ſanae ſubita ruptura rarius, nec niſi in partium vicinarum dilaceratione obſeruatur. Ea autem interdum in omni ambitu lente diſtenditur, v. c. aorta a polypo cordis et impedita inde circulatione ſenſim dilatatur. Sunt aliae quoque cauſſae, arteriae ab vno tantum latere applicatae, quae tumorem eius inducant, ita vt aneuryſma in ea deprehenſum, herniae quaſi ſimile, tumorem lateralem ſiſtat. Vti vero laeſio arteriae externa, ad cauum eius non penetrans, aneuryſma verum efficit §. 306, ſic, ſi quando omnes arteriae tunicae pertunduntur, laeſio cauſſa vnica aneuryſmatis ſpurii iudicanda eſt §. 304.

§. 309.

§. 309.

Aneuryſmata vera crebrius in internis, quam externis corporis partibus reperiuntur. Doloris ſenſus in lento eorundem ortu et progreſſu lenior eſt, hinc ad ſolam in loco quodam perceptam pulſationem vt ſignum reſpiciendum erit. Attamen ſi in magna quadam arteria, inprimis in pectore ſita, aneuryſma ortum fuit, pulſus inaequalis, inſolita anxietas et ſpirandi difficultas obſeruantur. Haec autem ſymptomata, a polypo aliisque pectoris incommodis non raro oriunda, diagnoſin difficilem reddunt, neque, ſi aneuryſma in arteria a corde remota oritur, haec incommoda ſemper percipiuntur.

§. 310.

Aneuryſma verum lente quidem increſcit, et ſaepe in inſignem molem aſſurgit, attamen humor per tunicas arteriae non exſudat, potius ſtagnando corrumpitur, et partes vicinas arrodit; ex lymphaticis quoque vaſis compreſſis et ruptis copioſior nonnumquam humor effunditur. Hoc ipſo autem, niſi curatio accedat, quae in internis ſedibus nulla eſt, diſtenſio ita augetur, vt tandem, ruptis tunicis, effuſio ſanguinis lethalis ſequatur.

§. 311.

Aneuryſma ſpurium celerius increſcit, ſanguis vero in vicinia arteriae effuſus et ſtagnans, cum preſſione nimis condenſetur, nec affluxu humorum bonorum diluatur, nec calore vitali reſoluatur, in ſuppurationem bonam non abit, ſed tandem putridus redditus, gangraenam inducit, quo facto curatio difficilis et medela haud raro prorſus deſperanda eſt.

§. 312.

Aneuryſma et verum et ſpurium celeri compreſſione interdum compeſcitur; quod ſi vero hoc auxilium applicari nequeat, arteria laeſa deliganda eſt, quas quidem medendi rationes nunc breuiter indicaturi, paulo poſt vero aneuryſma brachii accuratius examinaturi ſumus. Quoniam vero auxilia chirurgica, nec in internis ſedibus, nec tum, applicari poſſunt, cum vnica arteria ad partem nutriendam vehitur, nec denique amputatio partis vbique locum inuenit, quomodo morbus, qui curari nequit, protrahatur, ſimul oſtenſuri ſumus.

§. 313.

Aneuryſma recens, ſiue verum ſiue ſpurium ſit, dummodo eo loco ortum fuerit, vbi apta faſcia contineri poteſt, diſcuſſo per frictionem ſanguine, et compreſſione per plures dies facta, ita coercetur, vt arteria diſtenta robur acquirat, vel eadem vulnere laeſa, cicatrice inducta, confirmetur. Haec tamen medendi ratio non niſi in hominibus de reliquo ſanis applicanda eſt, qui conſtrictionem, cacochymicis magis moleſtam, ferre poſſunt.

§. 314.

Arteriam loco venae, quae ſecari debuerat, pertuſam eſſe cognoſcitur, ſi ſanguinis rubicundi et per interualla ſalientis effluxus, compreſſione ſupra vulnus applicata, ſiſtitur. Antequam itaque faſcia comprimens applicatur, largior ſanguinis effuſio admittenda eſt, quo circulatio eius in aegro languidior reddatur. Si vero eadem cauſſa exiſtente, tumor ad arteriam oriundus percipitur, eam tantum inciſam eſſe et ideo aneuryſma verum oriri poſſe perſpicimus; hinc ſecta in alio loco vena, et ſanguinis copia maxime

xime imminuta, tandem faſcia comprimens circumducatur.

§. 315.

In flexu cubiti, vbi aneuryſmata haud raro oriuntur, curationis ratio optime declaratur. Aneuryſma verum, etiamſi quodammodo adoleuerit, ita digitis alternis premendum eſt, vt omnis ſanguis, partem arteriae diſtendens, intra limites coerceatur; poſtea charta maſticata et ſuper eam corpus durum, linteolo obuolutum, ad tumorem nunc diſcuſſum applicandum, faſciaque ſurſum et deorſum ducta ita firmandum eſt, vt per quadraginta et plures dies membrum in ſitu tranquillo retineatur, quo hoc temporis ſpatio arteriae tunicae denuo robur iuſtum accipiant.

§. 316.

Ne autem plethora moleſta ſit, venaeſectione inſtituta vel repetita, copia ſanguinis imminuatur, et victu parco tantum nutriatur aeger. Eo praeterea reſpiciendum eſt, vt arteriae princeps ramus, brachialis ſcilicet, vel faſcia tortili, vel, cum hoc non continuo fieri poſſit, faſcia ipſa, aneuryſma muniente, ſurſum ducta et ſplenio ſuppoſito adſtricta coerceatur *).

*) vid. PLATNERI Inſtit. Chirurg. rat. §. 431. et 434.

§. 317.

Cum autem faſcia arctius adſtringenda ſit, metuendum omnino eſt, ne, ea diu relicta, a ſtagnantibus et inde corruptis humoribus gangraena oriatur: quo igitur circulatio ſanguinis in partibus lateralibus libera relinqueretur, machina tumorem tantum comprimens inuenta eſt. Lamina nimirum

 qua-

quadrata et plana quatuor angulis vincula annexa habet, quibus circa cubitum firmari poteſt, ſub lamina haemiſphaerium verſatile, elaſticum collocatur, quod tumorem cochlea plus minus adducta comprimit *).

*) vid. PLATNERI I. C. r. tab. II. fig. 10. haec praeſtantior eſt ea, quam HEISTERVS Inſt. Chirurg. Tom. I. tab. IX. delineauit.

§. 318.

Si verum aneuryſma his auxiliis coerceri nequit, vel ſpurium ipſum iam adoleuit, arteria laeſa detegenda et deliganda eſt. Etſi enim arteria brachialis, ante diuiſionem in flexu cubiti ligata, nutritionem partis anterioris tollit, et arteriae paruae collaterales huic praeſtandae vix ſufficere videntur: tantae tamen arteriae brachialis interdum altius diuiſae, et aliter in ramis ſuis excurrentis, obſeruantur varietates, vt hoc tentamen permitti poſſe videatur, praeſertim ſi ſitus arteriae laeſae, paululum a media parte recedens, quaedam ſigna arteriae duplicis in hac parte inueniendae praebeat.

§. 319.

Arteriae igitur brachialis trunco, in ſuperiori et interna humeri parte iniicienda eſt faſcia tortilis, quae globum comprimentem, ſplenio applicato et faſcia circumducta ſuper arteriam ita adaptat ,vt faſcia, nodo eius a latere externo facto, ſuper laminam denſam bacillo eo vsque contorqueatur,quo ſanguini nullus acceſſus ad arterias in brachio diſtributas concedatur *).

*) vid. PLATNERI I. C. r. §. 237. 240.

§. 320.

§. 320.

Omnis hic arteriam brachialem comprimens apparatus in machina quadam compoſita, *Tourniquet* ſiue torcular dicta, ita coniungitur, vt eadem bene adaptata effectum compreſſionis commode conſequi poſſimus. Arteria enim ipſa et oppoſita humeri pars tantum premitur, et ideo aliquis per reliquas partes circulus admittitur. Huius machinae fabrica et correctiones coram demonſtrandae ex variis quoque iconibus declarari poſſunt *).

*) PETITI torcular delineatur in Commentariis A. R. S. Pariſinae ad annum 1718. Edit. Amſtel. p. 254. tab. 7. varias quoque icones dedit HEISTERVS in Inſt. Chirurg. tab. V. fig. 2. 6. 7. tab. VI. fig. 1. vid. quoque PLATNERI I. C. r. tab. III. fig. 1.

§. 321.

Arteriae brachialis compreſſione ſuo loco facta, ſupra tumorem inciſio obliqua ſcalpello recto facienda eſt, quae ſuper ſpecillum ſulcatum ideo introductum, vel forfice, vel ſcalpello introrſum verſus humeri condylum, et extrorſum verſus radium continuanda eſt, quo facto etiam, ſi neceſſitas id ita exigit, membrana bicipitis muſculi tenſa transuerſim incidenda eſt, quo arteriae tumentis ambitus detegatur.

§. 322.

Ab arteria itaque ſeparetur vena neruusque vicinus, et enchireſi hac difficiliori peracta acus inuerſa, vel inſtrumentum huic vſui magis accommodatum *) ſub arteria immittatur, tribus filis, iisque ſatis fortibus, ſingulisque duplicatis inſtructa, quo arteria vno filo ſupra tumorem, altero infra eundem conſtringi queat, tertio libero relicto et ita demum

mum adſtringendo, ſi forte vinculum, quod ſupra tumorem eſt, impetui ſanguinis non ſatis reſiſtat. Arteriae vero panniculi applicandi ſunt, in quibus repoſitus ſit nodus, in quem fila colligata ſunt, quae ita fortius, quam ſuper arteria nuda adſtringi poſſunt.

*) vid. PLATNERI I. C. r. tab. III. fig. II.

§. 323.

Tumor arteriae in aneuryſmate vero tunc incidendus eſt, quo contentus ſanguis eximatur, et praeterea, quidquid vel ex arteriae tunicis, vel ex vicinis partibus calloſum et vitiatum eſt, caute ſeparetur. Chirurgi enim attentio eo dirigenda eſt, ne, quod in operatione ipſa praeſtari poteſt et debet, ad futurum tempus differatur: quamobrem praecipue in deligatam arteriam caute inquiratur, eaque rite conſtringatur, ne fila circumducta reſoluantur.

§. 324.

In aneuryſmate ſpurio omnis ſanguis congrumatus caute ſeparandus eſt, antequam enim arteriae ligatura iniiciatur, in vulnus eiusdem attente inquirendum eſt. Hoc, niſi protinus detegatur, faſcia tortili non nihil relaxata, et ſanguinis impetu paulisper admiſſo, ſe certo prodit, quo facto fila modo ſupra deſcripto, §. 322. accurate circumducantur et adſtringantur.

§. 325.

Omnibus itaque caute ſeparatis, et arteria ligata, vulnus ſpongia alkohol vini imbuta abſtergendum, brachiumque paululum flectendum eſt. Fila, quorum in ligatura vſus fuit, nunc apte diſponantur, duo minora ſplenia ad latus arteriae ponantur, et linamenta in vulnus ipſum ingerantur, additis poſtea

pannis

pannis gradatim maioribus, alius pannus in extremo fiſſus circa cubitum ducatur, deinde faſcia ipſa circumuoluatur, quae tandem ſurſum dirigenda eſt, quo per eam ſplenium ad brachialem arteriam appoſitum quoque firmetur. §. 316. Vid: Plan: I. C.

§. 326.

Cum autem propter hanc operationem et faſciarum apparatum paulo ſtrictius applicandum, interdum inflammationis grauioris, ideoque gangraenae metus oboriatur, praeter venaeſectionem, victum exiguum, potum tenuem, aliaque auxilia interna, externe quoque epithemata reprimentia ex herbis discutientibus, hyſſopo, ſcordio, cet. cum ſale ammoniaco, lithargyrio et aceto applicanda ſunt.

§. 327.

Maius periculum imminere videtur, cum manus extrema friget, et ideo, arteria principe deligata, membrum vix ſeruari poſſe oſtendit. Cum autem nonnunquam per arterias ſuperſtites laterales nouus circulus, nouaque vita partibus ſucceſſiue inducatur, et frictionibus, et epithematibus moderate calidis ex decoctis herbarum diſcutientium, vel ex ſemiſpirituoſis v. c. aqua vulneraria, circulus ſanguinis, quantum fieri poteſt, adiuuandus eſt.

§. 328.

His itaque auxiliis cum fructu applicatis, et calore moderato redeunte, faſcia diu et ad quartum vsque diem relinquenda, poſtea autem, admota prius faſcia tortili, ſoluenda eſt. Sed caute diſpiciendum, an linamenta per ſe cadant, et fila, quibus arteria ligata eſt, contractione arteriae ſufficienti facta, vel thrombo quodam formato, ſponte ſoluantur? nihil enim ex his temere mouendum eſt. Interea ipſius vul-

vulneris mutatio oſtendet, vtrum illud digerentibus remediis, an balſamicis magis ſanandum ſit.

§. 329.

Partes gangraena corruptae, vel defectus nouae circulationis, brachium torpidum et immobile relinquunt; tunc vero, antequam vires prorſus frangun-tur, amputatio, ſuo tandem loco a nobis deſcribenda, debet ſuſcipi, vt, quamquam triſti auxilio, vita hominis, ſi fieri poſſit, conſeruetur.

§. 330.

Quod ſi autem vulneris ſanatio ex voto ſuccedat, et libera humorum circulatio in brachio reſtituatur, membrum, quod hactenus quieuit, paululum mouendum, et corpus aegri languidum redditum ſucceſſiuo nutrimento reficiendum eſt. Torpor brachii, ſi quis relinquatur, frictionibus, fotibus calidis, vnguentis neruinis aliisque auxiliis ſenſim diſſipetur, quo, cum aliqua ſemper in his partibus debilitas remaneat motus tamen, quantum fieri poteſt, reſtituatur.

§. 331.

Quae de aneuryſmate in flexu cubiti oriundo nunc propoſuimus, normam exhibent chirurgo, ad quam curationem in reliquis quoque corporis partibus ſuſcipere poteſt, ſi auxilia nunc indicata ſimili quoque ratione in iis applicanda ſunt. Si vero ſitus partium auxilia hactenus deſcripta haud admittat, in vero aneuryſmate lethalis tandem ruptura, in ſpurio autem corruptio gangraenoſa certo ſequuntur.

§. 332.

Cum aneuryſma verum ſaepius lente increſcat, eo enitendum eſt, vt vita hominis, quamdiu fieri poteſt, protrahatur et conſeruetur. Ideo crebra venaeſectio, ſi vel maxime vires eneruet, inſtituatur,

victu

victu parco et molli, facile digerendo, aeger nutriatur, motus vehementior et niſus partium, aneuryſmati potiſſimum vicinarum, nunquam ſuſcipiatur. Omnibus tamen his conſiliis arteriae diſtentae ruptura et mors, ex improuiſo inde oriunda, euitari nequeunt.

CAPVT VI.

DE VARICE.

§. 333.

Varix eſt tumor venae praeternaturalis. Haec enim ſanguine ſpiſſo et in regreſſu retardato vltra modum diſtenta, et, cum valuulis diſtincta ſit, nodoſa et varicoſa redditur. Varices quidem frequentius in cruribus grauidarum occurrunt, (m. c. §. 443. ſeqq.) ſed et circa tumores varios, quibus venae maiores comprimuntur, laterales rami diſtenduntur, et moleſta ſymptomata inducunt.

§. 334.

Cauſſa proxima ſemper in lentiore regreſſu ſanguinis per truncos venarum poſita eſt: diſponuntur ideo ad has ſtaſes potiſſimum ii, qui ſanguine viſcido, craſſo, atrabilario praediti ſunt, nec corpus ſatis exercent. Occaſionalis ſemper certa eſt, compreſſio nimirum trunci vel rami maioris venoſi.

§. 335.

Varices autem ex his cauſſis oborti ſucceſſiue varia incommoda afferunt: primo ſcilicet pruritus et ardoris ſenſus obſeruatur, paulo poſt maior, inprimis circa valuulas et nodos venarum, oritur calloſitas,

loſitas, rumpuntur interdum, et, ſanguine effuſo, incommoda oborta ad tempus leuantur, interdum vero a ſanguine corrupto et ſtagnante vlcera naſcuntur, quae ſordida fiunt et difficilis curationis ſunt.

§. 336.

Si cauſſa comprimens non diu ſubſiſtit, vt in grauidis, vel ſi quis alius tumor compreſſionis cauſſa eſt, isque vel diſcutitur, vel exſtirpatur, preſſione ſublata, lentor ſanguinis et diſtenſio vaſis iterum ceſſant, et regreſſus cruoris in venis optime reſtituitur. Negandum tamen non eſt, varicoſa vaſa circa tumores oborta, horum exſtirpationem difficilem reddere. Si vero cauſſa comprimens remoueri nequit, varices diu durant, augentur, et haemorrhagias ſaepe moleſtas inducunt, v. c. in tumoribus et vlceribus cancroſis §. 208.

§. 337.

Vera itaque medela locum non habet, niſi cauſſa tollatur. Ea nimirum, quae ſanguinem viſcidum corrigunt, remedia, lentius agunt, et venaeſectio, circulum humoris huius vniuerſalis iuuans, vix ſufficit morbo penitus debellando. Medicamenta externa diſcutientia ſicca in ſacculis, ex herbis amaris paratis, applicata non diuturnum leuamentum praeſtant; ſpirituoſa potentius quidem reprimunt, ſed partes magis calloſas reddunt; emollientia pruritum et dolores leniunt, ſed rupturae vaſorum et vlceribus excitandis occaſionem praebent.

❀ ❀ ❀

TRACTA-

TRACTATIO III.

DE VVLNERE.

§. 338.

Ad ampliſſimam de vulnere tractationem nunc accedimus, cum non tantum caſu fortuito illata vulnera, ſed etiam in variis operationibus chirurgicis inflicta, a nobis diſquirenda ſint. Si itaque in generali hac tractatione indolem, cauſſas et ſymptomata attendamus, differentias praecipuas vulnerum examinemus, et quid in iis natura praeſtet, et quomodo ars naturam iuuet, diſquiramus: vulnerum in variis partibus occurrentium ratio in particulari tractatione melius patebit.

CAPVT I.

DE VVLNERE IN GENERE.

§. 339.

Omnis vnitatis ſolutio ſeu continui laeſio in corpore animali, qua partes in ſtatu naturali cohaerentes morboſe diuiduntur, vulnus appellatur; (i. m. §. *961. 971.*) ſenſu ſtrictiore praeternaturalis diuiſio partis mollioris vulneris nomine inſignitur, et effluxus fluidi ſanguinei, vel ſimilis ex cauis laeſis, ſimul hac notione comprehenditur: hinc fractura vel fiſſura in duris oſſibus obueniens, quae natura ſua cum vulnere conuenit, ab eo quodammodo diſtinguitur.

§. 340.

Si corpus aliquod, inprimis inſtrumentum arte factum, figura praecipue acuta laedens, partes corporis cohaerentes validius petit, illae a ſe inuicem diuelluntur: ſcindendo itaque, pungendo vel contundendo vulnera infliguntur. Ruptura partium cohaerentium a valida earundem diſtenſione, nullo inſtrumento laedente applicato, rarior quidem, ad vulneris tamen ideam referenda eſt.

§. 341.

In omni vulneris diſquiſitione inſtrumenti laedentis ratio habenda eſt, quo effectus ex mole, impetu, directione et figura eius pendens, iudicetur, et cum reſiſtentia corporis laeſi comparetur. Hoc in caſu impetus quoque corporis humani laeſi in aliud, vel quieſcens, vel motum, factus, examinari debet. Cauſſae enim laedentis cognitio effectum, ſiue laeſionem inde oriundam, clarius ob oculos ponit.

§. 342.

Vulnera ſciſſa, ſiue inſtrumento acuto illata, primaria ſunt, in quibus natura vulneris in genere, mutationes inde pendentes et methodus medendi optime declarari poſſunt. Colliſa vero vulnera, quae multis modis ab illis differunt, ſuo loco vlterius a nobis examinanda erunt. Pungendo illata vulnera, pro diuerſa laeſionis ratione, partim ad ſciſſa, partim ad colliſa referri debent.

§. 343.

Porro vulnera differunt ratione magnitudinis, cum non tantum longius vel breuius in ſuperficie corporis excurrant, ſed et profundius inter partes, atque adeo in ipſas corporis cauitates, penetrent: qua re perſpecta, non tantum directio externa, ſiue rectus, obliquus, incuruus et anguloſus decurſus,

ſed

ſed interna quoque, ex natura et ſitu partium vicinarum, diſquirenda eſt. Interdum etiam, vulnere inflicto, pars aliqua corporis aufertur.

§. 344.

Cuius rei conſideratione ad partes vulneri vicinas, plus minusque laeſas, ducimur, easque ex anatomica corporis cognitione, inprimis partium fabrica et ſitu, et actionum inde pendentium varia laeſione, diiudicamus. Maxime autem ex vniuerſalis compoſitionis ratione ad arterias et venas, nec non neruos et partes neruoſas, varia ratione laeſas, attendimus, et mutationes inde oriundas, ſpeciali haemorrhagiae et doloris vulnerum tractatione, accuratius examinamus.

§. 345.

Neque vero hae tantum partes ſigillatim, ſed et aliae organicae ex his compoſitae, quarum ſubſtantia laeſa eſt, perluſtrari merentur; quam ob rem particulari quoque chirurgiae tractatione, vulnera capitis, pectoris, abdominis et extremitatum, et in his viſcerum, organorum, muſculorum et ligamentorum examinari, et ex his, quae nunc fundamenti loco ponentur, diiudicari et curari debent.

§. 346.

Diſtinguenda quoque ſunt vulnera, inſtrumento laedente remoto pura relicta, ab aliis impuris, quibus nimirum partes corporis peregrini, vel ipſa laeſionis vi intruſae, vel ab inſtrumento laedente relictae, inhaerent; quas quidem differentias in capite de vulneribus ſclopetorum, eorumque, quae virus habent, ſuo loco vlterius pertractabimus.

§. 347.

Vulnera etiam recentia ab iis diſtinguenda ſunt, quae diuturna curatione protracta, vel medendi ra-

tione minus apta, a priori ſtatu multum receſſerunt, et ad vlceris naturam tranſeunt, horum enim diiudicatio et curatio, accedentibus nouis ſymptomatibus, longe difficilior redditur.

§. 348.

Cum vulnera quaedam in principio non ſemper accurate diiudicari queant, vel in ſucceſſiua curatione vario modo mutentur, ad ſymptomata acceſſoria vbique accurate reſpiciendum eſt. Sic haemorrhagia, tumor inflammatorius, oedematoſus, emphyſematicus, dolor, ſpaſmus, vomitus, febris plus minus inſignis, immobilitas partium, lipothymia et alia, et in ſe, et in ſucceſſiuo acceſſu, annotanda ſunt, quo omnibus inter ſe comparatis, et laeſionis magnitudinem, et pericula, quae imminent, cognoſcere et praeuidere queamus.

§. 349.

Sed, quod vniuerſa haec vulnerum conſideratio non niſi de differentiis eorum quibusdam expoſuit, neque propterea ex ea methodus medendi in vniuerſum intelligi poteſt, agamus nominatim de vulneris ſimplicis natura et indole, mutationibus item, quae fere ſemper accidunt. Ita quidem videmur recte iacere fundamenta, in quibus doctrina de vulneribus diiudicandis et curandis nitatur.

§. 350

Cum integumenta corporis vsque ad muſculos acuto inſtrumento laeſa ſunt, linea primum apparet, viam inſtrumenti laedentis indicans, quae, vbi paulo poſt, contractis fibris diſciſſis, dilatata eſt, efficit, vt ora vaſorum aperta ſanguinem fundant. Magis vero diſtant labia vulneris, ſi muſculi ſimul laedantur, quoniam fibrae muſculares, propter fabricam ſuam,

ſuam, maiori vi contractili praeditae ſunt, et proinde cutaneum quoque vulnus magis diſtendunt.

§. 351.

Oſcula vaſorum, quae primo ſanguinem fundunt, ſenſim retracta anguſtantur, ita, vt tandem haemorrhagia, ſi maiora vaſa laeſa non ſint, ſponte ſiſtatur; exſudat paulo poſt non niſi tenuis lympha, quae vulneri obligato, et ita ab aere defenſo, inſtar balſami eſt, laeſas partes a ſiccitate tutas reddit, et tanquam gluten naturale ſubitam ſaepe coalitionem praeſtat, cuticula in laeſa parte ſenſim deſquamata, cicatrice in cute vix conſpicua.

§. 352.

Quod ſi vero maior copia ſanguinis affluit, quae, deligato etiam vulnere, in cauo eius haeret; ſi porro ab impetu inſtrumenti laedentis, fibrae in margine vulneris nimium attritae et criſpatae ſunt, tunc altero et tertio die febris oritur, quae vulneraria, ob cauſſam dicitur, vt inflammationis effectus conſiderari meretur, et plus minusque vehemens eſt, quo facto, affluxus humorum ad vulnus augetur, et ſanguis ſtagnans cum partibus attritis in pus conuertitur. §. 92.

§. 353.

Vti vero in vulnere ſponte conglutinando §. 351. aliquis pruritus, ceu leuiſſimae inflammationis ſignum, percipitur, ſic in vulnere maiori, cum aliqua corruptione partium coniuncto, §. 352. inflammatio plus minus aucta ſubſequitur, ora vulneris tument, calent et dolent, donec impetu humorum ſenſim conſopito, pus album, blandum et ſpiſſum generetur, hoc caute deterſo, purior gelatinoſus et lymphaticus humor ſequatur, et tandem ſiccato, labia vulneris iterum coeant et cicatrix formetur.

§. 354.

Vaſa vero diſciſſa primo ſanguinem contentum dimittunt, poſtea contrahuntur et tenuiorem humorem exſudant, quo facto ora criſpantur, deſtructae partes cum pure exeunt et, exſudante lymphatico tantum ſucco, paruae eminentiae fungoſae quaſi et albidae, ſed ſatis denſae, facile inter ſe conglutinandae, vulnus replent, aliis vaſis, ad lentum circulum aptis, reſtitutis et elongatis, aliis calloſis factis.

§. 355.

Vaſa obturata et calloſa reddita cicatricem formant, quae potiſſimum ex contextu celluloſo et cute, cum cuticula renaſcente in vnum et denſum corpus concreſcente, oritur: vel potius contextus celluloſi et cutis fibrae denſae ita occalleſcunt, vt cuticula, has partes in ſano ſtatu tegens, et inde facile deſquamanda, in cicatricis ſuperficie nunquam vere regeneretur.

§. 356.

Vulnera itaque in ſanis de reliquo corporibus ſponte rurſus coaleſcunt; ſunt tamen et aliqua adminicula, quibus curatio adiuuatur, inprimis ſi maiora ſint, et ad validam inflammationem et ſuppurationem ducenda vulnera. Omnis diaeta inflammationi et febri accommodanda eſt, §. 52. 53. et, cum in affluxu optimorum humorum ratio depurationis et conſolidationis vulneris poſita ſit, illico patet, cibos bonae notae eligendos, viſcidos autem et difficile ſubigendos, qui ſuppurationem peruerſam reddunt, ſedulo euitandos eſſe.

§. 357.

Vulnus ipſum ab omni irritatione atque adeo a crebriori aeris acceſſu praeſeruetur, et pars laeſa quieta

quieta relinquatur, quod optime fiet, ſi ille ſitus partis eligatur, in quo labia vulneris nec comprimantur, nec diducantur. Obtegendum quidem et deligandum eſt vulnus, minime tamen fortius adſtringendum, ne circulus humorum liberior, qui ſanitati fauet, impediatur.

§. 358.

Si ſuppuratio ſuccedit, pus collectum euacuandum et abſtergendum eſt; ſin ob vulneris ſiccitatem puris formatio tardius efficitur, medicamentis digeſtiuis, v. c. balſamo ARCAEI et aliis, humores ſtagnantes et fibrae deſtructae emolliantur et reſoluantur. Caue tamen, ne ex abuſu pinguium nimia relaxatio et nimius affluxus humorum oriatur, et ita incrementum carnis fungoſae acceleretur, quare ſuperfluus humor ſiccis potius puluillis appoſitis fugatur.

§. 359.

In pure abſtergendo caute verſetur chirurgus, ne eminentias paruas, §. 354. quae conſolidationis vulnerum indicia ſunt, forti nimis attritu ſimul auferat. Si enim poſt puris ſeceſſum humor blandus, gelatinoſus, lymphaticus accedit, §. 353. non abſtergendus, ſed ſicca deligatione vulneris, vel, ſi opus eſt, balſamicis, v. c. eſſentia myrrhae et ſuccini ſine alcali praeparata, puluillis excepta, coercendus eſt.

§. 360.

Haec praecipua quidem ſunt monita de vulneris ſimplicis curatione; grauiora enim incommoda, quae vulneribus interdum accedunt, ſigillatim a nobis recenſenda et diiudicanda erunt. A re tamen alienum non fore arbitramur, quaedam de vniendis labiis vulnerum per emplaſtra glutinantia adiicere, et ſimul

ſuturas cruentas, quae interdum ad hunc finem ducunt, deſcribere.

§. 361.

Vulneris recentis, nec adeo alte inflicti labia, ſanguine coagulato prius deterſo, vnienda ſunt, vt ſitus ſemper aptus ſit. Hoc quidem emplaſtris glutinantibus, v. c. diachylo ſimplici, optime perficitur. Lintei nimirum emplaſtro illiniti particulae ita figurantur, vt media pars ſuper vulnus ducta, anguſta, extremae autem agglutinandae, ampliores ſint; ita enim puluilli ſicci, vel digeſtiuis aliisque medicamentis imbuti, marginibus vulneris applicari et alio emplaſtro contegi poſſunt.

§. 362.

Quo vero labia accurate ſibi inuicem appoſita perſiſtant, et ita cicatrix aequalis fiat, pars laeſa in eo ſitu firmanda eſt, in quo muſculi ſubiecti ſine violenta tenſione quieſcere poſſunt: panni itaque leniter comprimentes vtrinque apponendi et faſcia circumducta firmandi ſunt, faſcia etiam vulneris hiantis magnitudini accommodanda, caute adſtringenda, nec crebrius ſoluenda eſt.

§. 363.

Ampliora vulnera recentia, quorum labia emplaſtris contineri vix poſſunt, interdum etiam ſutura cruenta vnienda ſunt: quae tum neceſſaria videtur, cum vulnera cruciata, anguloſa et curua, irregulares integumentorum tenſiones efficiunt, vel integumentorum pars late ſeparata dependet. Eandem ſuturam cruentam vulnera nimis alta et colliſa, dolore, haemorrhagia et larga ſuppuratione moleſta, et in quibus muſculi ſimul oblique diſciſſi ſunt, non admittunt, quoniam ex his alia tenſionibus continuis obnoxia, alia crebrius inſpicienda et purganda ſunt.

§. 364.

§. 364.

Ad ſuturam requiruntur acus incuruae, purae, lino traiiciendo maiores, lina tenuia, ſed ſatis firma, duplicata vel triplicata, non contorta, ſed cera inducta in planam formam diſponenda. Cera autem et ideo filis illinitur, ne, humiditatem ſugendo, turgeſcant et labia ſtringant.

§. 365.

Acus ex ima parte vulneris incipiendo, et extrorſum vtrinque cutis quandam partem comprehendendo, traiiciatur, quo ſutura firma ſit. Et licet acus ferramento quodam, in hos vſus inuento *), comprehendi poſſit, melius tamen illa, inter medium et indicem digitum dextrae chirurgi collocata, pollice oppoſito ita continetur, vt aequali preſſione traiiciatur. Fila traiecta, ſuper panniculum applicatum, in nodum firmum, qui tamen facile ſolui poſſit, conſtringantur, et latera vulneris ſub ligatura, pannis vtrinque appoſitis, blande comprimantur.

*) vid. GARENGEOT Traité des inſtrumens. Tom. I. p. 223.

§. 366.

Si vnus nodus ſufficit, ſutura in medio vulnere tantum applicanda eſt; duplicis vel triplicis nodi neceſſitas, pars item, in qua primus nodus firmandus ſit, ex figura et indole vulneris definiatur. Diſtantia nodorum ea eſſe debet, vt humor, in vulnere collectus, commode exire, et medicamenta, ſi qua requiruntur, apponi queant, nec tamen interualla vulneris, ſutura conſtricti, nimis diſtent, ne tenſio maiora incommoda inducat, quam vulnus. Glutinato vulnere, lina vel ſponte cadunt, vel caute educenda ſunt.

§. 367.

Iam etſi de ſutura vulnerum plura tradi poterant, tamen, cum alia, ex natura partium laeſarum et vulneris ipſius, in ſingulis cauſſis definienda ſint, alia, a veteribus tentata, a recentioribus reiiciantur, breui hac expoſitione acquieſcimus, et, quae praeterea moneri poſſent, particulari vulnerum, inprimis abdominalium, tractatione declarabimus.

§. 368.

Prognoſis vulnerum alia chirurgica eſt, alia forenſis, haec tamen ex illa ſemper definienda erit. In ea formanda ad vſum partium, in phyſiologia declaratum, ad partem laeſam ipſam et gradum laeſionis, nec non ad ſymptomata concurrentia attendat medicus et chirurgus in inſpectione et curatione vulneris, et praecipuas mutationes annotet, quo, ſi opus eſt, iudicium de vulnere fieri poſſit. Controuerſae de vulneribus, abſolute et per accidens lethalibus, ſententiae in medicina forenſi proponuntur.

CAPVT II.

DE HAEMORRHAGIA VVLNERVM.

§. 369.

Moderatum profluuium ſanguinis, qui ex inflicto vulnere erumpit, non ſtatim cohibendum eſt, vaſis enim quodammodo depletis et conſtrictis, impetus ad partem vulneratam moderatior fit. Hinc inflammatio et febris inde pendens, quae vulneraria dicitur, nec magnopere afficiunt, nec nocent, apta potius lymphatici humoris ſecretio et affluxus ſanationem accelerant.

§. 370.

§. 370.

Sanguis autem, cum impetu ex vulnere erumpens, maiorem attentionem meretur, praeſertim ſi non tantum vehementer propullulet, ſed per interualla proſiliat, et color magis purpureus, quam nigricans ſit: ex his enim ſignis, arteriam laeſam eſſe, perſpicimus. Damnum autem, ex haemorrhagia oriundum, certius ſuſpicamur, ſi aeger lipothymicus cadit, et aliquo modo conuellitur.

§. 371.

Cum diſquiſitio cauſſae ſaepe primo illo laeſionis momento fieri nequeat, praecipua cura eo dirigenda eſt, vt profuſio ſanguinis quodammodo cohibeatur, quare lintea ſicca et carpta in vulnus intrudantur. In vulneribus extremitatum praecipue, ſi vena magna laeſa videtur, pars vicina inferior, ſi autem arteria ſauciata eſt, ſuperior manu fortiter comprimatur. Tandem, ſi fieri poteſt, faſcia tortilis apto loco applicetur, §. 319. ſeqq. vt vulnus et explorari, et deligari facilius queat.

§. 372.

Si plures arteriae et venae minores laeſae ſunt, haemorrhagia vel ſponte ceſſat, vel linteis carptis ſiſtitur. Vena maior, inprimis quae varicoſa eſt, difficilius coercetur et interdum liganda eſt. Vena maxima v. c. cruralis laeſa, lethalem ſemper, nec compeſcendam haemorrhagiam inducit.

§. 373.

Arteria vel minor etiam laeſa, e qua cum impetu ſanguis proſilit, linteo carpto et digito leniter, attamen cum aliqua contorſione, compreſſa ſaepius contrahitur: ſi autem non tota diſciſſa, ſed tantum inciſa eſt, continuo ſanguinem emittit: diſcindenda itaque eſt, quo oſtium contrahatur. Maior vero, quae

quae et quodammodo contracta ſanguinem fundit, aut fortius comprimenda, aut deliganda eſt; maxima tandem, continuato ſemper impetu, ſanguinem protrudit *), et aeger, nimia ſanguinis copia profuſa, vtplurimum conuulſus perit.

*) Interdum accidit, vt vaſa maiora et arteriae ipſae, ſi in laeſione valide ſtringuntur, et quaſi contorquendo abrumpuntur, ita contrahantur, vt nulla ſanguinis profuſio ſequatur.

§. 374.

Et arteriae maiores, inprimis in internis corporis cauis laeſae, ſanguine congrumato interdum ita clauduntur, vt vlterior effuſio ex iis cohibita eſſe videatur; ſed et hoc modo vulneratus non ſemper in tuto eſt; licet enim et ſanguinis copia detrahatur, et aeger parcius nutriatur, tamen ſubito ſaepius et leuiori ſaepe corporis motu thrombus, arteriam obturans, remouetur, et haemorrhagia lethalis ſerius ſuccedit.

§. 375.

Linamentis carptis et ſiccis vulneri immiſſis, ſanguis ſaepe ſiſtitur §. 371. praeſertim, ſi panni gradatim maiores apponi, et faſcia iniecta ſtrictius applicari poteſt. Cauendum tamen eſt, ne nimia conſtrictione circulus ſanguinis cohibeatur, et ob copiam humorum collectorum et ſtagnantium, gangraenae generandae occaſio praebeatur.

§. 376.

Cum arteria maior in vulnere ſimplici ~~conſtricta~~ laeſa eſt, et ſanguinem copioſe effundit, ita tamen poſita deprehenditur, vt durae baſi inhaereat, v. c. in temporali et radiaea, panni gradati arteriae deſciſſae ita applicentur, vt non tantum orificium, ſed aliquis eius

eius tractus verſus truncum ſimul comprimatur, et, faſcia fortius adſtricta, ſanguinis profuſio cohibeatur, donec metus nouae haemorrhagiae prorſus ceſſet.

§. 377.

Si arteria laeſa in vulnere abſcondita eſt, et ab haemorrhagia non quidem ſubitanea mors, ſed ſumma debilitas inducitur, neque tamen illa durae baſi inhaeret: digitis miniſtri a latere appreſſis, illa tamdiu contineri et comprimi debet, donec penitus contracta ſit. Si maior arteria, et ex qua haemorrhagia lethalis timenda eſt, diſcinditur, illa, vulnere etiam ampliato, diſquiratur et ligetur. Cum ea tamen hoc in caſu vnica ſaepe ſit, ad partem delata, membrum amputandum erit, haemorrhagia enim ſedata, pars tamen non nutrita gangraena afficitur.

§. 378.

Ligatura nimirum praecipuum haemorrhagiae ſiſtendae auxilium eſt: quae tamen non ita inſtituenda eſt, vt filum ſuper forcipem nodo ſuo adaptetur, et, arteria praeſciſſa apice forcipis arrepta, nodus ſuper eam ducatur et in ſuperficie adſtringatur, ſed acus incurua per partes vicinas et contextum celluloſum ita traiiciatur, vt duplici arcu omnis ambitus arteriae comprehendatur, quo nodus ſuper panniculum, filo ſimul comprehenſum, formari et validius conſtringi poſſit.

§. 379.

Adhibentur a nonnullis ſtiptica medicamenta, quae profluuium ſanguinis cohibent. Alcohol vini deſtillatione accurata, minime vero ſale alcali fixo addito, paratum, linamentis ſuſceptum, ideo praeſtantiſſimum deprehenſum fuit, quod orificia arteriarum conſtringendo et ſanguinem coagulando haemorrhagiam ſiſtit: maior autem arteria hoc auxilio non

ſatis

ſatis ſtringitur, et praeterea ſuperficies vulneris nimis calloſa redditur, ideoque ad ſuppurationem futuram difficile praeparatur.

§. 380.

Spiritus acidi concentrati, inprimis minerales, magis adurunt et criſpant, ideoque duras cruſtas formant, vitrioli calcinati partes, alumen vſtum et alia adſtringentia et incraſſantia medicamenta, ex vegetabili regno petita *), eundem ferme effectum edunt, ſed praeterea vulnera impura reddunt, et diſquiſitionem eorundem, ſi qua poſtea neceſſaria eſt, impediunt.

*) vid. PLATNERI I. C. r. §. 411. 412.

§. 381.

Magis quidem reprehendenda ſunt veteribus vſitata cauteria, quae arteriam quidem praecludunt, et magis, quam ſtiptica medicamenta et cauteria potentialia, criſpant, ideoque eſcharam formant, qua vis ſanguinis irruentis ad tempus cohibetur: metus tamen omnino eſt, ne, eſchara ſecedente, ex arteriae orificio tunc nimis abſcondito difficillima haemorrhagia oriatur, quae nullis remediis compeſci poſſit.

§. 382.

Agaricum quernum ſiue fungum in caudicibus naſcentem, vnguis equini figura C. B. P. 372, per crebros mallei ictus emollitum et praeparatum, eiusque fruſtula quaedam orificio arteriae, ſanguinem fundenti, opponunt, eoque vehementem ſaepius ſanguinis profuſionem bene refrenatam eſſe, nonnulli recentiores cognouerunt. Nec negandum eſt, hoc haemorrhagiae ſiſtendae auxilium reliquis magis commodum eſſe, cum vulnera nec calloſa reddat, nec impura, ſed arteriae finem tantum obturet et, non nihil

hil contrahat: ligaturam tamen nonnulli praeſerunt, praeſertim ſi maior arteria laeſa fuerit.

§. 383.

Cauſſam hoc modo cohibitae in arteriis haemorrhagiae in thrombo quaerunt, qui interdum in cauo arteriae ligatae deprehenſus fuit. Vti vero in arteria minori diſciſſa conſtrictio orificii ſanguinem ſiſtit, ſic in maioribus quoque arteriarum ramis tunicae tument, et cauum ſupra et infra ligaturam maxime anguſtatur, accedit praeterea tumor vicini contextus celluloſi, qui arteriam comprimendo ad contractionem in ſua ſubſtantia diſponit *). Arteria tandem, impetu humorum non amplius diſtenta, coaleſcit et marceſcit.

*) vid. C. POUTEAU Melanges de Chirurgie. Lyon. 1760. 8. mai. p. 299. et ſeqq.

§. 384.

Diaeta ſauciatorum et eorum quoque, qui ſanguinem vehementer profundunt, non nutriens, ſed parca ſit, euitetur victus iurulentus, et corpus moderato cibo tantum ſuſtineatur, nec copioſe nutriatur. Potus ſit ptiſana tenuis, farinacea cum ſucco citri parata, cui contra vehementem quoque ſanguinis impetum nitrum adiiciendum eſt. Aeger in obſcuro conclaui quieſcat, et omnes animi contentiones ſedulo euitet. Metu tandem haemorrhagiae diſcuſſo, ne vaſa nimium flacceſcant, de nutritione ſucceſſiua denuo cogitandum eſt, ſumma enim debilitatio refectionem exigit.

§. 385.

Praeterea venaeſectio, procul ab affecto loco, a quo nimius ſanguinis appulſus auertendus eſt, facta commendatur, quae tamen tunc locum non habet, cum

cum haemorrhagia ipſa aegrum debilitat, neque orificia nimis ampla vaſorum diſciſſorum deriuatione ſola ad contractionem diſponi poſſunt. Alii cucurbitulas apponunt et ſcarifationem inſtituunt, ſed parum inde commodi percipitur.

CAPVT III.

DE DOLORE ET NERVORVM DISTENSIONE A VVLNERE.

§. 386.

Si in vulnere maior neruus praeſcinditur, dolor non niſi momentaneus eſt, qui tamen, motu et ſenſu ſublato, quoque ceſſat, membrum autem vel gangraena vel atrophia afficitur. Si tendo vel aponeuroſis prorſus praeſcinditur, vel vi diſrumpitur, motus perit, dolor autem in ipſo laeſionis momento exiguus, paulo poſt nullus eſt.

§. 387.

Aliter res ſe habet, ſi neruus vel pars neruoſa non prorſus diſciſſa eſt, ſed quibusdam fibris laeſis, retractis et criſpatis, aliae vicinae magis tenduntur, et ita quoque alias, continuato tractu cohaerentes, ſtringunt: circulus itaque ſanguinis et humorum per has partes difficulter abſoluitur, et fluidi neruei motus inaequalis redditur; ex quibus cauſſis inflammatio et dolor excitantur. Eo maior dolor eſt, quo magis partes inflammatae tument et rubent, hoc ipſo enim tumore nerui magis tenduntur.

§. 388.

§. 388.

Simili prorſus ratione in vulnere relictae partes inſtrumentorum laedentium, vel veſtimentorum ſimul intruſorum, vel cruor coagulatus et corruptus, vel acris ſanies, vel puris copia, quae non educuntur, nec effluunt, porro quoque medicamenta irritantia v. c. vnguentum digeſtiuum pingue rancidum factum vel linamenta rudius appoſita, vel ligaturae vaſorum, vel faſciae arctius adſtrictae, dolorem in vulnere excitant et augent, et minorum neruorum continua irritatione inflammationem quoque intendunt.

§. 389.

Dolor itaque in parte vulnerata ortus maxima incommoda parit. Praeter inflammationem enim nimium auctam, febris ſimul intenditur, ſomno placido non veniente, et nutritione laeſa vires deiiciuntur, et remedio non protinus inuento, ex nimia inflammatione et humorum ſtagnatione gangraena, ex dolore acerbiſſimo conuulſiones partiales, et neruorum vniuerſi corporis diſtenſio haud raro ſequuntur.

§. 390.

Hinc cauſſae irritantes remouendae, et peregrina corpora inprimis ex vulnere educenda ſunt. Ad hunc finem obtinendum primaria chirurgi cura eo dirigenda eſt, vt, ſi vlla ratione fieri poteſt, vulnus amplificetur: quo facto, non ſolum nerui et neruoſae partes hactenus tenſae ſimul diſcinduntur, §. 386. ſed peregrinis quoque corporibus exitus conceditur. §. 388. Ad hoc autem auxilium veniendum eſt, antequam inflammatio et febris nimis intendantur, melius enim eſt, dolorem et alia ſym-

ptomata coniuncta §. 389. praecauere, quam illa, cum iam praeſentia ſunt, auertere.

§. 391.

Inflammationi nimis vrgenti venaeſectione occurritur, quo nimiam humorum ſtaſin expediendo, dolor leniatur. Applicanda etiam ſunt cataplaſmata emollientia, quae partes tenſas non commode diſcindendas laxant, et ad ſuppurationem diſponunt, qua ipſa etiam partes irritantes e vulnere remouentur. Cataplaſmatibus quoque herba hyoſcyami, narcotica vi praedita, addatur. §. 104.

§. 392.

Digerentia pinguia in vniuerſum, ſaepius etiam ob rancidam indolem, neruoſis partibus laeſis non conueniunt. Optimum medicamentum eſt terebinthina cum vitello ouorum trita, et ita non nihil ſoluta. Si quando medicamenta pinguia et rancida, vulneri addita, irritatione ſua dolorem creant, linteis carptis, aqua calida vel ſpiritu vini imbutis, abſtergenda, et alia, quae magis conueniunt, adhibenda ſunt.

§. 393.

Cum cacochymica corporis diſpoſitio acres et malignos humores ad vulnus ducit, et loco puris ſaniem gignit, de correctione quidem humorum vniuerſali cogitandum eſt; ſed, cum haec tardius ſuccedat, dolor inde oriundus crebra vulneris depuratione non nihil compeſcendus, et hoc ſuppurationem excitantibus digeſtiuis emolliendum eſt. Emulſiones papauerinae cum nitro exhibitae dolorem et inflammationem vix compeſcunt, opiata vero, inprimis largius data, cum cauſſam non tollant, ſaepe aliena ſunt.

§. 394.

§. 394.

Neruorum diſtenſio vniuerſalis, a vehementi et aucto dolore tandem oriunda, cauſſis doloris ſublatis, tollitur. Si vehementem ſanguinis profuſionem ſequitur, haud raro mortem praecedit §. 370. 373. Id quoque reſpiciendum eſt, num neruorum diſtenſio a vulnere capiti illato, et ita a cauſſa vniuerſali pendeat: tunc enim ea attendenda ſunt, quae ſuo loco de vulneribus capitis ſpeciatim declaraturi ſumus.

CAPVT IV.

DE VVLNERIBVS COLLISIS ET VEXATIS.

§. 395.

Quae hactenus expoſita ſunt, attentionem chirurgi in ſanandis vulneribus colliſis quoque dirigere poſſunt; varia tamen iis addenda ſunt monita. Cum enim partes contundendo vexatae, vel cum dilaceratione partium coniunctae, humores alias in motu progreſſiuo conſtitutos, nunc quieſcentes contineant, neque vllam, vel non ſufficientem haemorrhagiam experiantur, mutationes omnino aliae ſequuntur, quam quae in vulneribus ſciſſis occurrunt, et proinde peculiari ratione tractandae ſunt.

§. 396.

Quod ſi vero in vulnere aperto internae partes colliſae ſint, de peregrinis corporibus protinus educendis cogitandum erit. Copioſa quidem ſanguinis profuſio et nimius dolor id ſaepe impediunt, quae tamen ſymptomata non niſi in inſtanti mortis periculo

enchireſin differre ſuadent, quoniam futuro tempore ex valida contuſione grauior inflammatio, et ita tumor vulneris metuenda ſunt. Difficilem autem hanc doctrinam potiſſimum in capite de vulneribus ſclopetorum pertractabimus, atque nunc quidem vexata tantum praemittimus, quo viam nobis ad eam melius abſoluendam pandamus.

§. 397.

Vexata vulnera dicuntur, quae, corpore laedente applicato, non euidenti et plenaria continui laeſione in integumentis corporis conſtant, §. 339. 340. ſed tantum partium quarundam ſub his occultarum ſeparatione inducuntur, qua et humorum motus per vaſa cohibetur, vt propterea extra vaſa ſaepius rupta vel conquaſſata propulſi, in contextu celluloſo effundantur, et ibidem ſtagnent. In his itaque inſtrumentum laedens, non figura acuta, ſed impetu potius et mole, effectum producit.

§. 398.

Sunt ergo validiores compreſſiones cauſſae vexatorum vulnerum: ad quae referuntur ſuctiones validae, preſſiones a planis corporibus v. c faſciis inductae, liberum humorum motum impedientes, ſtaſes corrupti humoris non apte circulantis, ſed tenſione vaſa quaedam laedentis, et, ſi acris eſt, arrodentis. Effectus eſt diſtenſio et ruptura vaſorum, indeque orta effuſio humorum.

§. 399.

Hae cauſſae in habitum cutaneum vel ſubcutaneum agentes ſugillationem ſiue ecchymoſin efficiunt, (i. m. §. 979) quae errorem loci humoris ſanguinei oſtendunt, et proxime ad inflammationem acce-

accedunt. Vbi itaque nonnulla de effectibus contuſionum in partibus internis praemiſerimus, methodum vexatis medendi breuiter oſtenſuri ſumus.

§. 400.

Contundendo factae laeſiones, quibus et tenſiones partium annumerari poſſunt, in arteriis et venis ſaepe aneuryſma et varicem §. 303. ſeqq. §. 333. ſeqq. inducunt, in neruis vero tenſiones validas §. 387 et inde oriundos dolores et ſpaſmos efficiunt. Contuſio nerui, ſi nimia fuerit, ſenſus et motus priuationem et atrophiam partium adfert.

§. 401.

Contuſiones glandularum et glanduloſarum partium circulum humorum quoque impediunt, ideoque non raro in peripheria coacti humores inflammatione mota in pus mutantur. § 184. ſeqq. Quod ſi grauior laeſio minimos glandularum glomerulos ſimul afficiat, et neruorum validae tenſiones accedant, ſcirrhus ſaepe et inde carcinoma oritur. §. 198. ſeqq.

§. 402.

Oſſibus applicata grauior contuſio humores ſaepe ſub perioſtio effundit, et abſceſſus latentes format, ex quibus ſtagnantis humoris corruptio, eroſio oſſis et caries ſequuntur. Similiter diſtorſiones interdum et fracturae oſſium partes vicinas tendunt et comprimunt. Praecipue autem articulorum contuſiones grauiſſima incommoda adiuncta habent, quae ſuo loco in morbis oſſium et articulorum ſigillatim examinabimus.

§. 403.

Haec ideo breuiter indicauimus, vt pateret, quam caute chirurgus in examine laeſionum contundendo illatarum verſari debeat, ne in ſolis ſugil-

lationibus cutaneis ſubſiſtat, ſed accuratius et locum contuſionis, et partes vicinas, diſquirat, et ſymptomata, quae in corpore laeſo vel ex inſtanti, vel ſucceſſiue oriuntur, ſaepe diligenter attendat, quo de effectibus ex laeſione oriundis certior reddatur.

§. 404

Haec vero attentio et ad partes internas, in corporis cauitatibus abſconditas pertinet. Saepius enim vulnere externo haud conſpicuo, internae partes vehementius afficiuntur, v. c. arteria cerebri rumpitur, et ſanguinem effundit, in vomitu vehementi oeſophagus dilaceratur, accedit ex aliis cauſſis ruptura lienis, cet. Sed has laeſiones internas nunc accuratius tractare haud poſſumus, in capitis potius, oculorum, colli, pectoris et abdominis vulneribus aliisque laeſionibus ſpeciatim examinandis, commodior de his dicendi erit occaſio.

§. 405.

Sugillatio leuior ſtaſin ſanguinis in vaſis compreſſis inducit, quae, quam diu adeſt, humores in cellulas vicinas exſudant, et colorem cutis mutant. Si grauior fuerit, veram ſiſtit ecchymoſin, hoc eſt, effuſionem ſanguinis in contextum celluloſum ex vaſis ruptis. Ac hic quidem, ſi praeſertim nacti ſimus corpus, vel iuuenili aetate, vel libero humorum circulo vegetum, interdum diſcuti poſſunt ſtagnantes humores, roburque vaſorum reſtitui.

§. 406.

Et in laxioribus et ſtrictioribus corporibus naturae motus variis auxiliis adiuuantur. In vniuerſum quidem, ſi ſugillationes magnae et copioſae ſint, venaeſectio intermittenda non eſt. Sed cum praeterea, vt in inflammatis, ſic in grauius vexatis partibus, febris accedat, et in medicamentis exhibendis, et in

in diaeta ordinanda eius ratio habeatur, §. 51. quem ad modum, ſi ſugillatio integumenta communia afficiat, ſcarifatione opus eſt.

§. 407.

In laxioribus corporibus medicamentis roborantibus expedita humoris reſorptio adiuuanda eſt. Applicentur ideo ſtatim ab initio reprimentia et frigida epithemata, ex aqua et aceto cum ſale ammoniaco et albumine ouorum parata, vel acetum lithargyriſatum, vel pulueres ex herbis adſtringentibus, alchimilla, ſanicula, floribus balauſtiorum, roſarum rubrarum, radicibus tormentillae, biſtortae, cet. Quae omnia, ne potius noceant, quam proſint, non nimis calida eſſe debent.

§. 408.

In ſtrictioribus ſubiectis et iis, quibus haec roborantia et reprimentia auxilia non ſemper conueniunt, epithemata aut emolliendo diſcutientia, ex decocto aquoſo chamomillae et ſambuci florum, aut potius vinoſa ex herbis diſcutientibus, ſcordio, hyſſopo, ſaluia et maiorana, eaque moderate calida, apponantur. Haec vero non niſi in principio applicata iuuant; ſi enim humores prorſus ſtagnant, tutius eſt, eosdem emollientibus mouere, et ita vel diſcutere, vel, ſi diſcuſſio locum non habet, in pus conuertere.

§. 409.

Si copioſus ſanguis profundius et ſub membrana quadam neruoſa haeret, inciſione facta educatur. Nec tunc hoc auxilii genus intermittendum eſt, cum in contextu celluloſo ſub cute ſanguis copioſe diffuſus deprehenditur: quod enim eiusmodi diſcuſſio fieri nequit, deſtructae partes et humores ſtagnan-

tes in verum abſceſſum non abeunt, niſi per inciſionem cutaneam ſanguinis ſtagnantis pars educatur.

§. 410.

Contra copioſas et latas ſugillationes, et, ſi a validis tenſionibus leuiores quasdam effuſiones et ſtaſes humorum in locis abſconditis ſuſpicamur, infuſum rubiae tinctorum vt potentiſſimum reſoluens commendatur; verum et pulueres nitroſi cum fuligine ſplendente et caſtoreo parati, maximi vſus ſunt. Sanguinem hirci exſiccatum et pulueribus admixtum nonnulli praeferunt. Forte his, vt attenuantibus et antiſpaſmodicis medicamentis, reſorptio humorum adiuuatur.

CAPVT V.

DE VVLNERIBVS SCLOPETORVM.

§. 411.

Cum ea, quae hactenus propoſuimus, doctrinam de vulneribus colliſis non ſatis exhauriant, eam nunc vlterius declarabimus et vulnerum eorum conſideratione, quae per glandes plumbeas aliaque corpora, ex bombardis et tormentis bellicis mediante puluere pyrio proiecta, efficiuntur. Qua in re in genere monemus, nos in his non ad caloris et aduſtionis periculum §. 116. ſeqq. ſed magis ad corporis laedentis impetum reſpicere.

§. 412.

Obſeruatione conſtat, globum maiorem ex tormento bellico proiectum, ſi a latere capitis propius magno cum impetu progrediatur, tantam cerebri et neruorum inde pendentium concuſſionem efficere,

cere, quae ſubitaneam mortem inducat. Sin a latere partis minus nobilis, v. c. humeri vel femoris, ſimili vehementia mouetur, ſtricturas fibrarum et ſtaſin humorum difficile diſcutiendam, cum dolore, ſtupore et immobilitate partis relinquit.

§. 413.

Haec quidem partium debilitatio et irritatio magis a neruis male affectis, quam a circulo ſanguinis impedito pendet, licet et hic ob illam cauſſam turbetur; ecchymoſes enim nonnunquam ſuperuenientes hoc teſtantur. et, ab aeris valde compreſſi ſummaque vi appulſi vehementia, partes ſolidas nimium conquaſſari docent. Cum itaque ſymptomata praecipue a praeternaturali neruorum tenſione et ſtrictura oriantur, nec emollientia nimis, nec calida neruina medicamenta curationi adhibenda ſunt: illis enim elaſticitas nimis infringitur, his neruorum oſcillationes nimis incitantur. Exhibenda itaque ſunt, praemiſſis, ſi opus eſt, venaeſectione et alui lotionibus, blanda diſcutientia interna § 410. et fotus externi ex decoctis aquoſis vel ſemiuinoſis florum chamomillae, ſambuci, herbarum hyſſopi, ſcordii et ſimilium, applicanda ſunt; quod ſi enim diſcutientia haec et nonnihil emollientia medicamenta adhibeantur, et tempus expectetur, fibrae ſenſim paulatimque ad naturalem tonum reducuntur, et obortae humorum ſtaſes lente diſcutiuntur.

§. 414.

Si corpus laedens vehementius irruit, et tanta vi praeditum eſt, vt muſculi et partes vicinae prorſus conquaſſentur et deſtruantur, atque ipſa adeo oſſa frangantur, partem incidere conuenit. Etſi enim integumenta non vulnerata inueniuntur, profundae tamen ſtaſes obſtructarum partium diſcuti

nequeunt, niſi deſtructae partes et humores ſtagnantes partim educantur, partim ſuppuratione ſoluantur.

§. 415.

Quod autem globuli plumbei orificio quidem anguſto penetrant, fundum tamen vulneris ampliatum efficiunt, vtplurimum ad educendum globulum inciſione opus eſt, ac eo magis quidem, ſi corpus laedens irregulare intra partes molles penetrat, earumque laceratione non tantum vicinas fibras ſtringit, ſed etiam peregrina corpora ſimul introducendo, ſenſiles fibras premit, tendit et irritat, ideoque ſtaſibus inflammatoriis in profundo loco ortis occaſionem praebet.

§. 416.

Et ideo vulnera ſclopetorum grauiora ſunt, quoniam iis inflictis aequalis vis et actio neruorum, excitato tremore et vehementi concuſſione, multum infringitur, et inſignis ſaepe animi perturbatio accedit. Iisdem porro ſanguinis effuſio, quae in aliis caſibus ſalutaris eſſe ſolet, §. 369. maxime cohibetur, ex qua re ſtaſes vehementes oriuntur. Hinc, ſi grauioribus his vulneribus laeſi inſignem dolorem ſentiunt, melius cum iis agitur, quam ſi obtuſo tantum dolore afficiantur, quem ſaepius gangraena praeceps ſequitur.

§. 417.

Nec in principio ſemper grauitas horum vulnerum cognoſcitur, ſed tertio quartoque demum die ſymptomata ſuperueniunt, quae non tantum validam inflammationem cum ſtrictura partium, pulſu duro, augmento febris inſolito, et non raro imminentem iam gangraenam indicant, ſed etiam, per acceſſionem ſpaſmi cynici et conuulſiuorum motuum,

ner-

neruos vehementer laeſos oſtendunt. Diſpiciendum itaque omnino eſt, an tumor vel ſupra vel infra vulnus vehementior ſit? in priori enim caſu nerui nimis ſtricti, in altero venae nimis obſtructae videntur.

§. 418.

In primis vero periculum imminet, cum corpus laedens ad internas corporis cauitates penetrauit: licet enim et hic curatio interdum ex voto ſuccedat, ſaepius tamen viſcerum et partium nobiliorum laeſio, niſi mortem proximam, lentos et chronicos morbos inducit, id quod ex ſpeciali vulnerum, quae varias cauitates penetrant, tractatione luculentius patebit.

§. 419.

Inciſio itaque vulnerum ad diſquiſitionem maxime neceſſaria eſt: ſed et hac in re cauta requiritur circumſpectio, ne partes vicinae, arteriae potiſſimum et nerui, laedantur et praeſcindantur, atque ita, vno incommodo ſublato, alterum oriatur. Prudentia chirurgi et accuratum partium examen, ex anatomica cognitione petendum, haec definit; neque enim ſufficit vulnus ampliare, ſed inciſio ita dirigenda eſt, vt abſconditae laeſiones pateant, et earundem ſanatio adiuuetur.

§. 420.

Nam de educendis corporibus peregrinis mox in principio cogitandum eſt, eique rei perficiendae inciſio et ampliatio vulneris fauent. Forcipes aliaque ferramenta, quibus peregrina corpora educuntur, cum amplius a nobis deſcribi nequeant, coram indicanda, et ex fabrica et applicandi ratione diiudicanda ſunt: eo enim enitendum eſt ſedulo, ne

lace-

laceratae partes vlterius diducantur, ſed potius, tenſione ſublata, coeant.

§. 421.

Si vulnus altius penetrauit, nec per eius orificium, quanquam ampliatum, globuli plumbei et alia corpora peregrina tuto educi poſſunt, inciſio in oppoſita parte tentanda eſt, quo per vulnus, cuti magis vicinum, corpora iſta peregrina extrahi poſſint, vulnerisque ſanatio facilius perficiatur. Sed et hic videndum eſt chirurgo, ne vulnera praeter neceſſitatem multiplicentur, §. 419. ſed nouum vulnus prioris ſanationi proſit.

§. 422.

Inciſio autem vulnerum grauiorem inflammationem cauet. Cum enim ex vulneribus ſclopetorum, vtpote colliſis, parum ſanguinis fluat, isque retentus periculoſiſſimam ſaepe inflammationem moueat: cum porro, tumore oborto, nerui iam tenſi magis intendantur, et ſtaſin et dolorem augeant: his incommodis omnino occurritur inciſione, et auxilia chirurgica et apta medicamentorum ſuppurationem adiuuantium applicatio ad partem affectam melius praeſtari poteſt.

§. 423.

Etſi vero inciſio ſanguinis profuſionem excitat, tamen ea quoque difficiliores haemorrhagias cauet; vaſa enim dilacerata, nunc diſciſſa, contrahuntur et ſanguinem vix dimittunt, maiora vero commodius ligari, vel aliis auxiliis comprimi poſſunt, id quod in his vulneribus maxime neceſſarium eſt, cum oſtia vaſorum ſtricta haemorrhagiam ſaepius ad tempus cohibeant, quae tamen paulo poſt, cruſta vaſis ſtricti aut ſanguinis impetu aut agitatione partis remota, periculoſior et ſaepe lethalis fit.

§. 424.

§. 424.

Et tenſiones et dolores inciſione facta auertuntur; ſi nimirum membranae dilaceratae et nerui, aliqua ex parte laeſi, prorſus diſcinduntur, ideoque ſanae partes, et quae conſeruari poſſunt, non amplius tenduntur §. 386. 387. Oſſium quoque fragmenta, quae irregulari figura partes molliores vellicant, vel in ſitum aptum reducuntur, vel eximuntur: ſuppuratio tandem, qua vulnera depurantur, melius ſuccedit, et peregrinas partes, quae extrahi non poſſunt, ſoluit, quo ſanatio vulneris ex omni parte acceleretur.

§. 425.

Vbi autem vulneris inciſio vel periculoſa nimis vel impoſſibilis eſt §. 419 ibi epithemata et cataplaſmata ex herbis emollientibus et diſcutientibus applicentur, §. 99. illis enim ſuppuratio mouetur, his vero celeris putredinis progreſſus impeditur. Interea vero ex mutationibus in vulnere occurrentibus, quid vlterius ſuſcipiendum ſit, perſpiciat chirurgus artis peritus.

§. 426.

Si in extremitatibus corporis laeſis haemorrhagia lethalis ex vulnere arteriae maioris extimeſcenda eſt, faſcia tortilis apto loco applicetur, et interea de amputatione conſilium capiatur, quae quidem tunc maxime neceſſaria videtur, cum oſſa prorſus diſtracta, articuli deſtructi et maiora vaſa laeſa ſunt. Cum vero in vulneribus ſclopetorum haemorrhagia per ſtricturam ſaepius cohibeatur, interdum amputationem differre praeſtat, quo membra, etſi debilia, interdum conſeruentur.

§. 427.

§. 427.

Quaeſtio a chirurgis peritioribus propoſita, vtrum amputatio differenda, an acceleranda ſit, in vniuerſum definiri nequit, quoniam in quolibet vulnerato laeſionis ratio, partium conſtitutio, temperamentum et ſymptomata vrgentia ponderanda ſunt. In principio commotio cerebri et neruorum impedimento eſſe videtur, poſt inceptam largam ſuppurationem vires, quibus curatio amputati membri ſuſtinenda eſt, ſaepe deficiunt. Itaque omnino tenendum eſt, eos, qui nec virium praeſtantia, nec humorum bonitate, diuturnae curationi pares ſunt, amputatione inſtituta vix ſeruari.

§. 428.

In curatione autem horum vulnerum de inflammatione moderanda, et gangraena partium cauenda praecipue ſollicitus ſit chirurgus. Hunc in finem, inprimis ſi haemorrhagia parcior fuerit, venaeſectio, eaque repetita ſuadenda erit. Licet enim nimia ſanguinis copia ſubducta debilitet, et ſuppurationem retardet, vel impediat: prima tamen, quae oboriuntur ſymptomata, protinus attendenda ſunt, quibus non ſopitis debilitatio aegri acceleratur.

§. 429.

Idem ratione victus et inde pendentis moderaminis febris notandum eſt. Si enim, abſtinentia et medicamentis temperantibus, circulus humorum auctus, inflammationem mouens, nimium infringitur, affluxus humorum ſuppurationem efficiens, ideoque partium deſtructarum ſeparatio, et inde pendens vulneris depuratio, non, vt decet, ſuccedit: ſi vero nimius affluxus humorum eſt, inflammatio moderata ſubſiſtere nequit, ſed gangraena citius irruit.

§. 430.

§. 430.

Vulnus, in principio quantum fieri poteſt depuratum, linamentis ſiccis, puris, et mollibus repleatur, quae etiam, niſi ſymptomata vrgeant, per vnum alterumque diem relinquenda ſunt, donec ſuppuratio incipiat. Partes tamen faſciis nimis conſtringendae non ſunt: quarum arctior conſtrictio, etſi ad haemorrhagiam compeſcendam maxime neceſſaria eſt, ob dolores tamen et validas partium compreſſiones et tenſiones vix ferri poteſt; quare haemorrhagia ligaturis et partialibus compreſſionibus ſiſtenda, vniuerſus vero membri ambitus liberior relinquendus videtur.

§. 431.

Suppuratio vulneris poſtea digeſtiuis medicamentis v. c. balſamo ARCAEI iuuetur: caue tamen, ne digeſtiuis pinguibus ora vulneris nimium relaxentur, et incrementum carnis fungoſae acceleretur. Neque vero ſpirituoſis medicamentis nimium vtendum eſt, quae, quanquam putredinem coercent, duritiem tamen vulneris et cruſtas inducunt. Aqua vulneraria ſiue ſclopetorum, non adeo ſpirituoſa, ſed quodammodo balſamica, ideo cum fructu applicatur, quoniam a putredine defendit, neque tamen ſuppurationem impedit.

§. 432.

Ad mutationes vulneris attentus chirurgus diuerſis eiusdem partibus in ſeparatis puluillis varia applicet remedia, digeſtiuis interdum balſamica interponendo, vel iis leniora cauſtica admiſcendo; inprimis autem partes vulneri vicinae, ſi inflammatione nimia tument, contra gangraenam obrepentem epithematibus diſcutientibus §. 82. ſeqq. defendendae ſunt. Cum autem haec vulnera rarius cele-

celerem curationem admittant, ſaepiſſime in vlcera tranſeunt, quam ob rem methodus medendi, in poſterum in tractatione de vlcere tradenda, ſimul attendenda erit.

§. 433.

Si in vulnere ſinus ſe offerunt, et purulenta materia, vel ichoroſa ſanies in contextu celluloſo clandeſtine prorepit, de his cito aperiendis, vel oppoſito vulnere perforandis cogitandum eſt, ne malum vlterius proſerpat, ſed vulnus integrum depuretur. Iniectiones chirurgicae ex decoctis herbarum amararum, quibus mel vel vnguenta digeſtiua, vel etiam cauſtica medicamenta admiſcentur, minus aptae ſunt, cum ipſae ſinubus extendendis et nouis aliis formandis anſam praebeant.

§. 434.

Vulnere depurato, labia eiusdem apte combinanda et cicatrix inducenda eſt. Attendantur itaque varia monita, quae in vulneris ſimplicis curatione exhibuimus. Scilicet nutritione paulo largiore corpori conceſſa affluxus bonorum humorum concilietur, et ora vulneris ſenſim paulatimque adducantur, ea tamen attentione adhibita, vt fundus eiusdem, ſi fieri poteſt, vel materia inde redundans caute examinetur, ne partes peregrinae vel emortuae relinquantur, quae efficere ſolent, vt vulnus recrudeſcat.

CAPVT

CAPVT VI.

DE VVLNERIBVS, QVAE VIRVS HABENT.

§. 435.

Cum ex ipſis corporis ſuccis ſanatio vulnerum pendeat, §. 351. 354 quaelibet cacochymia eam retardare, immo impedire ſolet. Experientia enim docet, alimentorum viſcidorum et acrium vſum pus impurum et ſanioſum reddere, affluxum boni ſucci lymphatici impedire, aliaque incommoda inducere: eodemque modo vulnera aegrorum, venerea vel arthritica labe aliaque cacochymia affectorum, non ſanari, ſed in vlcera ſaepius inueterata mutari. De his quidem in poſterum, de alia vero vulnerum infectione in praeſenti capite acturi ſumus.

§. 436.

Vulnerum nimirum et recentium quoque conditio peior redditur, ſi inſtrumento laedente, vel paulo poſt applicatis medicamentis, aliquid venenati vel nociui introducitur, vel ſi a vipera, ſcorpione alioque animali irato aut rabido vulnera infliguntur, quae non ex magnitudine, ſed ex natura veneni plus minus efficacis diiudicantur; ſaepius enim, ſi leuiſſimum vulnus ſponte ſanatur, effectus tamen triſtes corpori accidunt.

§. 437.

Neruos hic potiſſimum affici, ſymptomata probant, quae citius tardius animaduertuntur. In quibusdam laeſionibus repentinam mortem ſubſequi, obſeruationes docent. Poſt viperae et ſcorpionis morſum homo inhorret, extrema frigent, pallore per totum corpus diffuſo, cui tamen paulo poſt color ictericius ſuccedit, anxietas praecordiorum,

vomitus et deiectiones bilioſae, tandemque animi deliquia priora non raro excipiunt ſymptomata, ſitis ingens clamoſa, ſudor frigidus, ſopor et ſomnolentia, neruorum diſtenſiones mortem inſtantem tandem praecedunt.

§. 438.

Similia ferme ſymptomata canis vel alius animalis rabidi morſum comitantur, (m. c. §. 690. ſeqq.) in quibus aquae auerſatio eminet: poſt has enim laeſiones ſpaſmi, inprimis gulae et faucium, qui deglutitionem laeſam aliasque ingratas neruorum affectiones inducunt, et paulo poſt faucium grauior inflammatio oritur, quae ſi acceſſerit, nullum remedium veneno debellando ſufficere, oſtendit.

§. 439.

Si quis vulnere venenato laeſus eſt, eius aluus, ſi quidem opus eſt, clyſmate moueatur, paulo poſt in balneum immergatur, et fricando poſtea ad blandam perſpirationem et ſudorem diſponatur. Subitanea in aquas immerſio, et alia huius generis vehementiora auxilia nociua ſaepe fuerunt, cum animi et corporis nimias perturbationes induxerint. In plethoricis etiam ſanguis largius mittatur, quo poſtmodum medicamenta theriacalia opiata, et, ex recentiorum obſeruatione, moſchus larga doſi, tanquam efficaciſſima antiſpaſmodica propinari queant.

§. 440.

In morſu viperae et ſcorpionum optimum auxilium praeſtitit oleum oliuarum, cuius boni et recentis hauſtus non tantum interne cum fructu datur, ſed membrum etiam vulneratum, quod intumeſcit, calido oleo inunctum fuit. Curandum tamen eſt, vt aeger poſtea in lectulo ſudet, et cardiacis medicamentis, inprimis ſale viperarum, vel liquore cornu cerui

cerui ſuccinato, vel ſimilibus volatilibus medicamentis, reficiatur, et ſubtiliſſimum venenum ita ex corpore eiiciatur.

§. 441.

Si vulnus veneno imbutum in extremitatibus corporis v. c. in digito eſt, ligatura ſuper vulnus iniecta ita conſtringatur, vt progreſſus veneni ad corpus cohibeatur. Vulnus deinde, ſiue huic ſiue alii corporis loco inflictum, incidatur, quo multum ſanguinis educatur, et ſuppuratio ſubſequens cataplaſmatibus emollientibus adiuuetur. Muria irritant et exſtergunt nonnulli chirurgi vulnus ipſum, et, cum ſuctio vulnerum venenatorum, ore praeſtita, apte inſtitui nequeat, cucurbitulas cum multa flamma et ſcarifationem profundam locis vicinis applicant, vel, ſi hoc non commode fieri poteſt, ferro candente locum ipſum vulneris adurunt quo eſchara tandem copioſa ſuppuratione ſoluatur, et ita venenum ex ipſo vulnere educatur.

CAPVT VII.

DE VVLNERIBVS ARTEFACTIS, VENAESECTIONE, CET.

§. 442.

In operationibus chirurgicis varia vulnera neceſſario infligenda eſſe, morborum chirurgicorum natura, et ſcalpelli in iis vſus oſtendit. Haec a chirurgo exercitato ita efficienda ſunt, vt, remoto eo incommodo, quod per operationem leuari debet, vulnus ipſum ad aptam ſanationem diſponatur, et, ſi fieri poteſt, vt vulnus ſimplex curetur.

§. 443.

De his vulneribus artefactis quamquam paſſim in operationibus chirurgicis deſcribendis agimus, et quae monenda ſunt ſubiungimus: breuem tamen in hoc capite tractationem de venaeſectione, arteriotome et ſcarifatione ideo addimus, quo pateat, operationes has chirurgicas, licet leuiores videantur, ſumma tamen cum attentione ſuſcipiendas eſſe. Cum autem praecipua huius doctrinae capita, inprimis indicantia et contraindicantia, alibi (i. m. §. 1639. ſeqq.) pertractauerimus, nihil ferme ſupereſt, niſi monita quaedam, chirurgis has operationes ſuſcipientibus exponenda.

§. 444.

Ante omnia ſitus conſuetus et varians venae, in ſuperficie corporis ad incidendum ſelectae, cognoſcatur, ne partes vicinae, arteria, neruus vel tendo, vel loco venae, vel cum vena laedantur. Id quod in macilentis praecipue neceſſarium eſt, cum ob parciorem pinguedinem, in contextu celluloſo obuiam, partes indicatae arctius connexae ſint: in obeſioribus vero, in quibus venae in contextu celluloſo aucto latent, tenſione partis et preſſu digiti earundem directio detegitur.

§. 445.

Venae iugulares, quae in obeſis difficile deteguntur, inferiore tamen colli parte non nihil conſtricta, et glomere, ſubclauiam venam comprimente, ſupra claviculam applicato, melius inciduntur *). Venae raninae, ſub lingua in angina incidendae, ſaepius parum ſanguinis fundunt; ſi vero vulnus nimis amplum infligitur, haemorrhagia oritur, quae puluillis, aceto vel ſpiritu vini imbutis, ſaepe non ſatis ſiſti poteſt. In grauioribus ſanguineis capitis affectio-

ctionibus, ſemper praeſtat iugularem incidere, quam raninas, vel frontalem, ramulos cum iugularibus coniunctos.

*) Inſtrumentum huic vſui accommodatum delineatur Memoir. de l'Acad. Roj. de Chirurgie. Vol. II. tab. I.

§. 446.

In brachio vena mediana vel alia vicina, in flexu cubiti poſita, optime inciditur. Cum autem hoc in obeſis non ſemper fieri queat, ramus in dorſo manus excurrens eligatur, vel cephalica pollicis vel ſaluatella, quae, fotu calido cum ſpongia vel balneo admoto, melius turgent. In omni tamen venaeſectione praeſtat, ramum maiorem eligere, quo ſanguis copioſius et celerius effluat.

§. 447.

Saphaena vena, ſub malleolo interno excurrens, in talo optime inciditur; quo in loco, ſi rami nimis teneri ſint, alii forte in dorſo pedis excurrentes eligantur. Turgentes ſuper malleolum venae difficulter inciduntur, cum vagina femoris ſiue faſcia lata huc continuata nimis tenſa ſit, et, ſimul cum vena inciſa, tenſiones efficiat et dolores excitet.

§. 448.

Ad venam felicius detegendam ramus princeps comprimendus eſt, quo rami inde deducti et incidendi turgeant. Venae vero tumidiores redduntur, ſi in brachio ſupra flexum cubiti faſcia iniicitur: in pede quidem id non obtinetur, ſi crus ſub ſura conſtringitur, ſed glomere comprimente ad regionem poplitaeam applicato, et faſcia ſupra genu conſtricta, venae pedis tumidiores redduntur: pediluuio tepido, affuſa ſenſim paulatimque aqua calidiore, venae pe-

dis optime turgent. Si pars in aquam calidam immitti nequit, ſpongia aqua calida plena ad partem incidendam applicatur, quo quidem auxilio etiam cutis non nihil dura emollitur.

§. 449.

Scalpello ancipite, lanceola dicto, vena optime inciditur, cum directio inciſionis et vulneris magnitudo a chirurgi arbitrio pendeant. Inſtrumentum in latere apicis acutum, quod venae applicatur, et impulſu digiti eam pertundit, quo veteres vtebantur, (*Flüte*) incongruum eſt. Inde autem inuentum fuit aliud inſtrumentum, *Schnepper* dictum, cuius acies lateralis incidens ope elateris venam ſecat. Fabricam eius et variam conſtructionem coram indicabimus.

§. 450.

Lanceolae vſus in brachio aliisque partibus, molliore cute praeditis, aptior eſt, in cute dura pedis inſtrumentum, elatere inſtructum, celerius et ſine multo dolore, venam ſubiectam cum cute pertundit, dummodo illa ſatis magna ſit, nec in contextu celluloſo vacillet. Dandum in his eſt aliquid conſuetudini aegrorum et chirurgi.

§. 451.

Vulnus, ſi fieri poteſt, directione longitudinali incidatur: melius enim ſanguis educitur, et aptior cicatrix, futuram venaeſectionem non impediens, formatur. In paruulis ramulis interdum inciſio obliqua conceditur, ſed ſanguinis effluxus tunc non bene ſuccedit. Cicatrice autem obliqua perſpecta, noua inciſio ſemper ſub eadem praeſtanda erit. Digitis appoſitis venam figere non conuenit; ſi enim cutis, compreſſione nimium tenſa, relaxatur, vulnus cutis et ſubiectae venae ſaepius non accurate ſibi inuicem reſpon-

reſpondent, et ita effluxus ſanguinis vel retardatur, vel impeditur, vel quaedam guttulae ſub cute in contextum celluloſum effluunt.

§. 452.

Vena non tantum inciſa, ſed etiam pertuſa, ecchymoſi nata §. 304. ſaepe moleſta, diſcuſſionem per epithemata exigit, ea vero recte inciſa pro magnitudine vulneris inflicti, ſanguinem pleno riuulo dimittit, quieſcente parte. Motus partis et inde pendens agitatio muſculorum venas quidem intercurrentes vrget, quo ſanguis copioſius effluat, ſaepe tamen vulneris ſitum mutat, et neceſſariam ſanguinis effuſionem cohibet.

§. 453.

Spongia humida ſanguinem a parte detergens impura non ſit, ne peregrini quid in vulnuſculum introducatur: vulnus etiam ipſum extergendum non eſt, pannus potius complicatus quadratus, vel ſiccus, vel aqua vulneraria humectatus, imponatur: nec ad conſolidationem aceto aut ſpirituoſis liquoribus opus eſt. Faſcia poſtmodum circumducatur et moderate adſtringatur, aeger ipſe membrum in ſitu tranquillo relinquat, ne vulneris coalitio aliquo modo impediatur.

§. 454.

Vbi in venaeſectione vas lymphaticum maius ſimul diſciſſum eſt, quod chirurgi attentio non ſemper euitare poteſt, lympha effluens coalitionem vulneris diu ſaepe impedit; ſicca tamen deligatio et aliqualis compreſſio optimum auxilium praeſtant. Si aliquid peregrini in vulnus introductum relinquitur, ſuppuratio ſuccedit, quae expulſo peregrino corpuſculo ceſſat, ipſumque vulnus poſtea, ſiccis

vel aqua vulneraria imbutis puluillis apte appoſitis, ſanatur.

§. 455.

Grauioribus capitis morbis, ex ſanguinis impetu oriundis, v. c. apoplexiae vel grauiori ophthalmiae, occurritur diſciſſione arteriae ad tempora aſcendentis, quam operationem arteriotomen dicunt, in aliis corporis locis vel minus neceſſariam, vel non facile ſuſcipiendam. Diſquiritur autem in regione temporali vel truncus aſcendens, vel eius ramus, ab auricula ad frontem excurrens, quo vel lanceola, vel inſtrumento elatere inſtructo, §. 449. arteria haec transuerſim diſcindi poſſit.

§. 456.

Caput in latus oppoſitum inclinetur, vt arteria non nihil tenſa aptius diſcindatur; quo facto ſanguis purpureus mox concreſcens copioſe et per interualla proſilit, cuius ſatis magna copia educta, panni gradati, et in his corpus durum comprimens ad arteriam ipſam, imprimis partem inferiorem, ita adduntur, vt faſcia nodoſa applicari queat, eo vsque relinquenda, donec arteriae cauum coaleſcat.

§. 4 7.

Etiam cutis multis vulnuſculis laeſa ſanguinem in ſcarifatione effundit, quae et ipſa inſtrumento elatere inſtructo apud nos fieri ſolet. Quod vt aptius fiat, et ſanguinis vberior effluxus eueniat, cucurbitulae ſic dictae, in quarum cauo aer per flammam lampadis rarefactus fuit, apponuntur, quibus cutis eleuatur, vt facilius procedat inciſio.

§. 458.

Scarifatio praecipue locum habet, ſi in ſtatu plethorico venaeſectio ob varias cauſſas adminiſtrari nequit, vel humorum motus ad cutim alliciendus eſt.

eſt. In variis dorſi, brachiorum et crurum partibus plures cucurbitulae applicantur; interdum etiam in variis grauioribus capitis affectionibus ſanguineis, v. c. in cephalaea, occipiti vtrinque eo in loco, vbi oſſa parietalia cum temporalibus et occipitali committuntur, ſcarifatio ſuſcipitur. De ſcarifatione narium et palpebrarum, alia ratione perficienda, ſuo loco dicturi ſumus.

TRACTATIO IV.

DE VLCERE.

§. 459.

Vel vulnus non rite ſanatum, incongruis variis applicatis remediis, corpore acribus humoribus ſcatente, in vlcus conuertitur, vel acres humores, in corpore redundantes, partes ſponte arrodunt et vlcera formant. Horum quidem differentias et naturam primum in genere diſquiſituri ſumus, vt paulo poſt tractationem de fiſtula ſiue vlcere ſinuoſo et calloſo ſubiungere, tandemque de vlceribus artefactis nonnulla proponere queamus.

CAPVT I.

DE VLCERIBVS IN GENERE.

§. 460.

Laeſio continui, ab eroſione per acres humores oriunda, vlcus dicitur. Hoc itaque praecipue in partibus mollioribus oriri ſtatuunt: nam, cum

oſſa ipſa ita arroduntur, vt laminae eorundem ſecedant, eiusmodi laeſio caries appellari ſolet, quae cum vlcere partis mollis coniuncta eſt, et in tractatione de morbis oſſium ſigillatim conſiderabitur.

§. 461.

Acer itaque et rodens humor, qui in corpore natus ad partem quandam affluit, vlcus efficit. In corporibus cacochymicis collectae et circumductae particulae acres in partes quasdam molliores congeruntur, ibi ſubſiſtunt, fibras irritant et ſtringunt, ita, vt poſt pruritum continuum ſanies effluat, praeſertim, ſi cuticula, puſtulis ſcatens, ſcalpendo laedatur, et humori exitum concedat.

§. 462.

Haec autem vlcera potiſſimum ab interna cauſſa oriuntur, vbi nimirum a ſanguinis et humorum peruerſa mixtione, ex variis vitiis diaetae, et contagio ſuſcepto, ſerum et lympha acribus et rodentibus particulis inquinata ſunt; ſic enim in ſcabie, lue venerea, ſcorbuto, aliisque morbis, cum eroſionibus cutaneis coniunctis, vlcera gignuntur, et ſaepius per varias corporis partes late proſerpunt.

§. 463.

Ab interna porro cauſſa ſimilia vlcera oriuntur, ſi vulnera, eaque ſaepius leuia, ob impuram humorum indolem, non optimae et conglutinantis lymphae affluxum, §. 351. ſed acrem ſaniem reddunt. Etiamſi igitur ſuppuratio ſuccedit, pus tamen ichoroſum et tenue funditur, hinc vaſorum laeſorum orificia ſtringuntur, et ita vulnera impura, hoc eſt, vlcera efficiuntur. Vulnera itaque in corporibus impuris difficile ſanari et in vlcera mutari, experientia quotidiana docet.

§. 464.

§. 464.

In ſano autem corporis ſtatu, in quo per functiones optime ſuccedentes boni humores praeparari poſſent, vulnera tamen difficulter ſanantur, ſi vulnerati malo victu nutriuntur; ſi pus etiam bonum diu retinetur, et ita corrumpitur; ſi falſa medendi via eligitur, v. c. ſi partes digeſtiuis relaxantibus emolliuntur, quae roborando ad coalitum diſponi debuerant; ſi vulnera praeter neceſſitatem ſpirituoſis et cauſticis, vel, ob negligentiam chirurgi, acribus et rancidis medicamentis irritantur; ſi inflammationi auctae non occurritur, vel ea ratione medendi peruerſa intenditur, vel et nimis ſupprimitur.

§. 465.

Ex his itaque aliisque cauſſis, in inflammationis et inde pendentium morborum tractatione, porro quoque in variorum vulnerum conſideratione, hactenus propoſitis, natura et geneſis vlcerum abunde declaratur; cum autem maxima earundem ſit differentia, ea quoque a nobis perpendenda erit, quo haec doctrina, in praxi clinica et chirurgica adeo neceſſaria, vlterius illuſtretur.

§. 466.

Reſpiciamus itaque primo ad differentiam partium, quae vlceribus afficiuntur. Seri nimirum acris ad habitum cutaneum affluxus cuticulam eleuat, veſiculas et puſtulas excitat, vt interdum in eryſipelate obſeruauimus. §. 62. Hae nonnunquam breui exſiccantur cuticula deſquamata, et noua ſuccedente; ſaepe tamen ſerum ſtagnans ipſas fibras cutis arrodens, ſuperficialia quidem, ſed ſaepe diu manantia, nec non ſerpentia vlcera relinquit, et ita varios morbos cutaneos, ſcabiem, cet. efficit.

§. 467.

§. 467.

Subſiſtentes itaque in cute acres humores ob rodentes particulas continuo irritant, inflammationes lentas inducunt, quae, cum ſerum acre ſemper affluat, nec diſcuti, nec ſuppuratione ſolui poſſunt. Ex his tandem vlcera oriuntur, quae varie ſerpunt, nec raro magnam cutis partem occupant. Sic in cruribus potiſſimum vaſa, varicoſa facta, talia vlcera relinquunt, §. 325. in impuris corporibus et in iis, qui nimio motu partes tendunt et irritant, vel difficile, vel prorſus non ſananda.

§. 468.

Sedes autem vlcerum longe pertinacior fit, ſi cute eroſa cellularis contextus vitietur: pinguedo enim ipſa, ibi collecta, in rancidam corruptionem procliuis eſt, et communicatio cellularum vlcera ſerpentia reddit, vix coercenda. Interdum enim acris ſanies, ad muſculos et membranas circumtenſas, tendinum vaginas, articulos et ligamenta vicina defertur, depurationem vlcerum in his locis oriundorum difficiliorem reddit, quin et deſtructo nimis contextu celluloſo immobilitas partium inducitur.

§. 469.

His ipſis partibus vel glandulae inſperſae ſunt, vel earum fabrica glandulis ferme ſimilis eſt, vt in cute et potiſſimum ad radices pilorum, in his vlcera vtplurimum pertinacius ſubſiſtunt, v. c. in capillata capitis parte. Glandulae enim acri humore eroſae, lympham, quae in iis quoque praeparatur, acrem reddunt *), ex qua cauſſa non tantum vlcera peiora fiunt, ſed, ſi male tractantur, in canceroſa mutantur. §. 212. ſeqq.

*) Et

*) Et lympha acris in glandulis ſtagnans erodit et vlcera efficit. Conf. Tractatio de lentis glandularum obſtructionibus, §. 283. ſeqq. imprimis tineae deſcriptio. §. 291.

§. 470.

Haec quidem vlcera, in vniuerſo corporis ambitu oborta, pruritu, dolore, aliisque incommodis moleſta ſunt; multo peiora tamen inueniuntur, cum in partibus quibusdam haerent, quarum fabrica ſubtilior vel laxior eſt, quam ob rem facilius ſedem ibi figunt, vel ad loca vicina proſerpunt, depurantia tamen remedia difficilius applicantur, v. c. in oculis, faucibus, naribus et circa genitalia. Etſi enim membranae, has partes inuoluentes, cutem reflexam ſiſtant, a denſo tamen integumentorum communium corporis ſtatu multum recedunt: de his itaque in particularibus morbis ſigillatim quaedam monenda erunt.

§. 471.

Peſſima etiam ſunt vlcera, quae viſcera, canalem inteſtinorum, hepar, renes, vterum, pulmones, aliasque partes internas, occupant, de quibus, cum in chirurgia parum auxilii accipiant, paſſim in praxeos clinicae inſtitutionibus dictum fuit, nonnulla tamen monita de eorum curatione in particularium morborum chirurgicorum tractatione ſubiungemus.

§. 472.

Alia vlcerum differentia ab affluxu humoris in vlcere ducitur, et in ſingulis aegris ex ſuis cauſſis repetenda eſt; interdum enim ille tantum tenuis et ſeroſus, interdum ſanioſus, flauus, plus minus acer et corroſiuus, interdum mucoſus lenteſcens apparet.

Quae

Quae quidem cuncta ex partium eroſarum fabrica, aegrorum habitu, et morborum, cum quibus concurrunt, indole diiudicari debent, et hac in re ad foetorem quoque vel nullum, vel plus minus inſignem, reſpiciendum eſt.

§. 473.

Simili ratione etiam vlcerum ſuperficies diiudicatur. Ea enim interdum humida ſunt, et multam ſaniem plorant; interdum magis ſicca et prurientia inueniuntur, interdum contextus celluloſus tantum relaxatur, interdum omnis ſuperficies cruſta mucoſa, immo calloſa, obducitur, et haud raro caro fungoſa in iis naſcitur. Nonnunquam in ſinus excurrunt et fiſtulas efficiunt, de quibus in peculiari tractatione agendum erit.

§. 474.

Vlcera etiam interdum recentia ſunt, in quibus, cum nec partes laeſae, nec corpus ipſum aliqua labe iam antea inquinata fuerint, affluxus moderatior nec adeo celeris eroſionis progreſſus, ideoque facilior curatio eſt; ſaepe tamen ea, quae diuturnitate et inſigniori ambitu partes laeſas deſtruunt, et ob reſorptionem materiae acris ſtagnantis humores corporis inficiunt, peiora, vetuſta, calloſa et cacoethica redduntur, et haud raro cauſſae morborum lentorum et deficientis in iis nutritionis ſunt.

§. 475.

Ex his autem differentiis diagnoſis vlcerum petenda, et gradus laeſionis definiendus eſt, quam ob rem et vniuerſales et particulares cauſae, quae vlcera gignunt et fouent, ſedulo attendendae et diſtinguendae ſunt: ex quibus inter ſe comparatis prognoſis

gnoſis vlcerum quoque elicitur, et indicationes aptae et vera medendi methodus definitur.

§. 476.

Vlcera per ſe non ſaneſcunt: niſi enim in vulnera ſimplicia mutata fuerint, liquor ille gelatinoſus, lymphaticus, §. 351. qui conglutinationem partium laeſarum praeſtat, ad ſuperficiem affluere nequit. Si ab interna cauſſa, varia ſcilicet cacochymia, excitantur, § 462. non, niſi illa ſublata, curatio abſoluitur: quod ſi enim vlcera efficaciae exſiccanti externorum medicamentorum cedunt, et cicatrix ipſa induratur, facile tamen ob humorum impurorum affluxum recrudeſcunt.

§. 477.

Si minus apta medendi methodo vulnera in vlcera mutata ſint, §. 464. illa correcta, optimisque remediis electis, facile cedunt; nulla enim hic humorum deprauatio obſeruatur, quae fibras arrodere, orificia vaſorum ſtringere, et ſucci lymphatici affluxum cohibere poſſit.

§. 478.

In cacochymicis et ſenibus praecipue vlcera difficilius ſanantur, et ſaepius praeſtat, dummodo mundities obſeruetur, ea non tangere. Si enim reprimentibus et nimium exſiccantibus medicamentis tractantur, difficiles morbi, aſthma, vertigo, apoplexia et alia mala oboriuntur, aut aegri ſubito rapiuntur. Vlcera habitualia, in ſenibus ſponte ſiccata, vtplurimum propinquam mortem praenuntiant.

§. 479.

Cum vlcera vel ex ſola humorum corruptione pendeant, vel ſaepius inde foueantur, de interna

cura-

curatione prius diſpiciendum eſt, quam externa remedia applicentur, inprimis vero diaeta in victu et reliquis rebus non naturalibus, qua vulnerum quoque curationes adiuuari cognouimus, §. 356. rite ordinanda eſt. Quies partis laeſae et abſtinentia a cibis, qui crudis, acribus et viſcidis ſuccis laedunt, praecipue conuenit, parcior etiam et ſiccus victus vtilis eſt. (m. c. §. 537).

§. 480.

Purgationes alui crebriores et validiores non conueniunt; his enim materia vlceroſa non corrigitur, ſed haud raro ad interiora conuertitur, quod de ſcabie oſtendimus. (m. c. §. 521). Interdum tamen, ſi vlcera nimis humida ſunt, et corpus de reliquo ſuccis abundat, blandae et repetitae purgationes, inprimis per rhabarbarina medicamenta, proſunt. Idem de reliquis excretionibus, imprimis de ſudore, valet, qui non niſi apto regimine dirigendus eſt.

§. 481.

Decocta vegetabilia, ſanguinem purificantia et diluentia aegrorum conſtitutioni accommodanda, et interdum tantum demulcentia, interdum acriora reſoluentia, concedenda ſunt, (m. c. §. 522). Nec humores calidioribus medicamentis exhibitis commoueri debent, cum partialia vlcera febris aucta vel ſaepe parum vel plane non iuuet; ſed humores nimium agitati ſaepe inflammationem intendant, et vlcera exaſperent. Haec et alia monita, in vlcerum curatione attendenda, ex natura morborum, quibuscum ea coniuncta ſunt, definiantur.

§. 482.

His bene perpenſis, de externis remediis vlcera purgantibus cogitandum eſt. Vlcera autem pur-

purgare eſt ea remouere, quae boni lymphatici ſucci acceſſum impediunt. Qua in re orificia arteriarum in vlcere vel nimis relaxata, vel cruſta plus minus mucoſa et tenaci inducta, ita mutanda ſunt, vt humor bonus, qui loco ichoroſi et acris affluit, ſtaſi non corrumpatur. Varia itaque pro varietate vlcerum medicamenta eligenda, eaque variis partibus et ſucceſſiuis mutationibus vlcerum accommodanda ſunt.

§. 483.

Vlcera ſuperficialia ſub cuticula ſerpentia, et nimio humoris affluxu moleſta, nec ad facilem exſiccationem ducenda, aqua phagedaenica, quae ex aqua calcis viuae cum pauxillo mercurii ſublimati trita componitur, egregie corrigit; ſiccat enim, et leni ſtimulante vi vaſa minima roborat: ſicca tamen et nimis prurientia vlcera eam non ferunt, quibus potius emplaſtrum diachylon ſimplex vel compoſitum cum gummi apponendum eſt, quo, emollita cruſta, ſuppuratio aliqua accedat.

§. 484.

Non tantum ſuperficialibus, ſed et vlceribus profundis decocta aquoſa plantarum amaricantium, ſcordii, abſinthii, cet. radicis ariſtolochiae, gentianae, cet. et cum linteis carptis, et in epithematibus applicanda ſunt: quibus maior efficacia additur, ſi cum aqua calcis viuae, quae ſiccantem virtutem habet, praeparantur.

§. 485.

Cum autem ſaepius in his vlceribus partes ſordidae ſparſim haereant, quae ſola exſiccatione non ſoluuntur, puluilli vnguentis digeſtiuis v. c. balſamo ARCAEI imbuti, illis locis imponi poſſunt, quo id, quod impurum eſt, ſuppuratione ſecedat. Vn-

guentum apoſtolorum vel aliud, aegyptiacum dictum, ad vlcera mundanda et cruſtas non nihil detergendas maiori cum efficacia adhibentur; ſed loca neruoſa et quae facile irritantur, haec non ſemper patiuntur.

§. 486.

Si quando, fit autem ſaepe, cruſta mucoſa digerentibus et pinguibus emolliri nequit, multo magis, ſi ſuperficies calloſa et ferme ſine ſenſu eſt, tunc acriora remedia requiruntur, vt vitriolum et alumen vſtum, quae humiditate affluente ſoluuntur. Si vero vlcera nimis ſicca ſunt, ſolutiones horum medicamentorum et aeruginis, vel etiam ipſi ſpiritus acidi minerales, vel ſpiritus ſalis ammoniaci in puluillis applicantur. His enim omnibus cruſta reſoluitur, et ſana pars vlceris non nihil irritatur, quo id, quod impurum eſt, leui inflammatione et inde blanda ſuppuratione ſoluatur et ſecedat.

§. 487.

In vſu horum medicamentorum adurentium caute verſandum eſt, ſuntque locis tantum impuris admouenda; ideo liquores optime linteis carptis excipiuntur, et, ne humiditas eorum diffundatur, leniter exprimantur, vel ſordidis illis locis leniter tantum illiniantur. Cum autem nihilo minus ſaepe nimium dolorem et inflammationem excitent, paulo poſt vnguenta digeſtiua, aliis puluillis excepta applicanda ſunt, quae ſuccedenti quoque ſuppurationi fauent.

§. 488.

Et mercurius ſalibus acidis iunctus, inprimis in vlceribus venereis, commendari meretur. Dulcis ſic dictus mitiſſime agit, magis adurit et purgat mercurius praecipitatus ruber, ſuperficiei vlceris inſper-

ſperſus; nonnunquam tamen haec medicamenta pinguedine vel vnguentis digeſtiuis excipere, et ita applicare praeſtat. Mercurius ſublimatus corroſiuus efficacius agit, qui tamen, ne venenatos effectus in corpus ipſum transferat, ſumma cum attentione adhiberi debet.

§. 489.

Quae praeterea nota ſunt rodentia et cauſtica medicamenta potentiora, v. c. butyrum antimonii, lapis cauſticus chirurgorum, qui alcalinae indolis eſt, cum fluere ſoleant nimisque diffundi, ſanas quoque partes nimium ſaepe arrodunt. Lapis infernalis ſiue luna cauſtica omnibus reliquis cauſticis potentialibus praeferri meretur, quippe qui ſuper partes deſtruendas ductus, eſcharam format, vnguentis digeſtiuis facile ſeparandam. De lapidis diuini ſolutione in vlceribus oculorum dicturi ſumus.

§. 490.

Cum autem interdum in vlcere partes neruoſae facile irritandae occurrant, non tantum ea, quae §. 487 monuimus, vtique attendenda ſunt, ſed puluillis quoque, vel ſiccis, vel imbutis eſſentia ſuccini vel myrrhae ſine alcali parata, partes ſenſiles obtegendae ſunt. Interdum quidem vnguenta digeſtiua his ipſis eſſentiis vel aqua vulneraria diluuntur, quo putredinem, cum ſuppuratione facile occurrentem, compeſcant: cum autem contrariorum medicamentorum miſcela operationem quaeſitam ſaepius impediat, depuratio vlcerum his magis retardatur, quam efficitur.

§. 491.

Spirituoſis et balſamicis medicamentis caro quoque fungoſa in vlceribus ad ſanationem properantibus facile excreſcens coercetur; quamquam aqua

phagedaenica, quae magis exſiccat, praeſtare videtur. Quod ſi vero caro fungoſa et putrida ſub hac lenta curatione nimis excreſcat, illa quoque adurentibus ante laudatis §. 486. coercenda eſt, niſi interdum ſatius videatur, eandem ſcalpello praeſcindere, et vlterius incrementum puluillis ſiccis applicatis cohibere.

§. 492.

Si cruſtae vlcerum nimis durae ſunt, nec partes ſanae vicinae nimium cauſticorum remediorum vſum ferunt, tutius certe ſcalpello exſcinduntur. Interdum, praeſertim ſi ora vlcerum nimis calloſa ſint, ea ſcalpello incidantur, quo cruenta fiant, tunc enim vnguenta digeſtiua et non nihil cauſtica eo melius agunt, et partes emortuas, ſuppuratione mota, ſoluunt. Cauſticis actualibus vlcera mouere, et eſcharam inducere, interdum forte conuenit, cauendum tamen eſt, ne dolores praeter neceſſitatem intendantur.

§. 493.

Vlcera per ſe validam inflammationem vix inducunt, attamen, ſi medicamentis aliisque remediis acrioribus talis excitetur, interdum neceſſarium eſt, vlcerum confiniis epithemata diſcutientia apponere, quo ſtagnantes humores moueantur, nec inflammatio ſtrictis vaſis nimis intendatur. Circa vlcera quoque haud raro tumores oedematoſi oriuntur, qui eorundem ſanationem impediunt: ergo, cum motu partium diſſipari nequeant, videndum omnino eſt, quousque vel epithematibus ſiccis, vel faſcia roborante, vel aliis auxiliis §. 254. ſeqq. propoſitis, vincantur.

§. 494.

§. 494.

Haec ſummatim tantum indicata attentionem chirurgi in ſanandis vlceribus dirigunt. Cum vero varia vlcerum conditio ſit, et ſingulares ſaepe mutationes mutatam quoque medendi rationem expoſcant, chirurgi, qui vlcera debita cum attentione tractant, partes vel emolliunt, vel roborant, vel adurunt, vel a putredine defendunt, prout quidque propter accedentia ſymptomata neceſſarium videtur. Sunt hae ſaepius diuturnae et taedioſae curationes, quae non niſi accurato aegri regimine et vera chirurgi attentione vincuntur.

§. 495.

Vlcus depuratum, omnibus impedimentis remotis, carne bona et firma repleatur, cuius incrementum digeſtiuis quidem medicamentis quodammodo iuuatur, balſamica tamen vel immiſcenda vel interponenda ſunt, §. 490. ne excreſcentis carnis eminentiae §. 354. nimis fungoſae euadant, ſed aptam denſitatem habeant. Vlcus tandem, vt vulnus, cicatrice inducta penitus ſanatur.

§. 496.

Sunt et vlcera cacoethica, quae ob nimis deprauatam humorum indolem ſanari nequeunt, aut, quia habitualia ſunt, cum incommodo aegri ad ſanationem ducuntur. In his munditiei ratio habenda eſt, ne acri humore diffuſo proſerpant, ſed intra limites coerceantur. Haec quoque, ſi nimis ſicca ſiunt et dolent, interdum emplaſtris emollientibus applicatis lenienda, interdum vero leuiter irritanda ſunt, quod puluere radicis ireos florentinae et ariſtolochiae, melle excepto, optime praeſtatur. Puluis etiam cantharidum interdum ad hunc finem adhibetur.

CAPVT II.

DE FISTVLA.

§. 497.

Vlcera praecipue in contextu celluloſo ſedem figunt, et inde inter varias partes organicas deſcendunt, easque laedunt. Cum igitur materia vlceroſa in laxiore contextu celluloſo clam progrediatur, et cellularum communicatio huic progreſſui faueat, varii ſinus formantur, qui a cauo primario vlceris in laterales cauitates extenduntur.

§. 498.

In vulnerum itaque et multo magis in vlcerum curatione chirurgus attendat, ne clandeſtinae materiae purulentae et ſanioſae deriuationes eueniant, id quod non tantum tempeſtiua abſceſſus inciſione, §. 108. crebriore vulneris et vlceris diſquiſitione, et ita accelerata eiusdem purgatione et moderata compreſſione partium, ad quas materia in vlcere contenta dimanare poſſet, efficitur: maxime autem eo reſpiciendum eſt, vt partis vlcere affectae is ſitus eligatur, in quo materia effluat, minime vero in abſcondita loca deſcendat.

§. 499.

In compreſſione, quae vel digitis fit, vel linteis complicatis per faſcias adſtringendis, caute verſandum eſt, quo materiae effluxus per eam ad orificium vlceris ducatur, nec ad auia loca propellatur. Hinc quoque in iniectionibus liquidorum medicamentorum, quibus vlcera interdum eluuntur, exprimendis, et in turundarum applicatione ea omnia euitentur,

tur, quae excretionem materiae vlceroſae retardare vel prorſus impedire poſſint.

§. 500.

Vlcera ſinuoſa, quoniam vtplurimum caua cylindrica ſiſtunt, interdum fiſtulae dicuntur; ſed, ſi accuratius loqui velimus, vlceri ſinuoſo tunc demum fiſtulae nomen competit, cum cauum cruſta calloſa obductum eſt, haec enim duritiem et inſenſibilitatem inducit, et acrem corruptamque materiam magis magisque fouet.

§. 501.

Callus in vlcere quidem ex ſtaſi materiae ſpiſſae non effluentis, ſed condenſatae oritur, praecipue tamen ipſae fibrae contextus celluloſi, conſtrictae et denſiores redditae, cum materia viſcida ſtagnante in vnam quaſi tunicam concreſcunt, ita vt cauum totum cruſta plus minus denſa inueſtiatur, et, ſi ſinus calloſus mox ſub cute excurrit, durities tactu percepta directionem fiſtulae oſtendat.

§. 502.

Cauſſae itaque, quae ſinus, et ex his fiſtulas formant, variae ſunt: nimis diu dilata maioris abſceſſus incifio; neglectus depurationis vulnerum et vlcerum; nimia partium vicinarum preſſio in eliminanda materia vlceroſa; turundae nimis durae et rigidae in caua anguſta inſertae; compreſſio valida per faſcias his partibus circumductas; medicamenta nimium exſiccantia tunc applicata, quando materia peregrina educenda reſtat; cauſtica quoque et adurentia medicamenta, quae ſuperficiem vlceris nimium criſpant et ſtringunt, neque tamen inflammationem et ſuppurationem ſoluentem mouent.

§. 503.

Diſquiſitio fiſtularum haud raro difficilis eſt. Si mox ſub cute excurrunt, durities, quae callum in vlcere prodit, §. 501. eundem etiam in continuata fiſtula formari indicat: in detergendo vlcere ſaepius ex oſtiis lateralibus ſanies cum purulenta materia remixta egreditur, quo facto viae abſconditae ſpecillo vlterius, ſed caute detegendae ſunt; quam ob rem, ſi ſinus inter muſculos deſcendunt, membrum apte collocandum, vel etiam non nihil mouendum eſt, quo diſquiſitio ex voto ſuccedat. Interdum moderata iniectione decocti ſcordii vel ſimilis plantae in profunda vlcera ſinus laterales et fiſtulae deteguntur.

§. 504.

In diſquiſitione ſinuum et fiſtularum per ſpecilla non ſatis caute verſari poteſt chirurgus: cum enim contextus celluloſus, vel ſanus quoque, ſenſu exquiſito careat, ſpecillo rudius immiſſo ſinus formari poſſunt, cum etiam fiſtulae non ſemper recta, ſed flexuoſa ſaepe via procedant, non quidem rigidis et ex metallo fabrefactis ſpecillis, ſed ex virga balenaria paratis, vel cereis, exploratio vlcerum in abſconditis locis ſerpentium inſtituatur.

§. 505.

Anguſtum orificium ſinuoſi et fiſtuloſi vlceris, quod in cute patet, ſcalpello ancipite ampliandum eſt, quo ambitus internus eo melius diſquiri poſſit. Interdum quidem turundae, ex rapis exſiccatis, radice gentianae et ſpongia paratae, quae humiditatem ſugunt et turgent, ampliandi orificii cauſſa immittuntur; ſed, cum orificia preſſione valida nimis calloſa reddantur, ſaepius his vti non conuenit. Ergo inciſiones ſcalpello factae omnino praeſtant.

§. 506.

§. 506.

Differentia vlcerum, ideoque et fiſtularum, etiam a materia effluente diiudicatur: qua in re praecipue fiſtulae, quae ad oſſa vsque penetrant, ſedulo attendendae ſunt; quae ex materiae vlceroſae foetore, colore item nigro, quem ſpecillum argenteum immiſſum trahit, et aſperitate ſuperficiei oſſis, ſpecillo percepta, optime dignoſcuntur.

§. 507.

De fiſtulae prognoſi eadem ferme valent, quae de vlcere §. 476. ſeqq. diximus. Impura corpora vlceribus affecta, cum ſanationem morentur, ſaepius fiſtulis formandis occaſionem praebent. Fiſtulae ſub cute et in adipe tantum excurrentes, inprimis recentes, et ſcalpello facile inciduntur, et medicamentis aptis tractantur; difficilius autem inciduntur et ſanantur, ſi partes nobiliores, arterias, venas, neruos, oſſa, cet. attingunt, ſi circa articulos excurrunt, vel in ipſas cauitates penetrant.

§. 508.

Fiſtula eſt vlcus: in eius itaque curatione omnia attendenda ſunt, quae de vlcere §. 479. ſeqq. diximus; ſed, cum ea abſconditum et calloſum vlcus ſit, maiorem omnino attentionem et in diſquiſitione et in applicatione remediorum requirit. Quare noſtrum erit, variis monitis curationem fiſtularum vlterius explicare.

§. 509.

Quamquam medicamenta, variae indicationi inſeruientia, digerentia, cauſtica, cet. turundis illiniunt, et in cauum fiſtulae introducunt chirurgi: tamen, cum turunda ſemper aliquam compreſſionem efficiat, ſatius eſt, vnguentum aegyptiacum, vel aliud

ſimile non nihil inſpiſſare, additis medicamentis plus minus irritantibus, in paſtillos formare, et ita in cauitatem fiſtulae ingerere, cum paſtilli melius emplaſtris, quae nimiam tenacitatem habent, liqueſcant, et arroſo callo vlcera purgent.

§. 510.

Cum vero haec medicamenta, ſumma licet adhibita attentione, ad fundum fiſtulae non ſemper perueniant, medicamenta varia, inprimis cauſtica, liquoribus excipiuntur, et iniectione ad loca haec profunda deriuantur; qua in re inprimis ſpiritus ſalis ammoniaci bonae notae laudari meretur. Sed praeterquam, quod hae iniectiones ſaepius fiſtulas extendunt, aliud etiam incommodum ex laeſione partium vicinarum, quae facile irritari poſſunt, exoritur, vt haud raro infuſa abſtergentia v. c. hyſſopi, agrimoniae, cet. paulo poſt iniicienda ſint, quae primum effectum non nihil infringunt.

§. 511.

Inprimis autem hoc tunc attendendum eſt, cum neruoſae partes, ad quas fiſtulae pertingunt, vel oſſa, iam carioſa facta, laeduntur et magis arroduntur. Ad has itaque abſconditas partes, cum rodentia medicamenta omnino aliena ſint, non niſi aqua calcis cum herba abſinthii cocta, vel aqua phagedaenica iniicienda eſt. Interdum, ſi callus arrodentibus remediis deſtructus eſt, gummi elemi vel maſtichis cum terebinthina, in vitello ouorum ſoluta, ingeri poſſunt.

§. 512.

Si fundus fiſtulae medicamentis attingi nequit, diſquirendum eſt, an illa in oppoſito loco incidi, et medicamenta applicanda, mediante linteo a latere ſim-

ſimbriato, vt in ſetaceis, huic illiniri. et ita per omnem fiſtulae ambitum diſtribui poſſint. Acum itaque triquetram, vagina munitam et elatere inſtructam, ad fiſtulas ſatis longas altera parte aperiendas aptam, nonnulli chirurgi adhibent; praeſtat tamen inciſionem ſcalpello facere, ſi res permittat.

§. 513.

Quando vero cuncta haec auxilia ad depurandam fiſtulam inſufficientia ſunt, de ea tota aperienda et amplianda tandem cogitandum eſt. Scalpello igitur ſuper ſpecillum ſulcatum introducto, et ita integumentis aliisque partibus, quae ſeruari non poſſunt, prorſus diſciſſis, fiſtula in vlcus apertum mutetur, cui poſtea varia medicamenta melius applicari poſſunt.

§. 514.

Si fiſtula ſub cute excurrit, ſpecillum ſulcatum argenteum flexile, apice acuto ferreo inſtructum, ingeratur, et integumenta in oppoſita parte perforentur, poſtea vel omnis callus ſuper ſpecillum haerens exſcindatur, et ita vulnus recens formetur, vel, ſi hoc fieri nequit, fiſtula tantum aperiatur. Eo tamen probe reſpiciendum eſt, vt ſpecillum in parte ſana exeat, nec fundus fiſtulae intactus relinquatur. Scalpello in vagina recondito et elatere inſtructo fiſtulas quoque aperiunt, ſaepe tamen hoc inſtrumentum nimis craſſum eſt, et ad fundum fiſtulae anguſtioris duci nequit.

§. 515.

Omni igitur ambitu fiſtulae detecto, et remediis aptis applicatis, depuratio eiusdem et poſtea plenaria ſanatio ſaepius praeſtari poteſt. Quod ſi vero finem praefixum attingere nequeat chirurgus, fiſtulae illae, quantum fieri poteſt, mundandae et ita

coercendae ſunt. Nonnunquam igitur conuenit, aqua phagedaenica cruſtam exſiccare, et vlteriorem materiae acris affluxum auertere, ſed medendi ratio rariſſime ita abſoluitur, vt aeger a futuris vitae incommodis tutus reddatur.

CAPVT III.

DE VLCERIBVS ARTEFACTIS.

§. 516.

Vlcera habitualia facta, licet maximis vitae incommodis ſtipata ſint, interdum tamen acrem materiam ab internis corporis partibus deriuando, corpus ab ingreſſu aliorum morborum tutum reddunt. §. 478. Haec obſeruatio therapiae per vlcera artificialia praeſtandae occaſionem dedit; de qua re in therapia generali (i. m. §. 1631. ſeqq.) ſummatim iam expoſuimus, et euacuationum ſeroſarum, per habitum cutaneum factarum, indicationes, in veſicatoriis, aliisque vlceribus arte excitatis declarauimus: nonnulla tamen accuratius definienda, et praecipue ea, quae ad adminiſtrationem chirurgicam pertinent, plenius tradenda ſunt.

§. 517.

Vlcera autem haec per artem excitanda tunc temporis indicantur, cum ad partes corporis internas et nobiliores, inprimis ad organa ſenſoria, humor acris congeritur, et nobiliores corporis functiones laedit, v. c. in lippitudine a decubitu ſeri acris ad oculos, in ſurditate et difficultate audiendi, ſeu aurium vitio, in apoplexia et morbis ſoporoſis

ex

ex colluuie ſeroſa in cerebrum conuerſa oriundis, ex arthritide fixa ad articulos haerente, cet.

§. 518.

In ſenſibilioribus aegris, vel in iis, qui inflammatione nobiliorum partium cum ſiccitate et pruritu coniuncta vexantur, non ſemper admitti poſſunt. Cum enim non tantum ſerum abducant, ſed etiam neruos irritent, et ſaepe totum eorundem ſyſtema in conſenſum trahant, loco auxilii, quod ab iis expectamus, tenſiones et dolores, ſine omni affluxu ſeri moleſtos, aegri percipiunt.

§. 519.

Paſta ex fermento panis, vel farina ſecalina et aceto cum ſinapi, pipere, armoracia, aliisque irritantibus medicamentis paratur, quae variis corporis locis applicata, cutem irritat, non raro cuticulam eleuat, et in variis morbis §. 517. acre ſerum a ſedibus internis remouet, et ad habitum cutaneum allicit. Cantharidum puluis fermento panis vel emplaſtro de meliloto ſuper alutam extenſo aſpergitur, et, ſi cutis antea vsque ad rubedinem fricta fuit, applicatur, quo facto intra octo vel duodecim horas, ſaepe et citius, cuticula in veſicam eleuatur, quae magna ſaepius ſeri copia turget.

§. 520.

Veſicatoria in ſeroſis capitis affectionibus, interdum vertici, poſt aures, crebrius tamen nuchae et inter ſcapulas, interdum etiam ad brachia, carpos et furas applicantur. Cuticula ſeparata, locus denudatus vnguentis digeſtiuis et emplaſtris emollientibus ad iuuandam ſuppurationem, eamque, ſi neceſſe eſt, diu ſuſtinendam, diſponitur, et haud raro etiam

etiam puluere cantharidum et euphorbii denuo inſperſo vlcus cutaneum irritatur, et copioſus ſeri affluxus allicitur.

§. 521.

In cantharidum autem largiori inprimis applicatione earum efficacia in vias vrinarias bene attendenda eſt. Hinc qui morbis harum viarum laborant, excitante hoc remedio non nimis tentandi ſunt, et, ſi forte vrina, per cantharides acrior reddita, dyſuriam et alia incommoda induxerit, lacte vel emulſionibus propinatis ſymptomatibus his occurrendum eſt.

§. 522.

Si vlcera vaga cutanea, ſuo modo critica dicenda, exſiccantur, vel acris materia in internis partibus haerens ad ſuperficiem deriuanda eſt, tunc in definitis locis ſingularia quaedam vlcera ſtudio et arte excitantur, quae, quoniam fontes materiae acris excernendae praebent, fonticuli appellantur. Eligitur itaque locus, vbi adeps inter muſculorum commiſſuras profundum vlcus admittit, neque tamen arteriae, venae, neruo et muſculo inſidet. In brachio locus inter deltoideum et bicipitem medius, in femore ſuper genu inter vaſtum internum et gracilem optimus eſt; alia loca minus opportuna videntur.

§. 523.

Modus fonticulum excitandi expeditiſſimus quidem eſt, ſi locus ille lanceola inciditur, et piſum in vulnus intruditur, quod emplaſtro, pannis comprimentibus et faſcia circumducta retentum, ab affluente humore turget, et compreſſione parietum cauum vlcus format. Sed inciſio longitudinalis ſaepe id incommodi affert, vt cauum vlceris verſus inferiora

riora ampliatum deſcendat, et ex ſua ſede demoueatur; hinc forte cauſtico vlcus inurere praeſtat.

§. 524.

Emplaſtrum in medio perforatum, loco, cui fonticulus imprimi debet, applicandum eſt, pars media humectata excipiat lapidis infernalis vel alius cauſtici partem, quae alio emplaſtro ſuperaddito tegatur: poſt aliquot dierum decurſum cruſta dura formatur, quae, inflammatione mota, a parte ſana ſecedit, et, digerentibus vnguentis emollita, ſenſim remouetur, quo piſum in cauum intrudi queat, qua ratione vlcus cauum, rotundum in adipe formatur, et quotidie mundum redditur, piſo poſtea nouo immiſſo, et charta cera obducta cum panno complicato per faſciam circumductam firmatur.

§. 525.

Loco piſi globulos ligneos alii eligunt, denuo exſiccandos et applicandos, ſed cum ſpurcus humor eis adhaereat, foetorem ingratum trahunt. Globuli ex radice gentianae rubrae vel ireos florentinae formati, aut fructus aurantiorum parui et immaturi, tunc immitti poſſunt, quando cauum exſiccatur, vel callo obducitur, ideoque effluxus humoris impeditur. Caro fungoſa lapide infernali vel puluere aluminis vſti coercetur. Puluerem cantharidum aliaque auxilia vlceribus excitandis vel irritandis inſeruire, alibi §. 496. et 520. declarauimus.

§. 526.

Si in corporibus macilentis contextus celluloſus parcior eſt, fonticuli fundus ſaepe muſculum attingit, ideoque non tantum ſiccatur, ſed etiam dolores excitat, nec vera exulceratio vllo modo ſuſtineri poteſt.

poteſt. Quod ſi eueniat, vel alius locus, pinguedine refertus, eligendus, vel hoc auxilii genus prorſus omittendum eſt. Fonticuli habituales, ſi in ſenibus potiſſimum ſponte ſiccefcunt, ſaepius mortem propinquam praedicunt.

§. 527.

Alia quoque vlceris artificialis ſpecies eſt ſetaceum, quod a ſetis ſeu pilis equinis olim applicatis (*der Haarſtrang*) nomen traxit, et omnium optime in nucha excitatur. Cutis illo in loco eleuatur, et ſcalpello transuerſim perfoditur, tracto per vulnus lino, ex contortis filis goſſypinis parato. Acus etiam magna, ad hanc operationem inuenta, et vulnus commodius facit, et filum ſimul transducit.

§. 528.

Iam ipſa fila quidem, vtpote rigidiora, irritant, dolorem et inflammationem maiorem excitant, et non tantum ſeri affluxum, ſed largam ſaepe inflammationem mouent. Attamen pro ratione vlceris et digeſtiua vnguenta, quae ſuppurationem ſuſtinent, aliaque magis irritantia medicamenta applicari, et lina his imbuta quotidie, vel bis ſingulis diebus vlterius trahi poſſunt. Hoc auxilio in variis oculorum morbis ex ſeri affluxu oriundis, inprimis in lippitudine debellanda, multum efficitur.

§. 529.

Leuior exulceratio inducitur, ſi lobuli auricularum inſtrumento, forcipis planioris in modum formato, et foramine in medio inſtructo, comprimuntur et acu perforantur, poſtea autem filum plumbeum transducitur, quod irritando affluxum ſeri quodammodo ſuſtinet. Sed exiguum auxilium

in

in morbis inde expectandum eſt, foramen enim ſiccum et calloſum relinquit, quale eſt, cui ornamenta aurium affiguntur.

§. 530.

Ferro candente ad vlcera impura irritanda, et, eſchara formata, depuranda, veteres non tantum vſi ſunt, ſed etiam cuti ſanae vsque ad contextum celluloſum, atque adeo ad partes ſubiacentes, cauteria ſic dicta actualia applicuerunt. Ferramenta variae figurae hanc ob cauſſam inuenta ſunt, quae coram oſtendenda et diiudicanda erunt. Quando autem applicantur, cruſta inde ſeu eſchara formatur, qua per inflammationem et ſuppurationem mota, magna et diu manantia vlcera excitantur, quae et seroſam et acrem colluuiem copioſe ex corpore ſubducunt.

§. 531.

Vertici in loco fontanellae, proceſſui maſtoideo, nuchae, ſub ſura ad tendinem muſculi gemelli confluentem, et in planta pedis praecipue, ſed et in aliis locis ad euocandam materiem ſeroſam, crudele quidem, ſed ſalutare etiam hoc auxilii genus adhibuerunt: pertinaciſſimos enim et inueteratos morbos cauteriis actualibus ſanatos fuiſſe obſeruatores confirmant, quorum veſtigiis in morbis grauioribus, nec alia ratione debellandis, inſiſtendum eſt. Nos paſſim de vſu ſpeciali cauteriorum agimus.

§. 532.

Mitiori cauterio actuali Iaponenſes et Chinenſes vtuntur, dum conos, ex moxa ſiue lanugine artemiſiae paratos, variis cutis partibus applicant, et lenta combuſtione dolorem excitant, immo eſcharam formant. Hanc quidem medendi methodum in doloribus rheumaticis pertinacioribus aliisque

Chirurg. M mor-

morbis tentari poſſe perſpicimus, ſi, cum plantae noſtrarum terrarum denſa tali lanugine vix inueſtiantur, linea vel cannabina fila in conos ſimiles formarentur, et cuti impoſita lento igne comburerentur *).

*) Conf. Cl. POUTEAU Melanges de Chirurgie pag. 1. ſeqq.

TRACTATIO V.

DE

MORBIS OSSIVM.

§. 533.

Adeo ampla eſt de morbis oſſium doctrina, vt illam in particulari morborum tractatione vix digne ſatis abſoluere queamus, niſi in generali hac parte quaedam praemittamus, quae in ſpeciali tractatione proponendis fundamenti loco inſeruiant. Qua in re ea, quae de geneſi et fabrica oſſium monenda ſunt, breuiter tangimus, cum haec doctrina, ad diſquiſitionem morborum ſumme neceſſaria, medendi methodum quoque egregie illuſtret.

CAPVT I.

DE

OSSIVM MORBIS IN GENERE.

§. 534.

Oſſium natura in denſa fibrarum et laminarum cohaerentium fabrica poſita eſt. Licet enim in ea ad fibram glutine confirmatam eodem modo, vt in partibus mollioribus, attendendum ſit: tanta tamen

men oſſium obſeruatur durities, vt reliquis molloribus partibus corporis animalis ſuſtinendis paria ſint. Cum vero corpus ad motum diſpoſitum eſſe debeat, ſceleton ſiue tota oſſium compages ex variis partibus, nunc laxius, nunc arctius inter ſe commiſſis et coniunctis, conſtat, prout firmitas et mobilitas partium requiritur.

§. 535.

Fabrica oſſium ex fibris terreis praecipue quidem conflata eſt; ex ſola tamen terrearum particularum congerie tanta durities laminarum non exſurgeret, niſi glutine interpoſito et ſuo modo denſato vera oſſium ſoliditas, quae in ſanis conſpicitur, efficeretur: os enim, glutine deſtitutum, poroſum et fragile eſt, et vti illud nimio humorum affluxu diſtenditur, vel quaſi molleſcit, ſic deficiente ſucco ſiccatur et facile frangitur.

§. 536.

In quolibet tamen oſſe, pro ratione figurae et coniunctionis cum vicinis oſſibus, denſitas quoque partium eius non nihil variat. Cum enim alia oſſa plana et lata, alia cylindrica ſint, non tantum durities in integris oſſibus, ſed etiam in quibusdam eorum partibus diuerſa eſt. In quibusdam nimirum caua cylindrica vel irregularia plus minus ampla et duriora, in aliis tantum cauernulae paruae inter ſe communicantes deprehenduntur, prout firmitas in ſuſtinendis et defendendis, vel mobilitas in agitandis partibus, oſſibus annexis, vel etiam nutritionis neceſſitas illud requirit, quae quidem differentia ex anatomicis nota in variis oſſium morbis maxime annotanda eſt.

§. 537.

Cinguntur praeterea oſſa membrana denſa et ex fibris potiſſimum tendineis conflata, quam perioſteum dicunt; vaſa ſanguifera et ſuo etiam modo nerui, in perioſteo diſtributi, per poros et foramina in ipſam oſſis ſubſtantiam ducuntur, et per eam ita transeunt, vt in internis oſſium cauis et cellulis ſimilis, ſed longe ſubtilior membrana diſtribuatur, eaque inueſtiat, ex qua re ſubtiliorum ſuccorum elaboratio et diſtributio, indeque oſſeae ſubſtantiae nutritio et humectatio declarantur.

§. 538.

Non tantum vero ſuccus nutritius per oſſium ſubſtantiam diſtribuitur, ſed et ſuperfluus, in eorundem cauis collectus, et in pinguiorem et gelatinoſam naturam coactus, in cellulis partim oſſeis partim membranaceis medullam ſiſtit, vel inſtar olei inter laminas diſtributam, vel in maſſas maiores collectam. Haec itaque eodem modo, vt pinguedo, per vaſa venoſa iterum reſorbetur, et, vt reliqui corporis humores, in continua circulatione elaboratur et perficitur.

§. 539.

Articulationes oſſium euidenti motu conſpicuae, et per membranam perioſtei a frictione continua non ſatis tutae, laminis denſis pellucidis albis, quae cartilagines dicuntur, incruſtantur. Hae ad oſſium denſitatem aliquo modo accedunt, licet magis ſquamoſae, quam fibroſae indolis ſint, tenui quoque perichondrio cinguntur. elaſticitate ſua ad mobilitatem praeſtandam multum conferunt, et in hunc vſum liquore articulari inunguntur.

§. 540.

Liquor articulorum ſuperficiem inungens, albumini ouorum ſimilis, ex variis fontibus accedit:

omnem

omnem enim caui articularis ſuperficiem tenuem humorem, vt alia caua, exſudare non dubium eſt, ille tamen ad eam, quae requiritur, ſpiſſitudinem non accederet, niſi ex glandulis mucoſis paſſim diſpoſitis, et in nonnullis articulis ex maſſis, pinguedini ſimilibus, ſpiſſus liquor ſecerneretur, qui, calore denſatus, in verum coagulum tranſit.

§. 541.

Articulis, motu euidenti non conſpicuis, interdum denſa et cartilagini ſimilis, ſed fibroſa magis ſubſtantia interpoſita eſt, quae cartilaginem ligamentoſam efficit, et elaſticitate ſua motus quidem iuuat, ſed etiam oſſa arctius connectit. Liberior vero oſſium motus ligamentis variae denſitatis et figurae coercetur: membranae enim denſae et latae, vel partes teretes, interdum non nihil planae, tendinibus ſimiles, oſſium extremitatibus diuerſimode applicantur, quo in ſede ſua firmatae ſubſiſtant, limitatis tamen motibus pares ſint.

§. 542.

Morbi oſſium, nunc a nobis conſiderandi, non tantum ex fabrica denſa oſſis ipſius, ſed etiam ex vitiis partium omnium, antea nobis indicatarum, diiudicandi ſunt. Sed quod minus congruum fuit, partium harum morbos ſigillatim pertractare, conuenientius exiſtimauimus, oſſium laeſiones, quatenus ex variis partibus ſimul vitiatis exſurgunt, indicare, et in hac generali tractatione ex pathologicis fundamentis diiudicare, et therapiam generalem addere, quo in particularibus morbis examinandis ad hanc doctrinam generalem prouocare queamus.

§. 543.

Cum denſa oſſium ſubſtantia ſuo modo collecta, et in fibras atque laminas diſpoſita, non ſolum in in-

cremento hominis ad vigeſimum vsque annum, ſed et in perfecto eius ſtatu et iuſta magnitudine nutriri debeat: ratione huius nutritionis breuiter indicata, quibus modis illa impediatur, ita oſtendemus, vt de mollitie oſſium, praecipue a laeſa nutritione vnice pendente, nec non de rhachitico oſſium ſtatu capite ſecundo dicamus.

§ 544.

Oſſium ſubſtantia ſaepius vltra limites, in ſtatu ſano praeſcriptos, excreſcit tumore, vel in ſuperficie et ſub perioſteo tantum, vel in denſa quoque eius parte nato, de quibus oſſium tumoribus in capite tertio agendum erit. De iis vero, qui oſſibus e ſede ſua motis oriuntur, in capite de fractis et luxatis dicturi ſumus.

§. 545.

Cum variae oſſium partes ex peruerſa humorum indole ſaepius in tumorem eleuentur, continuatus corrupti humoris affluxus ad ſuperficiem oſſis, gelatinoſam alias et nutrientem indolem acrem reddit, ex qua cauſſa lamellae arroduntur, ſeparantur, et in interſtitiis ichoroſa ſanie ſcatent; quae vlcera cariem oſſium gignunt, quam in quarto capite diſquiſituri ſumus.

§. 546.

Tanta ſaepius corporum irruentium vis eſt, vt denſorum oſſium reſiſtentiam ſuperet, eaque in partes diuidat: ſecedentes itaque partes laeſionem continui efficiunt, quae in oſſe rarius vulnus, ſaepius fractura dicitur §. 339. Callo inter has partes nato, illae iterum coeunt et firmantur, quae curationis ratio in capite quinto conſideratur.

§. 547.

Per varias has laeſiones duo oſſa vicina, quae articulis bene conſtitutis ad motum vel obſcurum vel eui-

euidentem diſponuntur, interdum morboſe coaleſcunt, et anchyloſin in capite ſexto deſcribendam ſiſtunt.

§. 548.

Septimum et vltimum caput tandem mobilium oſſium ſeceſſum, ſiue luxationem in genere explicabit, qua vel ex ligamentorum relaxatione, vel nimia vi illata, capitula et eminentiae ex cauitatibus ſuis emotae ad vicina et minus conſueta loca vrgentur, liberamque actionem muſculorum impediunt.

CAPVT II.

DE NVTRITIONE OSSIVM LAESA ET RHACHITIDE.

§. 549.

Succus nutritius in vniuerſali humorum maſſa elaboratur, et in progreſſu per minima vaſa porro mutatur, vt ſpecificam et partibus nutriendis propriam naturam accipiat, et praeterea in appoſitione varia diuerſis partibus effingendis aptus ſit (i. m. §. 257). Hinc et ſuccus ad oſſa deductus, in partibus terreſtribus calcareis et in glutine coniungente naturam prorſus ſingularem adipiſcitur, et firmitati harum partium praeſtandae tantum idoneus eſt.

§. 550.

Succus hic oſſificus in foetu iam elaboratur, et, dum incrementum oſſium ad vigeſimum vsque aetatis annum praeſtat, in variis oſſium mutationibus optime cognoſcitur. Sed in adultorum quoque oſſibus, in quibus nulla amplius indicia incrementi

 appa-

apparent, ille continuo ſecretus in locum partium attritarum et ſecedentium apponitur: id quod oſſium fractorum callus aliaque phaenomena ſatis demonſtrant. In ſenibus autem, quia omnis nutritio languidior eſt, etiam huius ſucci copia deficit, et oſſa inde fragilia redduntur.

§. 551.

In ſano corpore haec nutritionis ratio ex voto perficitur, et, vti in reliquis corporis partibus, humore per vaſa continuata elaborato praeſtatur. Medullaris quoque ſucci natura §. 538 docet, non omnem per vaſa venoſa reſorberi, et ad maſſam humorum vniuerſalem reduci, ſed aliquam partem per vias peculiares in aptam oſſium humectationem impendi, in qua re vera nutritionis ratio poſita eſt.

§. 552.

Varia omnino eſt humorum dyſcraſia et corruptio, quae blanda nutritione impedienda, vt reliquis corporis partibus ſic et oſſibus ſuccum gelatinoſum detrahit. Cum autem corruptio et defectus ſucci nutrientis in denſa oſſium fabrica vix efficiat euidentes et ſenſu percipiendas mutationes breui temporis ſpatio, cauſa nutritionis laeſae poſt morbos curatos remota, oſſa iterum nutriuntur et ſatis humectantur.

§. 553.

Hoc ita ſe habere non hinc ſolum apparet, quod imbecillorum, grauidarum, et ſenum oſſa fracta aut tardius, aut omnino non coaleſcunt, ſed et ex eo, quod nulla fit calli geneſis in cachexia varia. Similiter cum oſſa aegrorum ſcorbuticorum, venereorum aut grauiori humorum corruptione laborantium, flexibilia ſint, fragilia, atque etiam prorſus emollita: non obſcure poteſt hic defectus nutritionis intelligi.

§. 554.

Defectus itaque nutritionis oſſium gradu differt: in quibusdam nimirum iuuenilibus corporibus fragilitatis ſenilis indicia occurrunt, in aliis laminae denſae ita attenuantur, vt oſſa molem corporis ſuſtinere nequeant, ſed flectantur; rariora tandem ſunt exempla oſſium penitus emollitorum, quem morbum oſteoſarcoſin appellare ſolent.

§. 555.

Nutritio autem laeſa in cylindricis oſſibus eorumque diaphyſibus potiſſimum ſe prodit, quippe quae, etſi per naturam ſuam duriora eſſe debebant, tamen incuruantur. Similis compreſſio haud raro vertebrarum corporibus, columnam ſpinae dorſi efficientibus, ipſisque oſſibus coxarum accidit. Quamquam enim et plana oſſa quoad lamellas extenuantur, et ſingulari ſaepius ratione inflectuntur: haec tamen tardius mutationis huius indicia praebent, vti de caluae oſſibus et reliquis maxillas conſtituentibus compertum eſt *).

*) In morbis venereis maxillarum et caluae oſſa frequentius et citius, quam cylindrica afficiuntur, in his tamen eſt caries cum vlceribus venereis coniuncta, quae legem ſucceſſiue deficientis nutritionis oſſium non ſequitur, ſed ex aliis cauſſis pendet.

§. 556.

Cauſſa itaque nutritionis laeſae et deſtructionis oſſearum partium in dyſcraſia humorum, inprimis lymphaticorum, poſita eſt, qua terreae illae moleculae humori, oſſa humectanti et nutrienti, non admiſcentur. Etſi enim illae in nutritione vniuerſali non deficere videntur, interdum tamen vel non recte cum glutine vniuntur, vel ad alia loca deriuantur: in

nonnullis enim aegris ſedimentum vrinae album calcareum obſeruatum fuit.

§. 557.

Diagnoſis in principio difficilis eſt, nec niſi ex aliis morborum ſignis, quae nutritionem vniuerſam laeſam eſſe indicant, petenda. In morbi autem incremento, vel vbi ſpecialia oſſa nutritionis defectum ſentiunt, haec ex leui cauſſa franguntur, vel per vim muſculorum trahentium, vel per niſum partium ſaepe exiguum ita inflectuntur, vt morbi aucti triſtia ſigna praebeant: praecipue autem gibberoſitas, quae in adultis aegris et in ſenibus nonnunquam obſeruatur, nutritionis oſſium defectum indicat.

§. 558.

In principio, vbi vires vitae adhuc vigent, morbus imminens medelam admittit; ſi nimirum alimenta bonae notae ingeruntur, in primis viis, vt decet, digeruntur, in reliquo humorum circulo bene elaborantur, et tandem ſuis locis apponuntur, tunc partes deficientes iterum reſtituuntur: aucto autem morbo exigua ſpes curationis ſupereſt. In puerili et adoleſcente aetate, et vbi oſſa adhuc extendenda ſunt, pertinacior morbus eſt, in ſenibus ſignum maraſmi ſenilis iudicatur.

§. 559.

Curatio ad chirurgiam non pertinet, et omnis in indicatione vitali, in nutritione et robore praeſtando, poſita eſt: remouendae tamen ſunt cauſſae, quae ex dyſcraſia humorum nutritionem turbant, v. c. venerea vel ſcorbutica labes, de quibus omnibus in inſtitutionibus medicinae clinicae, vbi de morbis ſyſtematis ſeroſolymphatici dictum eſt, paſſim egimus.

§. 560.

§. 560.

Addamus pauca et externa et interna remedia, in oſſium laeſa nutritione praecipue proficua. Praeter corticem peruuianum, roborante et balſamica vi elaborationem humorum adiuuantem, etiam radicis rubiae tinctorum infuſum non inutile eſſe remedium, experientia docuit. Cauſſis vniuerſalibus ſuo modo remotis, balnea quoque ex plantis roborantibus, atque etiam cum alumine, vitriolo, aliisque adſtringentibus medicamentis parata, etſi non ad ipſa oſſa penetrant, tamen inſtauratione vniuerſali roboris partium, et inde manante aequali perſpiratione his aegris maxime ſalutaria ſunt.

§. 561.

Ex iis, quae hucusque propoſuimus, rhachitidis quoque cauſſas, ſymptomata et curationem colligi poſſe, arbitramur. Infantes nimirum primo aetatis anno bene nutriti, circa finem eius, vel ſecundo potiſſimum anno, interdum paulo tardius, languore et macie corporis vniuerſi afficiuntur, interea tamen abdomen tumens morbi venientis indicia praebet, qui ſenſim paulatimque ad cachexiam et peruerſam oſſium nutritionem ducit.

§. 562.

Mittamus nunc alias corporis mutationes in rhachiticis occurrentes, et eas inprimis, quae ad oſſa pertinent, temporisque ſucceſſu augentur, referamus. Epiphyſes oſſium cylindricorum, quae tunc temporis ex nucleo ſuo blande increſcere deberent, ſuccorum minus bene elaboratorum nimio affluxu ita diſtenduntur, vt non ſatis denſatae praeter modum turgeant. In diaphyſibus quoque defectus veri et bene elaborati ſucci oſſifici eſt, quae ideo extenuantur et incuruantur. Coſtarum extremita-

tes

tes ſternales quoque turgent, ſpina dorſi vtplurimum incuruatur *) et oſſa coxarum ſimili modo emollita cedunt, oſſa caluae porro diſtenduntur, ſuturae tardius coeunt, dentes tandem carie exeduntur.

*) A rhachi, ſiue ſpina dorſi, quae incuruari ſolet, rhachitis nomen accepit: ſunt tamen nobis exempla cognita, vbi, ſpina dorſi optime increſcente, reliqua oſſa vera huius morbi veſtigia oſtendunt.

§. 563.

Haec oſſium vitia a nutritione vniuerſali laeſa potiſſimum pendere, non dubium eſt. In victu itaque crudo, huic aetati non conueniente, nec in tenello corpore ſatis ſubigendo et in bonos ſuccos elaborando, nec non in immunditie perſpirationem aptam cohibente, primariae cauſſae quaerendae ſunt. An imbecilli parentes, an vitia humorum vniuerſalia, in his latentia et ad infantes delata, ſimul attendenda ſint, dubia quaeſtio eſt, quam vix ex variis notis exemplis definire poſſumus; potiores morbi cauſſae in mala nutritione poſitae eſſe videntur.

§. 564.

Victus enim aceſcens viſcidus ex pulticulis farinaceis et lacte, non ſatis ſubigendus, dulcia etiam et pinguia, ab imbecillis viſceribus non digerenda, variam acrimoniam, inprimis acidam, interdum quoque rancidam in canali alimentorum relinquunt et ad ſecundas vias dimittunt. In his deinde non rite elaboratus, et ex defectu exercitationis corporis ſtagnans ſuccus vlterius corrumpitur, et, vt reliquis partibus, ſic oſſibus quoque, incongruum nutrimentum praebet.

§. 565.

§. 565.

Inprimis vero elaboratio lymphae in glandulis conglobatis, non tantum in meſenterio, vbi chylus perficitur, ſed et in aliis glandulis male ſuccedit, §. 284. ſeqq. Cum igitur ex hac elaboratione vniuerſi corporis nutritio pendeat, illa in infantibus praecipue, quorum corpus non tantum conſeruandum, ſed et incremento augendum eſt, triſtis rhachitici ſtatus §. 562 varios gradus inducit et auget.

§. 566.

Interdum blanda, eaque aetati et acrimoniae conuenientia purgantia cauſſam mali, in primis viis latentem, abſtergunt, accuratior diaetae obſeruatio poſtea meliores humores ingerit, et digeſtio a robore partibus reſtituto felicius ſuccedit. Quibus ſi exercitatio corporis in aere potiſſimum libero et puriore iungatur, vigor vniuerſalis quodammodo reſtituitur, quo facto corpus imbecille nutritur, et vitia etiam oſſium vel ex parte, vel prorſus diſſipantur.

§. 567.

Niſi vero haec auxilia protinus adhibeantur, ſaepius febris lenta et vera atrophia ſenſim paulatimque tenerum corpuſculum emaciat, omni ſpe curationis ſublata. Tinea §. 291. et aliae exulcerationes glandularum interdum morbum trahunt, et apto regimine diaetae ac medicamentorum obſeruato tandem diſſipant. Sin malum diutius permanet, nec morbus oſſibus inhaerens diſcutitur, paedarthrocace et vlcera oſſium cum tumoribus morbum prorſus inſuperabilem reddunt, ita vt, excretione peſſimae materiae per haec vlcera ad tempus facta, aegri tardius moriantur.

§. 568.

§. 568.

Cum miſeris his chirurgico auxilio vix ſuccurri poſſit, praeter remedia, quae lymphae correctioni inſeruiunt, §. 297. diaetae regimen accurate ſeruetur, quo aeris puritas, victus quantitas et qualitas accurate definita, potus tenuis et exercitium corporis, elaborationem aptam humorum et inde pendentem nutritionem iuuent. Inſignis eſt balneorum vſus, praeſertim ſi herbae diſcutientes et roborantes, addito interdum ſapone veneto, adhibentur. Cum vitia glandularum fere ſemper coniuncta ſint, ea, quae de lenta glandularum obſtructione diximus, §. 283. ſeqq. omnino conferri debent.

CAPVT III.

DE TVMORE OSSIVM.

§. 569.

Tumores oſſium, quamuis varii, ad duo tamen potiſſimum genera, exoſtoſes ſpurias et veras, redigi poſſunt. Spuriae enim exoſtoſes ſunt, quae perioſteo et ligamentis oſſium adhaerent, neque ſubſtantiam oſſis vllo modo afficiunt: verae autem exoſtoſes illi tumores appellantur, qui ſubſtantiam oſſium ipſam vltra limites definitos eminentem ſiſtunt. Hyperoſtoſes, quae tota oſſa, ſpongioſae inprimis fabricae, vel extrema eorundem ſpongioſa, tumida ſiſtunt, a vera exoſtoſi vix, nec niſi ratione ambitus differre videntur.

§. 570.

§. 570.

Exoſtoſes ſpuriae ſunt tumores molles, qui a ſanguineo ſiue potius ſeroſo lymphatico humore, ſub perioſteo collecto et ſtagnante, oriuntur, dolorem plus minus inſignem excitant, et licet ad oſſa ipſa pertinere videantur, digito tamen prementi magis cedunt, quam verae excreſcentiae oſſeae. Hae vero exoſtoſes vel materia ſtagnante attenuata et reſorpta ceſſant, vel in abſceſſus abeunt, ſi materia collecta in pus vel ſaniem mutari poteſt, qua tamen mutatione facta in ſuperficie oſſis nonnunquam cariem relinquunt.

§. 571.

Peculiare tumoris genus ad oſſa naſcitur, quod inter vtramque exoſtoſin quaſi medium eſt. Cum nimirum oſſa, cartilagine ligamentoſa connexa, vi quadam vehementer diſtenduntur, tunc caro laxa excreſcit, natis in ipſo tumore laminis oſſeis, cuius exemplum inſigne in violenta oſſis ſacri ab oſſibus coxarum diductione vidimus. Idem euenire poteſt, ſi in aliis tumoribus, ſub perioſteo ſimul laeſo ortis, non fungoſa tantum caro, ſed in ea quoque oſſeae fibrae generentur. Oſteoſteatoma dici poſſet hoc tumoris genus, cum, praeter fibras oſſeas, ſteatomatis §. 267. ſubſtantiam referat.

§. 572.

Verae autem exoſtoſes lamellarum diſtenſione ipſam oſſis ſubſtantiam tumidam reddunt, et benignae dicuntur, ſi ſine multo dolore ſubſiſtunt, nec celeri incremento augentur; malignae autem et cum dolore increſcunt, et in tumore vel carnem fungoſam vel cariem latentem habent, ideoque tandem vlcera peſſimae notae efficiunt et relinquunt.

§. 573.

Praeter has ſpecies aliae ſunt exoſtoſium varietates. Interdum enim ſuper os, de reliquo ſatis ſanum, cruſta acceſſoria formatur; interdum laminis externis diſtentis, ſub his aucta, ſed denſa ſtrata conſpiciuntur; interdum inter poroſas et diductas laminas acer humor ſcatet, qui easdem ſenſim arrodit; interdum, tumore oſſis externo vix conſpicuo, interna eius caua cylindrica denſa oſſea ſubſtantia replentur.

§. 574.

Cauſſae horum tumorum omnium vel externae ſunt vel internae. Externa eſt valida preſſio vel percuſſio oſſa ita afficiens, vt perioſteum, vaſis compreſſis et ruptis, ſecedat. Tum vero blandus oſſificus ſuccus, ſub perioſteo concreſcens, exoſtoſin benignam ſuo modo coercendam efficere poteſt; vel humor ſeroſus et ſanguineus effuſus, ſtagnandoque corruptus, oſſa ipſa rodit, et lamellas diſtenſione vlterius expandit. Ceterum effuſus ille humor, modo protinus eductus ſit, nihil vitii in oſſe relinquit.

§. 575.

Interna autem cauſſa eſt dyſcraſia humorum varia, inprimis ſcorbutica et venerea, quae ſuccum oſſificum ipſum inquinat, et laminas oſſium lente diſtendit. In quo caſu, ſi mala humorum mixtio aptis medicamentis corrigi poteſt, exoſtoſes vel breui diſſipantur, vel iam formatae intra limites ſubſiſtunt; nonnunquam tamen in his aegris vagae oriuntur exoſtoſes, quae, vno oſſe relicto, alterum occupant, et materiae morboſae non prorſus correctae indicia ſunt.

§. 576.

§. 576.

Ad exoſtoſes ſpurias cauendas, quarum cauſſa eſſe poteſt ictus perioſtei vehementior, epithemata diſcutientia ex herbis amaris, aromaticis et roborantibus, cum aqua vel vino coctis, applicentur, quo materia collecta reſorbendo diſcutiatur; ſi vero illa coiit et abſceſſum formauit, in his partibus quidem, vtpote nimis tenſis, vix bonum pus gignitur, attamen quidquid ſtagnat, inciſione facta protinus educendum eſt, antequam, vlteriori ſtaſi acrius redditum, os ipſum arrodat. Curatio igitur ex aliis doctrinae chirurgicae capitibus patet.

§. 577.

Si dolor non adeo vrget, vt abſceſſus metui poſſit, epithemata magis adſtringentia conueniunt, quo materia exſiccetur, perioſteo iterum ſupra os formato, et circulo humorum vtcunque reſtituto. Hoc vero non tantum de leuioribus tumoribus, in ſuperficie oſſium natis, valet; ſed oſteoſteatomata §. 571 etiam vel ſimilibus roborantibus coercenda, vel quiete auertenda ſunt. Nam ſi ea medicamentis emollientibus moueris, non modo non expectari poteſt abſceſſus bonae notae, ſed augentur potius, vicinasque partes preſſu laedunt, atque adeo, hinc inde mollita, ſordidorum vlcerum cauſſae ſunt.

§. 578.

Exoſtoſis vero, benigna inprimis, quae intra limites non mutata perſiſtit, intacta relinquenda eſt, ne irritatione partium vicinarum excitetur dolor, et affluxus humorum eo alliciatur. Licet enim tumor in ſano corpore per ſe malignus fieri haud poſſit: humores tamen ſanos circa has partes ſtagnantes acres reddi, inter laminas oſſeas penetrare, et nonnunquam eroſiones inducere poſſe, experientia docuit.

§. 579.

Nec exoſtoſes malignae externis remediis in principio tentandae ſunt, ſed de vitio lymphae ſcorbutico, venereo, cet. corrigendo ante omnia cogitandum eſt; quod ſi vero hac emendatione praeſtita exoſtoſis non diſſipetur, nec intra arctos limites ſubſiſtat, tumor incidendus, purgandus, et, ſeparatione laminarum facta, vt decet, conſolidandus eſt, quae curationis ratio hic non fuſius explicanda videtur, ſed ad ſequens caput differetur.

CAPVT IV.

DE

CARIE.

§. 580.

Si acer et corruptus humor ſub perioſteo ſtagnat, ac vaſa ſanguifera et ſeroſo lymphatica inde ad os delata vel deſtruuntur, vel acri humore eroſa criſpantur, tunc lamellae et fibrae oſſeae vel nutrimento deſtitutae exſiccantur, vel acri humore imbuuntur, in vtroque autem laeſionis modo ea, quae requiritur, lamellarum oſſearum humectatio et nutritio impeditur: nonnullae igitur quaſi emoriuntur, et tunc a ſanis ſecedunt. Haec partialis oſſium corruptio caries appellatur.

§. 581.

Caries latens, et ex interna potiſſimum cauſſa oriunda, tumore partis et dolore plus minus intenſo ſe prodit, vti de exoſtoſi diximus, §. 570. 571. et licet in principio cutis color non mutetur, licet etiam dolor intenſus non raro conquieſcat, vel per interualla

ualla tantum oboriatur, cutis tamen tumida et mollis, color eius non nihil alienatus, interdum plumbeus, et lenta inflammatio, nec non humor fluctuans cum punctionibus internis, ſub preſſione perceptis, vel cariem iam formatam, vel breui formandam, declarant.

§. 582.

Haec indicata praecipue tum attendenda ſunt, cum mala materia, in morbis mota et retropulſa, ad perioſteum deducta fuit, et ideo oſſi ſimul vitium induxit, v. c. poſt variolas malignas. Simile quid accidit rhachiticis, ſcorbuticis et venereis aegris, in quibus tumores oſſium acrem materiem fouent, qua lamellae deſtruuntur, et ita clandeſtina caries gignitur. Sed haec cuncta ex morborum commemoratorum conſideratione, et ex iis potiſſimum, quae de nutritione oſſium laeſa §. 549. ſeqq. diximus, abunde intelliguntur.

§. 583.

Tumore tali aperto et in vlcus mutato, non tantum collecta ſanies foetida exit, ſed et ex vaſis intercurrentibus, non prorſus deſtructis, caro fungoſa plus minus vitiata excreſcit, ora vlceris cute adducta incuruantur, et, cum vel ipſa medulla, vel humor ei ſimilis, inter oſſium lamellas ductus, ſtaſi corrumpatur, et in rancidam et foetidiſſimam materiem tranſeat, progreſſus cariei difficulter coercetur, immo vlterius ſerpendo deſtructionem oſſis inſigniter auget.

§. 584.

Praeter foetorem inſignem, et in oſſibus carioſis ſpecificum quaſi dicendum, puluilli et emplaſtra, quibus vlcera obteguntur, et ſpecilla argentea, quibus diſquiruntur, a liuida et acri ſanie nigro colore tinguntur. Os ipſum autem vitiatum, et digitis et ſpe-

cillo diſquiſitum, aſperum apparet ac inaequale; eius etiam lamellae, quando ſenſim paulatimque ſecedunt, vel albae ſunt, quaſi emortuae, vel liuido, pingui et rancido humore imbutae, vel nigro tandem colore infectae.

§. 585.

Cum ora carioſi vlceris, magnam partem depurati, ad ſanationem quidem apta ſunt, ſed relicta aliqua impuritate nimis celeriter cicatrice clauduntur, materia ſubtus latens mollitie et tenuitate cicatricis facile ſe prodit, vnde poſt breue temporis interuallum iterum cutis vitiatur, immo rumpitur, et mala vlcera recrudeſcunt; ſi vero vlcere carioſo accurate curato cicatrix inducitur, haec ob deperditam partis ſubſtantiam concaua quidem eſt, ſed tactu denſior.

§. 586.

Haec praecipua ſunt, quae cariem oſtendunt, ſigna, et in vlceribus et fiſtulis, ab interna cauſſa oriundis, a medentibus accurate obſeruata diagnoſin huius morbi fallacem nullo modo exhibent. In prognoſi autem formanda in genere notandum eſt, deprauationem humorum partialem, quae particulam oſſis arrodit, facilius corrigi, quam ſi ex interna et externa cauſſa oriunda caries per vniuerſalem humorum corruptionem peior reddita ſit.

§. 587.

Quae a cauſſis externis oritur caries, ea facilius quidem tollitur, inprimis ſi oſſis partem denſam afficiat, in qua non aeque celeriter, ac in partibus cauernoſis proſerpit. In infantibus, quorum oſſa adhuc molliora ſunt, caries facilius ſedem figit, ſi tamen a cauſſa externa oritur, et humores vniuerſi ſani inueniuntur, id, quod corruptum eſt, in oſſium incremento facilius ſecedit et perioſteum celerius

rius inducitur. Si vero interna labes humorum clandeſtine morbum excitat, vtplurimum ad ſpinam ventoſam et paedarthrocacen, vt peſſimum cariei genus, ducuntur.

§. 588.

Circa articulos potiſſimum vlcera cum carie coniuncta difficile purgantur: ob cauernoſam enim et cellularem fabricam in adultis, et ob epiphyſes in infantibus adhuc formandas, malum vtplurimum celeriter ſerpit, et praeterea ligamentorum et muſculorum adhaeſiones inciſiones, quibus vlcera deteguntur, ſaepe haud permittunt. Cum etiam acris ſanies nonnunquam ad articuli cauum deſcendat, illa liquorem articularem inquinat et cartilagines arrodit, quae non niſi ſquamis tardius ſecedentibus ad ſanitatem ducuntur, et ſaepe anchyloſin inducunt.

§. 589.

Ad curam cariei definiendam a medico ea obſeruanda ſunt, quae de correctione humorum paſſim in antecedentibus monuimus. Neceſſe enim eſt, vt ad denſas quoque has partes optimi ſucci affluant, et corruptum a ſano remoueant. Chirurgi autem attentio eo dirigatur, vt id, quod corruptum eſt, et per naturae vim non protinus ſeparari poteſt, in ſeceſſu iuuet, vel impedimenta ſeparationis, quantum fieri poteſt, auferat, poſtea ſimili ratione noui perioſtei geneſin attendat.

§. 590.

Si in ſano corpore particula oſſis vitiata eſt, illa, vlcere vt decet depurato, ad modum ſquamae ſecedit, quam mutationem exfoliationem oſſium dicunt. Separationem hanc laminarum bona nutritio, ſed moderata et viribus aegri accommodata, iuuat, quae ſola optimos ſuccos praebet. Et vt vegetabilis victus praeſtat

animali, ita, ſi impura quodammodo ſunt corpora, conuenientius eſt, nutrimento parciori primum correctionem humorum efficere, et paulo poſt nutritionem largiorem concedere.

§. 591.

Decocta reſoluentia acriora, inprimis ligni guaiaci, et vſus mercurii internus in morbis, qui cum carie coniuncti ſunt, interdum optimos effectus edunt; ſed tantum iuuant, ideoque, niſi externa remedia ſimul adhibeantur, ſeparatio particulae corruptae oſſis a ſano vel tardius, vel prorſus non efficitur. Obſeruatio quoque docuit, vſum internum mercurii, in lue venerea debellanda adeo vtilis, contra ſcorbutum et paedarthrocacen, in quibus vitium ſaepe altius inhaeret, parum valuiſſe, atque adeo ſaepius nocuiſſe.

§. 592.

Si os denudatum deprehenditur, protinus puluillis ſiccis obtegatur, ne aere vel pinguibus digeſtiuis laedatur: praeterea puluis maſtichis, olibani, aut terebinthinae coctae inſpergatur, et tunc puluilli, ſpiritu vini vel eſſentia ſuccini imbuti et non nihil expreſſi imponantur. In iunioribus, quorum oſſa poroſa magis et vaſculoſa ſunt, haec perioſtei inſtauratio facilius, quam in adultis et ſenibus, procedit.

§. 593.

Cum maior oſſis pars, inprimis in denſioribus adultorum oſſibus, a perioſteo denudata exſiccatur, caries praecauetur, ſi ſuperficies multis foraminibus perforetur, quod inſtrumento acuto ad trepanum applicato praeſtatur. In applicandis vero his auxiliis feſtinandum eſt, ne aeris acceſſus os laedat, et medicamenta nunc indicata protinus applicanda

ac diu

ac diu relinquenda ſunt, quo interea ſuccus, ex vaſis vicinis propullulans, laminas obtegat, nouumque perioſteum formet.

§. 594.

Pars oſſis denudata, aere et medicamentis pinguibus inprimis tacta, protinus emoritur, nec conſolidationem vulneris admittit, niſi ſquamae ſecedant. Harum autem ſeparatio optime adiuuatur, ſi praeter ea, quae paulo ante indicauimus §. 592. eſſentia ariſtolochiae vel ſola vel cum oleo caryophyllorum mixta, vel euphorbii puluis applicetur. Alii acida mineralia, inprimis liquorem BELLOSTII ſuadent*), quibus omnibus os a ſerpente putredine defenditur et exſiccatur, ideoque ſeparatio ſquamarum acceleratur.

*) Vid. PLATNERI Inſt. Chir. rat. §. 1060.

§. 595.

Tenendum autem eſt, chirurgum hac in re efficienda omnem ambitum laeſi oſſis caute detegere, et in diſquiſitione, ignis calore admoto, aeris et frigidi et impuri acceſſum auertere, puris et ſaniei affluxum caute arcere, in applicandis auxiliis magna cum attentione feſtinare, et raram deligationem vlceris praeſtare debere; quae quidem monita ſi neglexerit, exfoliatio retardatur.

§. 596.

Separatio laminarum, ex defectu virium vel alias ob cauſſas nimis tarde ſuccedens, ſcalpris ad hunc vſum aptis adiuuanda eſt *), quo, poroſa et vitiata oſſis parte remota, citius ad ſanam et denſam accedamus. In profunda carie, vbi multa materia humida et mali odoris excernitur, interdum cauteria actualia applicare praeſtat, vt ſquamae aduſtae ſic-

ceſcant et ſecedant, quo facto et porro medicamenta ſiccantia imponenda ſunt.

*) Vid. GARENGEOT Traité des Inſtrumens, Tom. II. p. 96.

§. 597.

In ſuperficie oſſis, ſcalpro erodendi, eo reſpiciendum eſt, vt lamellae vsque ad partem ſanam ſeparentur, et ita ſucci bonae notae affluxus proliciatur, margines tamen denſiores non crebrius irritandi ſunt, ne geneſis noui perioſtei impediatur. Laminae maiores, vel partes oſſis carie vacillantes, et nunc ſeparandae, ſuſpenſa manu tractandae ſunt; licet enim agitatio moderata ſeparationem iuuet, nimia tamen vis partibus inferenda non eſt, ne inflammationis inde oriundae effectus cariem coercendam denuo augeant.

§. 598.

Caries ad caua oſſium cylindrica et medullam vsque, vel per diploen ad alteram oſſium planorum partem deducta, difficulter tollitur, cum, niſi partibus per trepanum exſciſſis, depuratio et exfoliatio oſſis carioſi praeſtari nequeat. Hoc auxilium et tum nullam vim habet, cum magna oſſis pars carie deſtruitur, eaque ob medullam ſimul vitiatam vlterius proſerpit; niſi enim languidus aeger amputationis effectus ſuſtinere poſſit, vtplurimum febri lentae cachecticae generandae occaſio exhibetur.

§. 599.

Corruptio magnae partis oſſis, a cauſſa externa oriunda, ſi, ob negligentiam potiſſimum medelae, cum vlcere grauiore ſerpente procedat, aetas tamen et vires aegri vigorem vitae et egregiam humorum elabo-

elaborationem ſuſtineant, medelam admittit; bona enim ſuppuratio, in limitibus corrupti et ſani orta, magnas et cylindricas quoque oſſium partes ſoluit, quae inciſione facta ſeparantur, vlcere itaque attente depurato nouus callus generatur, et ita omnimoda ſanatio praeſtatur.

§. 600.

Vitium oſſium, quod ſpinam ventoſam ſeu paedarthrocacen dicunt, foeda caries eſt, quae adultis vel potiſſimum infantibus accidit, eandemque interdum partialem inſignem, ſaepe autem vniuerſalem efficit. In adultis interdum partiale malum grauius redditur, ſi poſt vehementes ictus, circa articulos potiſſimum inflictos, caries altas radices egerit, quae ideo non coerceri poteſt, quoniam, medulla vitiata, vlcus ita increſcit, vt oſſa in tumorem rarum eleuentur. Niſi itaque vires vitae et apta medendi ratio auxilium afferant, cachexia et vlterior oſſium corruptio ſubſequitur.

§. 601.

Vniuerſalis caries, vel quae varia oſſa ſimul occupat, quae ad veram ſpinam ventoſam referri poteſt, in adultis vtplurimum a medulla, ſcorbuto v. c. aut venerea lue vitiata, oritur. Qua in re omnia repetenda ſunt, quae ſupra de nutritione oſſium laeſa, de exoſtoſibus malignis, de carie eiusque vario augmento diximus. Curatio etiam, ſi qua eſt, ex illis capitibus petenda erit.

§. 602.

Vera autem et vniuerſalis paedarthrocace ſiue ſpina ventoſa in infantibus rhachiticis oritur, et cauſſis acceſſoriis magis magisque intenditur. §. 561. ſeqq. Horum enim non tantum humores ſeroſo lymphatici in vniuerſum, ſed praecipue medulla tota ita ſaepe

vitiata eſt, vt nulla correctio locum habeat, ſed foeda vlcera carioſa, vel vaga vel fixa, pluribus oſſibus ſimul inhaereant. Quam ob rem etſi morbus ſaepe ob aetatis vigorem per plures annos trahitur, lenta tamen febris et macies corpora tandem conſumit, et remedia, paulo ante in cariei curatione commendata, §. 590. ſeqq. malis parum vel nihil auxilii ferunt.

CAPVT V.

DE FRACTIS.

§. 603.

Ex nutritione oſſium laeſa emollitionem eorundem, vel ſaepe fracturam e leuioribus corporis niſibus oriri poſſe, ſupra monuimus. §. 553. ſeqq. Nunc fracturae, ſiue verae continui laeſionis in oſſibus, eum tantum modum perpendimus, quo oſſa ſana et firma, vi externa illata, in vnitate laeſa ſunt, partibus ipſis plus minus a ſe inuicem ſecedentibus. Generalem tractationem hic tantum ſuſcipimus, et variorum oſſium corporis fracturas in particularibus morbis recenſebimus.

§. 604.

Impetus extrinſecus oſſibus illatus ea, quae cylindrica ſunt, ſaepius transuerſim frangit, extremis fractis parum a ſe inuicem recedentibus; interdum autem, ſi oblique franguntur, extrema fragmentorum plus minus acuta ſunt et eminent, ideoque partes molles vicinas tendunt, immo ita laedunt, vt vulnera efficiant, quod fracturae genus complicatum dici ſolet chirurgis. Interdum, vti in vulneribus ſclopetorum, §. 414. oſſa in plura fragmenta ſecedunt.

§. 605.

§. 605.

Fiſſurae longitudinales, oſſis partibus vix a ſe inuicem ſecedentibus, in cylindricis oſſibus rariores ſunt; attamen, ſi eueniunt, non raro ad articulos vsque penetrant, et peſſima ſymptomata inducunt. Plana oſſa quoque in duas vel plures partes varie a ſe inuicem ſecedentes franguntur, ſaepe tamen in his tenues fiſſurae tantum fiunt, quae magnam varietatem admittunt, quam in tractatione de fracturis caluae ſuo loco ſtudioſius examinabimus.

§. 606.

Cum membrum, cui vis illata eſt, a chirurgo diſquiritur, tunc, quod os vere fractum ſit, ita cognoſcitur, ſi partes diſfractae a ſe inuicem receſſerunt, ideoque tumor ipſius oſſeae partis plus minus inſignis conſpicitur, vel os ipſum in laeſionis loco inaequale tactu cognoſcitur. In obliqua fractura muſculi contracti membrum breuius reddunt, vna ſaepius fracti oſſis parte ſupra alteram protruſa. Inaequalitas et aſperitudinis ſenſus, tactu et auribus perceptus, fracturam, quae ab initio dubia eſt, ſaepe ſatis certam reddit.

§. 607.

Dolor membri, quoniam a perioſteo aliisque partibus tenſis oriri poteſt, nec non tumor, in partibus mollibus natus, incerta ſaepius fracturae ſigna ſunt: quod ſi itaque priora, §. 606. deficiant, et tamen aliqua fracturae ſuſpicio ſubſit, ibi membrum in quiete relinquendum et obſeruandum eſt, num paulo tardius quaedam ſigna occurrant, quae fiſſuras has clandeſtinas oſtendant. Admotis v. c. diſcutientibus medicamentis tumor non diſcutitur, et dolor ad tractum fiſſurae acerbior redditur, praeſertim ſi illa ad medul-

medullam vsque penetrauerit, et inflammationem profundam ſimul prodat.

§. 608.

In re itaque dubia aeger in lectulum reponatur, quo membri quieſcentis verus ſitus diſquiri, et hoc facto variae quoque flexiones et extenſiones praeſtari queant; ita enim doloris vera ſedes, eius progreſſus ad directionem variarum partium vicinarum et eminentes oſſis partes examinari, et per iterata haec tentamina, inprimis in partibus multis muſculis cinctis inſtituenda, vera diagnoſis erui poteſt.

§. 609.

In ſano corpore fractura transuerſa ſine vulnere eueniens facile ſanatur, et in iunioribus citius, in ſenioribus tardius concreſcit. Obliqua fractura maiorem attentionem requirit, quo extrema diducta in verum ſitum reducantur, et ita conferueant, ne membra accurtentur. Si extrema acuta partes molles et ſenſiles vellicant, dolor intenſior ſaepe repoſitionem impedit, et in ea praeſtanda eo magis attentam chirurgi adminiſtrationem exigit.

§. 610.

Si fragmenta aliquot occurrunt, dummodo haud nimis multa, neque a perioſteo prorſus ſoluta ſint, reponi poſſunt, et ſaepe iterum coaleſcunt; ſi vero a perioſteo ſoluta ſunt, non niſi inciſione facta remouentur; id quod ſi ab initio negligatur, abſceſſu formato tandem efficiendum eſt. Quando vero cum fractura vulnus, idque colliſum, coniunctum eſt, de quibus praecipue in tractatione de vulneribus ſclopetorum diximus, §. 416. ſeqq. maiora occurrunt incommoda. In ſenibus, grauidis, et varia cacochymia affectis, fracturae tardius vel prorſus non coaleſcunt, quod ipſum membro nimis agitato acci-

accidit, cum neglectus quietis efficiat, vt interdum oſſa prorſus non coaleſcant, ſed cohaeſionem articulis analogam forment.

§. 611.

Oſſium fractorum extrema, ex ſuis ſedibus non dimota, quiete, ferulis et faſcia facile continentur et coaleſcunt; iis e contrario e ſede motis, de partibus in verum ſitum reponendis et in eo firmandis ante omnia ſollicitus ſit chirurgus, et praeterea ſymptomata, ſi qua oboriuntur, attendat et caute remoueat. Medicus quoque ea, quae in vniuerſa corporis diſpoſitione eueniunt, ſymptomata ſuo auxilio corrigat. Cum autem varietatem auxiliorum in fractis applicandorum ſuccincta deſcriptione non complecti queamus, ſufficiat, in cylindricis potiſſimum oſſibus generalis curae exempla proponere.

§. 612.

Cum oſſium fractorum partes non tantum ex ſitu ſuo vero dimoueantur, ſed et muſculi, reſiſtentiis oſſium remotis, validius contrahantur, extenſio ſumme neceſſaria eſt, quae, ſi aeger ipſe ex vna parte membrum retrahere poteſt, tantum ſimplex eſſe debet; ſi vero muſculi partis nimis valide renituntur, ſuprema parte membri auxilio miniſtri firmata, alius in oppoſito extenſionem praeſtat, et interea chirurgus fracta in verum ſitum reſtituit. Licet autem in ipſa extenſione dolor ſaepe acerbior reddatur, oſſis tamen partibus in verum ſitum repoſitis, illius vehementia penitus ceſſat.

§. 613.

Circumducendum nunc eſt linteum ſpiritu vini imbutum, quod quidem ex vna parte integrum, ex altera fiſſum eſt, quo, integra parte loco fracturae

cir-

circumducta, extrema fiſſa ſurſum deorſumque circumuolui queant. Emplaſtra vel alia remedia, quibus in fracturis glutinandis nonnulli vtuntur chirurgi, ſaepe tenacitate ſua nocent, et perſpiratione in illo loco ſuppreſſa eryſipelas mouent.

§. 614.

Applicanda poſtmodum eſt faſcia duplex, vna ſupra fracturam incipiendo ſurſum, altera ab eodem initio deorſum ducenda eſt, vtroque extremo poſtea deorſum et ſurſum regrediendo, quo reſtitutus ſitus partium oſſis diffractarum ſine vehementi preſſione ſeruetur. His ferulae tandem, ad figuram membri accommodatae, apponendae, et alia faſcia vel ligulis latioribus firmandae ſunt.

§. 615.

Praeterea panni complicati molles hinc inde applicandi et faſcia adducendi ſunt, vt ferulae eo melius firmari queant. Hae autem vel ex charta multiplici conglutinata, vel potius ex ligneis tabellis non nihil flexibilibus, *Span*, fiant, et linteis apte inuolutae non tantum magnitudini, ſed et variis locis membri fracti, vt decet, accommodentur.

§. 616.

Haec autem faſciarum et ferularum applicatio et adſtrictio a prudenti chirurgo ita moderanda eſt, vt partibus in ſitu retinendis apta inueniatur. Si enim faſciae non ſatis adſtringuntur, oſſa e ſede ſua dimota, inprimis oblique fracta, non ſatis continentur; ſi vero in aegris obeſis potiſſimum nimia adſtrictio fit, ſi in macilentis tractus maiorum vaſorum nimis comprimuntur, circulatione libera impedita et ſtaſi humorum inducta, vel oedema nimis moleſtum, vel inflammatio, et ex ea negligentius tractata gangraena oritur.

§. 617.

§. 617.

In ipſa autem partis fractae deligatione eo reſpiciendum eſt, vt, quantum fieri poteſt, is membri ſitus reſtituatur, in quo muſculi non nimis tenſi ſunt, quo ſine moleſta preſſione diu quieti conſeruari queant. Si v. c. cubitus deligandus eſt, ille non in extenſione, ſed in media flexione retineatur, radius quoque in medium ſtatum inter pronationem et ſupinationem diſponatur, et pila manu comprehendatur, ne digitorum nimii motus muſculos ad cubitum poſitos agitent et tendant. Idem in aliis partibus fractis ſuo modo attendendum eſt.

§. 618.

Porro membra fracta et deligata munienda ſunt, quo tutius in ſitu apto retineantur. Quam ob rem vel in machinam cauam ſemicylindricam vel in pannum fortem, vtrinque bacillis ex ſtramine colligato confectis inſtructum, vel in arculam quandam, membro accommodatam, molliter reponantur, ne compreſſio partium vel pondus ipſius membri aegro moleſtiam afferat: apta enim hac diſpoſitione et quiete non tantum coalitus oſſis fracti acceleratur, ſed multa quoque ſymptomata auertuntur.

§. 619.

Plethoricis venaeſectio ſumme neceſſaria eſt, quo ea, quae ab inflammatione oriri poſſint, ſymptomata arceantur, quam ob rem primis etiam diebus aeger parcius nutriatur. Si fieri poteſt, aluus libera ſine clyſmate conſeruetur: quod ſi vero obſtructio flatulenta aegrum, quieti minus aſſuetum, angat, aluus lotione iniecta moueatur, et carminatiua medicamenta propinentur: vbi ſymptomata haec conſopita ſunt, et calli geneſis adiuuanda eſt, nutrimentum moderatum concedatur.

§. 620.

Ad diaetam in victus moderamine potiſſimum accurate attendendum eſt. Cum enim callus ex optime in corpore elaboratis, et ad locum fractum deductis ſuccis formetur, hi in ſiccioribus corporibus affluere nequeunt, niſi iisdem ſufficiens nutrimentum concedatur; ſi vero iuniorum inprimis corpora lautius nutriuntur, nimius ſuccorum affluxus callum ita auget, vt praeter modum tumeat, et ita non tantum motum aliquo modo impediat, ſed indecoram quoque eminentiam in loco fracturae relinquat.

§. 621.

Si faſciae et omnis apparatus, parti fractae appoſitus, ſine magno incommodo aegri relinqui poteſt, et ita ſanatio ex voto ſuccedit: poſt diem decimum quartum demum fracturae coalitio exploranda eſt, hoc tamen in iunioribus citius, in ſenioribus ſaepe tardius ſuſcipiendum eſt. Tunc ergo, et praeſertim, cum ob varia incommoda oborta faſciae citius reſoluendae ſunt, omnia eadem attentione praeſtentur, quam in prima deligatione adhibuimus, maxime autem cauendum eſt, ne in faſciis reſoluendis et iterum circumuoluendis fracta e ſede ſua dimoueantur, et calli geneſis turbetur.

§. 622.

Iam cum, callo formato et conſolidatione facta, et ob muſculorum rigiditatem, ob ſtagnationem atque inſpiſſationem liquoris articularis, membrum illud ſaepius ad motum ineptum fiat: agitatio illius, attamen moderata, crebrius ſuſcipienda eſt, quo membri rigiditas corrigatur, quam ob rem tunc etiam crebrius nutrimentum admittendum eſt. Balnea porro, cum ſapone et herbis emollientibus et diſcutientibus parata, nec non vnguenta neruina et prae-

praecipue his iuncta crebrior frictio, mobilitatem partibus iis ſenſim paulatimque reſtituunt.

§. 623.

Similia quoque auxilia proſunt, cum membrum ob partium vicinarum compreſſionem, et deficientem inde pleniorem humorum affluxum, tenue factum eſt et quaſi emarcuit. Efficaciam vaporis, qui membro, in ventrem animalis recens mactati calidum §. 156. immiſſo, applicatur, rigiditatem quoque tollere, et ſtillicidium aquarum, inprimis thermalium, ſimilem effectum praeſtare, experientia docuit. Si nervi ob compreſſionem et quietem partis ſtupidi, et ad motum et ſenſum inepti facti ſunt, rubefacientia medicamenta et vrticationes applicentur, nimis durum enim videtur, tunc eosdem ferro candente excitare. §. 532.

§. 624.

Pertractata nunc fracturae ſimplicis curatione, nonnulla quoque de complicata, quae ſcilicet cum vulnere eſt, exponenda erunt. Qua in re et inflammationem et alia peſſima ſymptomata, quae tunc temporis aegroto accidunt, quando partes franguntur, fractaeque et e ſitu ſuo dimotae in verum ſitum reducuntur, et praecipue, quando callus formari et conſolidatio oſſis praeſtari debet, examinabimus: haec enim cum fractura coniuncta incommoda peculiarem interdum chirurgi requirunt attentionem.

§. 625.

In genere itaque notamus, in magna et valida dilaceratione et contuſione partium mollium periculoſam interdum oriri poſſe haemorrhagiam, et magnam ſemper inflammationem extimeſcendam, ideoque ſanguinis profuſionem ſuo modo coercendam, et venaeſectionem, eamque pro conſtitutione aegri

et ſymptomatum accedentium ratione repetitam, neceſſario adminiſtrandam, et, quo febris ſimul oborta intra limites moderatos contineatur, victus quoque rationem habendam eſſe, quam quidem doctrinam omnem in antecedentibus iam ſatis explicauimus.

§. 626.

Longe vero periculoſior eſt haec inflammatio, ſi ad membranam oſſa inueſtientem clandeſtine proſerpit; ſi vaſa maiora vicina, vel ea, quae per oſſis ſubſtantiam ad meditullium excurrunt, fragmentis oſſis premuntur vel tenduntur, quin prorſus laeduntur, nec tantum inflammationis, ſed etiam haemorrhagiae oboriundae cauſſae ſunt; ſi aliae partes nobiliores v. c. medulla ſpinalis comprimitur: quae quidem et alia a chirurgo caute diſquirenda et diiudicanda ſunt, antequam de reponendis partibus fractis cogitet.

§ 627.

Praeter venaeſectionem enim, ſupra commendatam, protinus epithemata inflammationi diſcutiendae conuenientia, §. 81. ſeqq. adhibeantur, et interea ex ſymptomatibus concurrentibus grauitas laeſionis diiudicetur. Nam cum in tanta partium laeſione, §. 626. quae cum earundem dilaceratione coniuncta eſt, diſcuſſio nunquam attingi poſſit, de acceleranda ſuppuratione §. 97. ſeqq. et pure educendo magis cogitandum eſt.

§. 628.

Oſſis fragmenta, ſi fieri poteſt, in verum ſitum reponenda ſunt, ex his alia, quae depreſſa ſunt, eleuentur, alia non nihil deprimantur, ſuſpenſa tamen manu vel ferramentorum leni applicatione, ne medulla vel aliae partes vicinae nimium comprimantur vel irritentur. Quam ob rem etiam acuta fragmenta, hinc

hinc inde eminentia, ſerrula vel forcipe praeſcindenda et vulnus ipſum ampliandum eſt, §. 419. quo, quid ſeruari, quid contra auferri debeat, euidenter cognoſcatur.

§. 629.

Si cum fractura etiam luxatio coniuncta ſit, omnino tentandum eſt, an luxatae partes reponi poſſint, antequam fracturae curatio ſuſcipiatur. Sin fractura prope articulum ſit, et repoſitio luxati oſſis ſine valida tenſione fieri nequeat, fracturae curatio prius ſuſcipienda eſt. Cum autem tardior luxati repoſitio, ob articuli rigiditatem interea inductam, admodum difficilis ſit, illa quidem aquoſis calidis et oleoſis epithematibus applicatis auertenda eſt, raro tamen perfecta curatio vtriusque vitii oſſium locum habet, ſed tertium, hoc eſt, anchyloſis, ſubnaſcitur.

§. 630.

Fiſſura longitudinalis vel alia irregularis, qua perioſteum leuatur, clandeſtinam ſaepe inflammationem mouet; quae, ſi leuior eſt, interdum venaeſectione eaque repetita diſcutitur: ſin grauior, ea ne epithematibus quidem ex herbis diſcutientibus paratis facile cedit. Cum itaque interea dolor maxime intendatur, cataplaſmata emollientia protinus applicentur, et pus, quod vtplurimum in profunda ſede coit, inciſione facta educatur, ne ſtaſi humorum oſſis ſubſtantia nimium corrumpatur.

§. 631.

Dolorem partis fractae repoſitio apta fragmentorum leuat; cum vero minima, et praecipue acuta et pungentia fragmenta non ſemper protinus eximi queant, cataplaſmatibus et iis praecipue, quae anodyna virtute pollent, §. 104. vtendum eſt, quo ſuppu-

ratione mota partes laxentur et dolor remittat. Licet enim multa ſuppuratio in his partibus omnino moleſta ſit, earumque deſtructionem augeat, nimius tamen dolor et tenſionis validae ſymptomata alio modo leuari nequeunt.

§. 632.

Saepe etiam dolor vel potius pruritus in ſumma cute circa locum fracturae ſentitur, puſtulae eleuantur, et cuticula eroſionibus, a ſero acri factis, deſquamatur. Hoc itaque incommodum, ſi ab emplaſtris vel vnguentis, quae impoſita fuerunt, oritur, non niſi his remotis tollitur. Si vero immundities eius cauſſa eſt, haec ſpongia, aqua vulneraria madefacta, abſtergatur, et nouus faſciarum apparatus applicetur.

§. 633.

Oedemata, quae membra fracta et vicinas quoque partes occupant, vtplurimum a nimis ſtricta faſciarum applicatione pendent. Hoc incommodo itaque oborto et aucto, faſciae non nihil relaxandae, et, ad humorum ſtagnantium placidam diſcuſſionem praeſtandam, epithemata ſicca applicanda ſunt, §. 254. ſeqq. Si gangraenoſa corruptio nimis vehementem inflammationem ſequitur, omni partium adſtrictione vitata, ea applicanda ſunt, quae alibi indicauimus, §. 149. ſeqq.

§. 634.

Cum in fractura complicata, hoc eſt, cum vulnere vel alio grauiore ſymptomate eueniente, partes laeſae aliquoties ſingulis diebus attendendae, et medicamentis admotis, aut etiam mutatis afficiendae ſint: deligandi quoque ratio ab ea, quam §. 613 ſeqq. deſcripſimus, longe diuerſa eligenda eſt. Diſquiſitione enim, vt decet, abſoluta, et extenſione membri

et

et partis fractae repoſitione, quantum fieri potuit, praeſtita, faſcia octodecim capitibus inſtructa ita apponatur, vt capita ſibi inuicem ſuperimponenda apte ſuper partem laeſam ferantur. Ferulae et reliquus apparatus ſimili ratione adhibeatur, et adſtrictio moderata fiat.

§. 635.

Arcula PETITI ita quidem fabrefacta eſt, vt membrum fractum apte in ea collocari, eius latera vtrinque reclinari, et facta deligatione iterum apponi poſſint; eius tamen correctiones varias coram explicabimus. Nunc quidem monemus, membrum laeſum non commodius reponi poſſe, quam ſi cauum ligneum, figurae membri accommodatum, formetur, inter deligandum adminiculo miniſtrorum extenſio moderata praeſtetur, et ipſum membrum, applicatis iis, quae poſtulat eius laeſio, remediis, in cauum reponatur, eiusque ſitus molliori lana vel opere coactili interpoſito firmetur.

§. 636.

In fractura, obliqua praecipue, et vbi muſculorum contractio membrum breuius reddit, prudentia chirurgi maxime neceſſaria eſt, ne membri laeſi partes aut nimium adſtringantur, aut relaxentur. Monita huc facientia, ex crebro vſu haurienda et confirmanda, coram explicabimus, variasque machinas in hunc vſum inuentas examinabimus *). Tamen omnino tenendum eſt, membri a tam graui laeſione non nihil accurtati culpam in laeſionem magis, quam in chirurgum coniiciendam eſſe.

*) Vid. Mem. de l'acad. roy. de Chirurgie a Paris Tom. II. p. 422. Tab. XXI.

CAPVT VI.

DE ANCHYLOSI.

§. 637.

Poſt varias oſſium laeſiones, inprimis circa articulos, hi ipſi, mobiles antea, immobiles redduntur, quod vitium vel ex laeſione, accurtatione et duritie partium mollium, quibus oſſa firmantur, vel ex coalitu oſſis cum vicino oritur, et in genere conſideratum *ἀγκύλη* ſeu anchyloſis appellatur. Infirmitas membri, a ligamentorum circa articulos annexorum laxitate pendens, a noſtro morbo vere differt: cum tamen aequalem et liberum partium motum tollat, in curatione eo quoque reſpiciendum eſt.

§. 638.

Ligamenta nimirum circa mobiles articulos ducta, et cum perioſteo ſuo coniuncta, ex vulneribus, contuſionibus, aliisque laeſionibus ita quidem inflammantur, ſtringuntur, et inde ex elaſticitate ſua, facilem motum efficiente, ad rigiditatem mutantur, quae, ſi aptis auxiliis tolli nequit, liberior articuli motus impeditur, vel, ſi partes prorſus occalleſcunt, omnino tollitur.

§. 639.

Praeter varias has articulorum laeſiones liquor articularis, albumini ouorum ſimilis, §. 540. interdum deficit, et ſiccitatem ex ſtrepitu in articulis cognoſcendam efficit, interdum vero ſpiſſior fit et concreſcit. Hoc, quod ex nimia quiete interdum accidit, §. 622. multo maiori cum moleſtia et immobilitate euenire poteſt, ſi axungia articularis prorſus denſatur, vel ſi ex laeſis internis partibus calloſi et fungoſi

fungoſi tumores excreſcunt, qui cauum occupant et liberum articuli motum impediunt.

§. 640.

Spongioſae oſſium mobilium extremitates, in adultis interdum, ſed crebrius in iunioribus, ita laeduntur, vt epiphyſes, nec ſatis iam extenſae, nec cum diaphyſibus coalitae, ſaepius afficiantur, et intumeſcant. Si tunc vitium humorum, vt in rhachitide, accedit, tumor magis confirmatur. Etſi vicina oſſa inter ſe non prorſus concreſcunt, ligamenta tamen ita tenduntur et occalleſcunt, vt omnis ferme motus tollatur. Hoc tandem vere euenit, ſi partibus his, prope articulum fractis, vel epiphyſibus diductis, callus excreſcens non ſatis coerceri poteſt, ſed vel ipſum articulum attingit, vel verum oſſium, alias mobilium, coalitum inducit.

§. 641.

In his laeſionibus, haud raro complicatis, diagnoſis ſaepe difficillima redditur. In diſquiſitione igitur inſtituenda praecipue quidem ad cauſſas laeſionis externas et internas reſpiciendum eſt, vt ſucceſſiua partium mutatio cognoſcatur, quo facto et figura articuli, et ligamenta cingentia, muſculique his inſerti bene diiudicandi ſunt, vt ſedes morbi eiusque augmentum eo accuratius definiatur.

§. 642.

Prognoſis ex gradu laeſionis, ex tumore partium, celerius vel tardius excreſcente, ex duritie plus minus inſigni, praecipue petenda eſt. Quamdiu enim vitium, ex ſiccitate articuli et ſpiſſatione axungiae poſt defectum exercitationis membri ortum, recens eſt, mobilitas membri reſtitui poteſt: ſi vero morbus inueteratus eſt; ſi tumores denſi et cartilaginea duritie inſignes in cauo articuli naſcuntur; ſi oſſis fracti

 callus

callus nimium eminet; ſi ligamenta poſt vulnera curata nimium accurtantur, curatio vel difficillima eſt, vel prorſus nihil efficit.

§. 643.

Nimiae ligamentorum rigiditati et articuli ſiccitati epithemata, et cataplaſmata emollientia et diſcutientia, nec non vnguenta neruina opponi poſſunt, praeſertim ſi exercitatio articuli, quae ab initio ob dolorem locum non habuit, hoc non nihil mitigato, iterum ſuſcipiatur. Cum vero emollientia medicamenta contrarium vitium, partes nimium relaxando, inducant, emplaſtra diſcutientia, v. c. de galbano crocatum vel oxycroceum, ſaepius praeſtare videntur, vel illorum vſui interponi debent. Spiritus vini et camphoratus etiam noxius eſt, quoniam partes ſiccat et humores cogit. Omnibus his auxiliis anteponenda eſt frictio, et ſtillicidium ſolutionis ſalis ammoniaci vel aquarum thermalium, §. 256. quod ſucceſſiuam diſcuſſionem omnino iuuat.

§. 644.

Poſt horum medicamentorum applicationem nonnunquam puſtulae, et excoriationes cuticulae etiam cum affluxu feri obſeruantur. Neque tamen hic effectus ſemper noxius iudicandus eſt, quoniam, exanthematibus his obortis, decubitus acrium humorum ab articulorum cauis auertitur. Quam ob rem nonnulli et muriam cum herbis diſcutientibus ſabinae, rutae, cet. coctam commendant, addito inſuper vitriolo et alumine: ſed haec laxitati ligamentorum potius, quam eorundem rigiditati conuenire videntur.

§. 645.

His medicamentis emollientibus et diſcutientibus plus minus irritantibus, immo interdum roboranti-

rantibus, calore et motu accedente, axungiae articulorum excretio et reſorptio etiam adiuuatur, quibus eius nimia tenacitas interdum reſoluitur, attenuatur, et ita partium mobilitas reſtituitur. Diu tamen in applicatione remediorum electorum perſeuerandum, eoque attendendum eſt, ne calor nimius partes exſiccet. Scalpello ligamentum capſulare incidere, ſpiſſiorem humorem exprimere, et iniectionibus v. c. infuſi agrimoniae eluere, non niſi multa cum attentione licet: harum enim partium vulnera difficulter ſanantur, nec raro rigiditas inſanabilis relinquitur.

§. 646.

Si callus in articulo excreſcit, in recenti forte ſtatu, motu partis continuato et medicamentis diſcutientibus et reſoluentibus applicatis, aliqua mobilitas reſtitui poteſt, ſemper tamen impedimenta remanent, et, cum cartilagines vix reſtituantur, articulus inaequalis redditur. Fungoſae glandularum excreſcentiae, quae inter oſſium articulos oriuntur, niſi forte exſcindi poſſint, eodem modo immobilitatem perpetuam relinquunt.

§. 647.

Si oſſa vicina, poſt varias laeſiones et curationes a perioſteo denudata, in geneſi noui calli vel exoſtoſibus benignis extenduntur, et ſe inuicem prorſus contingunt, ideoque interdum inter ſe coaleſcunt, denſitate vero oſſea acquiſita, nullum auxilium recipiunt: ſi vera aliqua adhuc calli conglutinantis mollities eſt, et motus partis tentari poteſt, coalitus forte impeditur. Epithemata et emplaſtra diſcutientia tunc applicata proſunt; emollientia vero et roborantia magis nocent.

CAPVT VII.

DE LVXATIS.

§. 648.

Oſſa inter ſe coniuncta plus minus mobilia deprehenduntur, prout nimirum partium corporis firmitas et motus illud requirit. Alia itaque ex ſede ſua parum cedunt, ſed denſa cartilagine et firmis ligamentis coniuncta ſubſiſtunt; alia vero, cauitatibus et eminentiis cartilagine incruſtatis inſtructa, ad liberiorem motum diſponuntur. Vtriusque generis oſſa, e ſede naturali mota, luxata dicuntur.

§. 649.

Tanta eſt articulorum corporis humani varietas, vt eae diſtinctiones, quibus ab anatomicis in genera et ſpecies diſtribuuntur, chirurgo vix ſufficiant: hic potius luxationem diiudicaturus in quolibet articulo figuram extremitatum coniunctarum, ligamenta connectentia, tendines muſculorum ipſosque muſculos, qui articulis adhaerent, vel eos tranſeunt, accurate diſquirat, et ita oſſis emoti peruerſam ſedem vere diiudicet.

§. 650.

Hanc ob cauſſam, quo ratio ſingulis articulis medendi accuratius perſpiciatur, praecipuas et particulares luxationes ſparſim in altera chirurgiae noſtrae parte examinaturi ſumus; nunc tantum praecipuas differentias, cauſſas et ſymptomata indicabimus, et, addita diagnoſi ac prognoſi vniuerſali, indicationes et auxilia ipſa in curatione attendenda ſummatim proponemus, vt officium chirurgi in his corporis laeſionibus definiamus.

§. 651.

Si articuli cartilagine ligamentoſa coniuncti, v. c. corpora vertebrarum a ſe inuicem, vel os ſacrum ab oſſibus coxarum diducuntur, tumores et vera oſteoſteatomata oriri ſupra diximus, §. 571. et curationem quiete et roborantibus abſolui, ſimul monuimus; §. 577. ſed cruſtis oſſeis vtplurimum enatis, vel oſſibus ipſis coalitis, immobilitas relinquitur, quae tamen vniuerſales actiones corporis vix laedit, ſed tantum rigiditatem quandam inducit.

§. 652.

Oſſa vero, articulo mobili praedita, hoc eſt eo, qui cruſta cartilaginea polita, vtrinque appoſita aut interpoſita, inſtructus eſt, vel parum e ſede ſua recedunt, et aliquam, licet maxime limitatam, mobilitatem relinquunt, vel prorſus ex articulo dimouentur. Prius in articulatione per ginglymum, alterum in arthrodia et enarthroſi praecipue obſeruatur. Limites laeſionis ex cauſſis et ſymptomatibus nunc conſiderandis melius perſpicientur.

§. 653.

Vehementi ictu, inprimis tenſionem membrorum validam efficiente, v. c. in caſu ab alto, articulos e ſede moueri, experientia loquitur. Sed idem e niſu membrorum cum inſigni articulorum tenſione, v. c. in corporibus grauioribus e loco mouendis, vel e ſaltu euenire cognoſcimus. Cum etiam a violentis his partium tenſionibus muſculi et ligamenta poſt diſtenſionem valide contrahantur, os dimotum et in ſitum peruerſum actum in eo quoque perſiſtit.

§. 654.

Muſculi, imbecillitate, marcore et paralyſi reſoluti, connexionem in articulis membrorum infirmam quoque reddunt, vt capitula facile e ſede ſua exce-

excedant: facilius autem hoc euenire ſolet, ſi ipſa ligamenta, quibus oſſa coniuncta continentur, ita relaxantur, vt partes compoſitas non ſufficienter connectant, quam ob rem ſaepius in conſuetis motibus, vel in niſu haud adeo valido, capita oſſium ex cauis ſuis dimouentur.

§. 655.

Humor peregrinus, ad articulos collectus, hanc relaxationem inſigniter auget, et praeterea mole ſua caua articularia extendit, ideoque capita ſaepius ex ſedibus ſuis expellit. Frequentius tamen idem euenit, ſi extremitates oſſium ſpongioſae, vel epiphyſes rhachiticorum in tumores excreſcunt, et veram partium figuram, ideoque etiam ſitum et nexum mutant, qua de caſſa, niſi anchyloſis formetur, §. 640. luxatio vera interdum ſubſequitur.

§. 656.

In ſucceſſiua et lente quaſi obrepente luxatione, §. 654. 655. deſcripta, vix grauia ſymptomata accedunt, membri tantum immobilitas et imbecillitas inducitur. In priori autem genere, §. 653, vel fracturae ſimul accedunt, vel certe ſemper dolores, inflammationes cet. ſuccedunt, quam ob rem auxiliis non rite applicatis, partis laeſae gangraena ſequitur, de quibus attendendis vel auertendis cum iam ſatis dictum ſit, officium prudentis chirurgi in repoſitione luxatorum potiſſimum diiudicabimus.

§. 657.

In vera partis luxatae diagnoſi formanda, quae curationem omnino praecedere debet, haec praecipue ſigna attendenda ſunt. Conferat primo chirurgus articulum luxatum cum ſano oppoſito vel vicino, et differentias vtriusque bene annotet, poſtea perſpiciat, vtrum dolor, ſi pars non nihil mouetur, in ipſo

articu-

articulo, an in vicinis muſculis aliisque partibus percipiatur, inter quos motus etiam bene examinet, a quibus laeſionibus articuli immobilitas orta fuerit; interdum enim arthritici et rheumatici dolores luxationis quaſi ſpeciem referunt.

§. 658.

Si articuli ob materiam peregrinam in cauum effuſam excidunt, lenta quidem mutatio vitium inducit, cuius cauſſa in humorum vniuerſalium et particularium corruptione quaerenda eſt, atque etiam tunc capitulum oſſis in ſedem veram compelli nequit, etſi externa impedimenta nulla inueniuntur. Si a violentia externa ligamenta nimis diſtenta, et relaxata et rupta ſunt, cauſſa luxationis euidens eſt, et, ſi muſculorum vigor manet, capitulum repoſitum, leuiori motu accedente, iterum excidit. Reſolutionem muſculorum poſt apoplexiam, vtplurimum praegreſſam, paralyſis, et cum ea marcor et extenuatio muſculorum ſequitur. Interdum etiam ſucceſſiua reſolutio neruorum, non praegreſſa apoplexia, obſeruatur.

§. 659.

Os non totum e ſede ſua motum eſſe, ſed tantum quodammodo receſſiſſe, tumor minor et dolor mitior indicant: ille omnino non tantus eſt, quantus in vera luxatione. Cum autem tumor ſaepe exiguus ſit, et ab integumentis preſſis tantum pendere videatur, ad dolorem praecipue reſpiciendum eſt, qui diſcutientibus medicamentis non cedit; articulus etiam non prorſus immobilis in vnam tantum directionem duci poteſt, niſi forte tumor partium vicinarum ſimul oriundus omnem motum cohibeat.

§. 660.

In vera luxatione tumor in loco, ad quem pars oſſis emota tranſiit, et ſinus ſiue cauum in parte oppoſita deprehenditur. Si capitulum deorſum deductum eſt, membrum longius redditur, breuius autem, ſi ſurſum, vel ad latus quoque dimotum fuerit. Dolor, qui ſimul oritur, accurate examinandus, et e partium, quae premuntur, vel quoque nimium tenduntur, ſitu diiudicandus eſt, quo pars tenſa bene perſpiciatur. Inflammatio, eaque ſaepius profunda, quae a luxatione interdum inducitur, praeter dolorem, ex ſignis vniuerſalibus, humorum ſcilicet motu aucto, et febre, cognoſcitur.

§. 661.

Ex diagnoſi, magna cum cura definita, prognoſis quoque patet. Si in ſano corpore articulus ſine euidenti ligamentorum, muſculorum, aliarumque partium et ipſius oſſis laeſione, a vi externa dimotus fuit, membrum apta encheireſi ſine noxa in verum ſitum reſtitui poteſt. In imbecillis facilius euenit luxatio, quam in robuſtis, in his tamen difficilius reponitur, in illis aegrius retinetur. Quam quidem rem et in generali et in ſpeciali doctrina exemplis illuſtraturi ſumus.

§. 662.

Semper quidem, praeſertim tamen imminente metu inflammationis ob validam vim, membro illatam, et vehementem partium tenſionem, protinus ante eius acceſſum pars luxata reponenda eſt, cum tardius ſuſcepta repoſitio vel impoſſibilis, vel multis incommodis ſtipata ſit. Inflammatae enim partes repoſitionem impediunt, nec poteſt cauſſa ſubſiſtente inflammatio diſcuti, quae, ſi vel maxime apta medendi ratione ex parte diſcutiatur, alia tamen vitia remanent.

manent. Auertitur quidem grauiſſimum malum gangraenae, abſceſſus tamen, inſpiſſatio axungiae articularis, exoſtoſes, anchyloſes ſequuntur luxationes has non curatas.

§. 663.

Luxatio a relaxatis nimium ligamentis inducta, aut quae marcorem muſculorum et tenuitatem membri efficit, vel rariſſime vel nunquam corrigitur, multo minus ſanatio promitti poteſt, ſi ligamenta vel vicinae partes ruptae ſint. Quidquid tamen auxilii ex diſcutientibus, roborantibus aliisque medicamentis afferri poteſt, id in principio tentandum eſt; inueterato enim morbo vel varii tumores increſcunt, et articuli figuram mutant, vel robur partium continentium ex vniuerſali et particulari cauſa prorſus infringitur.

§. 664.

In luxatorum cura ſuſcipienda chirurgi officium eſt, extenſionem et contraextenſionem aptam partium efficere, et ea durante partem oſſis dimotam iterum in veram ſedem dirigere, quo illa in ſummo, qui ſine deſtructione fieri poteſt, extenſionis gradu reponatur, et in vero ſitu conſeruetur; quam ob rem deinde in quiete retineantur partes, ne motu nimio tentato repoſita iterum excidant; aliqua tamen a chirurgo ipſo poſtea interdum ſuſcipienda et dirigenda agitatio efficit, ne partes frictione laeſae coaleſcant.

§. 665.

Membrum, luxatione e ſede ſua et naturali directione motum, in extenſione ſenſim paulatimque ita dirigendum eſt, vt ad veram et naturalem directionem reducatur. Extenſio autem blanda, aequalis et ſucceſſiua ſit, et ea parte, in qua cauitas articuli

eſt,

eſt, fixa reddita, in altera, quae capitulum habet, potiſſimum perficiatur. Haec quidem extenſio membrum longius reddit, ſed eo etiam reſpiciendum eſt, ne, nimia et violenta extenſione ligamenta infirmentur. His caute obſeruatis, capitulum, quod excidit, nonnunquam ſponte in veram ſedem recedit.

§. 666.

Si extenſio difficilis eſt, variis habenis vel loris firmandum eſt corpus aegri, et inprimis ea pars, ex qua dimotum eſt capitulum, quo ex altera parte vel manu, vel aliis auxiliis appoſitis, extenſio fiat: qua in re tamen nimia adſtrictio euitanda eſt, ne cutis et ſuppoſitae partes vexentur. Hunc in finem inſignis machinarum numerus inuentus eſt, quarum generalem deſcriptionem coram dabimus, veram autem applicationem in partialibus luxationibus declarandis addituri ſumus.

§. 667.

Capitulum, durante extenſione ſua ſponte in verum ſitum non recedens, manu chirurgi eo repellitur. Cognita itaque articuli figura, et ſede peruerſa partis emotae, chirurgus, vel vna vel ambabus manibus amplexus articulum, vero temporis momento ſub ipſa extenſione obſeruato, capitulum ita vrget, vt in foueam ſeu cauitatem compellatur. In quo niſu nonnunquam impetu opus eſt, ſit tamen moderatus, ne inflammationi occaſio exhibeatur, extenſio autem cum ipſa membri in ſitum repulſione remittat, quam remiſſionem vel chirurgus, capitulum dirigens, imperat, vel is, qui extendit, ex blanda muſculorum contractione percipit.

§. 668.

Tumor et dolor remittens, partem oſſis dimotam poſt repoſitionem in veram ſedem receſſiſſe, medentes conuincit. Idem certius cognoſcitur, ſi, manu chirurgi membrum caute dirigente, motus in oppoſitas partes aliquoties et ſine incommodo aegri tentari poteſt: quod ſi ab ictu vel tenſione dolor aliquis remanſerit, tamen hic quoque, a priori diſtinctus, ſucceſſiue imminuitur: de apta igitur deligatione cogitandum eſt.

§. 669.

In iunioribus et robuſtis, quorum oſſa violento quidem motu e ſede expulſa, ſed ſubito etiam reſtituta fuerunt, vix faſcia opus eſſe videtur, cum partium robur mox reſtitutum luxata retineat, et leuem relaxationem corrigat. Verum in his tutius, in imbecillis vero maxime neceſſarium eſt, faſciam apponere, quo articulus per aliquot dies in eo ſitu retineatur, quem in homine ſano et quieto habet.

§. 670.

Ne tamen articulus nimis rigidus fiat, neue axungia articulorum ſpiſſeſcat, ille dirigente chirurgo interdum blande moueatur: quod vero fieri nequit, ſi aliqua inflammationis ad partem oriundae indicia animaduertantur, quo tempore venaeſectio inprimis in plethoricis negligenda non eſt, vt poſtea applicata epithemata diſcutientia vim efficacius exſerant.

§. 671.

Inflammationem in luxatis interdum grauiorem, atque eidem imminenti celeri oſſis repoſitione oc-

currendum eſſe monuimus, § 662. ſi vero hoc fieri nequit, ideoque varia ibi commemorata ſymptomata ſuperueniunt, chirurgi officium eſt, inflammationis potius, quam luxationis rationem habere: vera tamen partium dimotarum repoſitio et luxationis curatio rarius ex voto ſuccedit. Sufficit ſaepe, gangraenam apta medendi ratione reprimere; quae quidem medendi methodus ex doctrina de inflammatione repetenda eſt. De fractura, cum luxatione coniuncta, §. 629. diximus.

§. 672.

Cum autem praeter haec grauiora mala relaxatio et infirmitas articuli ſaepius remaneat, luxata parte vt decet repoſita, neque tamen ope faſciae ſatis roboranda, tentandum omnino eſt, an epithemata ex plantis roborantibus, cum vino rubro parata, addito ſale ammoniaco efficacius agant. Spirituoſa nimis ſiccant, et in ſenibus vix concedi poſſunt. Ex emplaſtris oxycroceum optimum eſt, quod parti articuli infirmatae tantum apponitur. Nec frictiones cum vnguentis neruinis omittantur, §. 622. 623.

PARS

PARS II.

MORBI PARTICVLARES.

§. 673.

Ex his, quae hactenus vniuerſali morborum chirurgicorum tractatione expoſuimus, norma omnis praxeos chirurgicae petenda eſt. Cum vero ardua res ſit, in morbis ſingularibus ad generales medendi rationes recurrere, quoniam fabrica partium varia aliquas limitationes admittit, et paſſim monita nonnulla inſerenda ſint: neceſſarium omnino erit, ſpeciales curandi modos pertractare, et auditores noſtros in praxi chirurgica attente praeſtanda magis magisque adiuuare.

§. 674.

Haec ipſa vero morborum particularium per exempla tradendorum ratio non melius abſolui poterit, quam ſi, integumentorum morbis breuiter indicatis, reliquos capitis, colli, pectoris, abdominis et artuum ſigillatim pertractemus. Quod ſi et in his ob rerum proponendarum copiam quaedam neglecta fuerint, ſcriptores chirurgici conferendi, et eorum obſeruationes et monita in cognoſcendis et curandis morbis externarum partium ad doctrinam noſtram porro accommodanda ſunt.

TRACTATIO I.

DE INTEGVMENTORVM MORBIS.

§. 675.

Cutis cum cuticula appoſita et contextu celluloſo ſubſtrato, praeter vulnera, tumores varios, vel inflammatorios, vel calloſos, vel tandem eroſiones, ab acri ſero factas, recipit. Ac horum quidem magnam varietatem eſſe, in morborum exanthematicorum (m. c. §. 163. ſeqq.) et in ſcabiei (m. c. §. 511. ſeqq.) tractatione et alibi monuimus; quoniam autem in his integumentorum laeſionibus, quae ex internis cauſſis pendent, ad vniuerſam humorum dyſcraſiam potiſſimum reſpeximus, iis relictis, externa potius vitia, externis remediis curanda, nunc breuiter pertractabimus.

§. 676.

In magna vero laeſionum cutanearum varietate breuius verſari poterimus, cum inflammationum, tumorum, vulnerum et vlcerum tractatio maximam partem iam abſoluta ſit. Exemplis igitur nonnullis acquieſcentes de vitiis cutis calloſae, verrucis et clauo, poſtea de eroſionibus cutaneis, herpete, varis et porrigine, de obſtructionibus denique, in contextu celluloſo haerentibus, inflammationem ſui generis efficientibus, furunculis et carbunculis, agemus: ex his enim reliqua etiam cutanea vitia diiudicari poſſe confidimus.

CAPVT

CAPVT I.

DE VERRVCIS ET CLAVO

§. 677.

Tumores paruuli, in ſumma cute orti, et calloſi redditi, varii ſunt. Nonnunquam enim tenui radici adhaerent, et cutis productionem variae figurae exhibent, ſaepius in calloſis et aſperis papillarum cutanearum eminentiis latae baſi inſiſtunt, et ſpeciatim verrucae dicuntur, vel, ſi cuti tenui ſuper tendines et perioſteum, in pedibus potiſſimum, accreſcunt, claui appellantur. Similes eminentiae ex lue venerea ſaepe pudendis, praeputio et glandi adhaerent, et porri ſeu verrucae venereae appellantur.

§. 678.

Non tantum immundities et valida compreſſio vel frictio, vt externae cauſſae, ſed acer quoque humor arrodens, ex humorum vitiis pendens, excreſcentibus papillis occaſionem praebent. Quae ex venerea labe in pudendis potiſſimum oriuntur eminentiae, vel quae aut ex eadem, aut ex alia cauſſa, in palpebrarum ambitu excurrunt, peſſimae ſunt. Cum autem vix non perpetua compreſſio et crebrior frictio paruulos hos tumores moueat et augeat, tenuis potiſſimum et contextu celluloſo parciore inſtructa cutis, circa digitos pedum calceis anguſtioribus preſſa, tendinibus et perioſteo inhaerentes has eminentias ita doloroſas reddit, vt haud raro inflammationes partium vicinarum excitent.

§. 679.

Quae ex tenui radice haerent eminentiae cutis calloſae, pilo, ex cauda equina euulſo, vel ſerico filo

ligantur, et ita, humoris nutrientis affluxu cohibito, exſiccatae decidunt. Emollitio earum, quae ſummae cuti lata baſi adhaerent, per emplaſtra, vel aliqua eroſio per ceram viridem efficitur, qua facta ſenſim abraduntur. Verrucae, quae his remediis non cedunt, cauſticis, inprimis lapide infernali aduruntur, et vel deſquamantur, vel aliqua ſuppuratione excitata ſoluuntur: cauſſae tamen, propter quas reuerti poſſint, ſedulo euitandae ſunt. In venerea labe affectis interna curatio praemittatur, qua praeſtita vel ſponte exſiccantur, vel remediis externis poſtea applicatis facile cedunt.

CAPVT II.

DE HERPETE, VARIS ET PORRIGINE.

§. 680.

Acrimoniam humorum magis produnt vitia cutanea, quae in denſa cute ſedem figunt eamque arrodunt. Mitiſſimus ex his morbus eſt herpetis prima ſpecies, germanice *Flechten*, *Schwinden*. Nimirum cuticula in quibusdam locis puſtulis exiguis eleuatur, vel potius cum pruritus ſenſu aſpera redditur, ſicca deſquamatione, furfuribus ſimili, ab inaequali et aſpera cute recedit, et interdum quidem ſeroſa humiditate ſcatet, ſaepius autem ſicca ſquamularum ſeparatione moleſta eſt.

§. 681.

Quod vitium, etſi ſaepius paruulam tantum cutis partem occupat, pertinax tamen eſt, inprimis acrimonia quadam humorum interna nutritum. Altera vero

vero herpetis ſpecies magis ſerpit et moleſta eſt, ſana enim cutis vtplurimum tumida fit, et poſtea, puſtulis paruis copioſe erumpentibus, aſpera redditur, vlcuſcula ſenſim accedunt, quae ſaniem plorant, per quam eroſio ad vicina loca ſerpendo protrahitur. Hoc vitium interdum ad eryſipelas puſtuloſum vergit, §. 62. interdum autem, ſi chronicum ſubſiſtit, omnino ad ſcabiei genera referri meretur.

§. 682.

Vari in glandulis ſic dictis miliaribus ſeu ſebaceis cutaneis, vel ad ſedem potius radicis pilorum deprehenduntur, cum loco vnguinis cutanei tenuioris acer viſcidusque humor haec caua occupauit, et ſtagnando magis magisque corruptus eſt, tunc quidem exigua vel nulla inflammatio accedit, punctulum potius nigrum in cute obſeruatur, quod quaſi operculum ſiccum ſiſtit, quo remoto, ſpiſſus humor forma vermiculi exprimitur. In irritante magis humorum acrimonia praecipue in facie rubor cutaneus, ceu leuior inflammatio, accedit, et alteram quaſi ac grauiorem huius morbi ſpeciem ſiſtit, ex qua non raro diuturna exulceratio relinquitur.

§. 683.

Saepe ingraueſcit hoc vitium, praecipue in infantibus, nec tantum faciem occupat, ſed inde etiam ad partem capillatam transfertur, quod achores dicunt medici ſeu porriginem, eroſione ſcilicet, diuturna saepe exulceratione et deſquamatione plus minus humida moleſtam. Si capitis partem capillatam profundius affecerit, tineam ſiſtit, quam ex glandularum lymphaticarum corruptione ſaepius oriri diximus, §. 291. ſeq.

§. 684.

Diuerſae hae, et nonnunquam ſub alia a nobis non deſcripta ſpecie, occurrentes cutis eroſiones, nominibus certis vix inſigniri poſſunt, quia, ob magnam puſtularum et vlcuſculorum varietatem, auctores in iis deſcribendis multum variant. Cum enim non tantum ab immunditie, ſed ſaepe etiam ex varia humorum acrimonia pendeant, quae ipſa in diuerſis hominibus pro ratione errorum diaetae et idioſyncraſia humorum varia eſt, illarum etiam differentia vix ſatis definiri poterit.

§. 685.

In corrigendis itaque humoribus, et robore ſolidarum partium conſeruando reſtituendoque, diligenter verſetur medicus, diaetam omnem, inprimis in victu, bene ordinet, potum diluentem non nimis ſtimulantem, ptiſanas nempe demulcentes, exhibeat, et cutis munditiem ſeruare iubeat. In habitualibus his cutis vitiis humorum correctionem, vernali potiſſimum tempore, vbi perſpiratio aere puriore adiuuatur, vrgeat, quamobrem varia monita, in ſcabie curanda potiſſimum propoſita, (m. c. §. 521. ſeqq.) huc transferenda ſunt.

§. 686.

In eligendis vero medicamentis, peruerſos humores corrigentibus, ea, quae ſanguinem commouent, et vehementi impetu humores ad peripheriam corporis vrgent, quoniam morbus iisdem exaſperatur, vitanda ſunt. Idem tenendum eſt de externis remediis, quae, ſi acrimonia ſua cutim vehementius irritant, humores magis ad peripheriam corporis alliciunt, vel, ſi mitiſſima ſunt, cutem ſanam ſaepe nimis relaxant.

§. 687.

Optimum remedium externum eſt in munditie, quae leni frictione cum pannis lineis purioribus efficitur, facilem perſpirationem fouet, et deſquamationem cuticulae ſucceſſiua exſiccatione iuuat. Saliuam ſani et ieiuni hominis vi abſtergendi pollere, nonnulli perhibent. Cum ſicca deſquamatio nimium pruritum excitet, aſperitatem forte cutis corrigit mucilago cydoniorum. Oleum empyreumaticum, quod ex charta alba ſuper metalli laminam poſita et combuſta exſudat, leniendi et exſiccandi vim ſimul habere videtur. Lac virginis, quod ex benzoe paratur, aſperitatem cutis quoque tollit, et vlcuſcula munda reddit.

§. 688.

Si in his vitiis cutaneis nimius affluxus acris ſeri eſt, varia coſmetica remedia ex calcibus plumbi et mercurio parata ſuadentur: calces nimirum plumbi ſiccant, et nimis laxa vaſa blande ſtringunt: mercurio vis mundificans in vlceribus paruis non ſine ratione tribuitur, tamen haec medicamenta, caute vſurpanda ſunt quoniam ab eorum vſu nimio, ſi vel nimis reprimant, vel ex parte reſorbeantur, corporibus potiſſimum infirmis varia damna inducuntur.

§. 689.

Si vnguentis potiſſimum vtimur, pinguedines additae, quae pruritum quidem leuant, attamen non tantum relaxando nocere, ſed, quoniam facile rancidam indolem acquirunt, rodendo laedere poſſunt, antequam applicantur, bene examinandae et roborantibus atque exſiccantibus temperandae ſunt. Cineres zinci, vel tutia bonae notae tutiſſima ſunt exſiccantia, ſi pinguedine recenti excipiuntur, et for-

ma emplaſtri madentibus locis applicantur. Eroſiones cutaneas, ab externa cauſſa in infantibus potiſſimum oriundas, puluis lycopodii inſperſus optime exſiccat, et hoc in caſu ceruſſa ac terris bolaribus praeſtantior eſt.

CAPVT III.

DE FVRVNCVLO ET CARBVNCVLO.

§. 690.

Humor acer, in cellulis pinguedinis ſub cute ſtagnans, vaſa arrodit, ex quibus ſpiſſus ſanguis effunditur, inflammationem mouet, et vicinam pinguedinem premendo duriorem reddit. Tumor itaque in apicem eleuatus, multum dolorem ciens, furunculus ſcilicet, oritur, qui emollientibus emplaſtris admotis ad aliquam ſuppurationem ducitur: cute enim rupta, vel leui inciſione facta, purulenta et ſanguinolenta materia emittitur, quam ob cauſſam etiam furunculi germanis *Blutſchweren* dicuntur. Hi membranaceis et neruoſis locis inhaerentes magis moleſti ſunt.

§. 691.

Qui ſolitarii in locis, vbi tantum copioſa pinguedo eſt, oriuntur furunculi, ii praeter dolorem damnum non inferunt: ſi enim, materia ſtagnante emiſſa, emplaſtrum diachylum cum gummis, vel malacticum ſpiſſius illinitum imponitur, durities pinguedinis reliqua diſcutitur; ſi poſt graues morbos v. c. variolas relinquuntur, et inſignem cacochymiam et corruptam praecipue pinguedinem produnt, praeſertim ſi copioſi ſint, vel prope ab oſſibus aut ipſis

ipſis articulis exſurgant, caute tractandi ſunt, et niſi interna medendi cura ex voto procedat, grauiſſima mala afferunt.

§. 692.

In peſte materia morbi maligna ad glandulas lymphaticas ducitur, et bubones peſtilentiales efficit, §. 283. Anthraces peſtilentiales his ferme ſimiles ſunt, etiamſi enim, vt furunculi, ſedem tantum in pinguedine ſubcutanea habent, maligno tamen humore turgent. Carbunculus peſtilentialis eſt puſtula, in ſumma cute nata, obſcure purpureo colore cincta, mox liueſcens, ardente dolore moleſta, quae vt priores ex humorum ſumma malignitate gignuntur.

§. 693.

In his magis ad malignitatem humorum, quam ad cutis eroſionem et deſtructionem reſpiciendum eſt, eorum enim indoles ex natura morbi, in quo effloreſcunt, optime diiudicatur. Et quem ad modum in mitiori malo glandulae obſtructae, pure circa illas moto, ſecedunt, §. 299. vel facile exſcindi poſſunt, §. 301. ſic interdum quoque bubones, anthraces et carbunculi peſtilentiales, ſuppuratione in peripheria mota, corruptum a ſano ſeparant, quae tunc applicatis cataplaſmatibus et emplaſtris, quae emolliunt quidem, putredini tamen reſiſtendi vim ſimul habent, ſuſtinenda eſt.

§. 694.

Quod ſi vero malignitas maior in corpore ſit, tumores hi cutanei omnes cito ſubſidunt, in gangraenam et ſphacelum abeunt, et ob materiam celeriter reſorptam mortem accelerant. Si ſubſiſtunt, et corruptione propria in nigredinem vergunt, aliquam ſpem ſalutis ſupereſſe cognoſcimus: quamdiu enim

enim exſcindi poſſunt, ſcarifatione in iſto loco ſubiuncta inflammatio excitatur, vel, ſi ferro candente tacti eſcharam formant, viribus vitae adhuc vigentibus ſanatio ſuccedit, et materia morbi ad haec vlcera deducta ab internis partibus auertitur.

TRACTATIO II.

DE CAPITIS MORBIS.

§. 695.

Ad ampliſſimas et difficiles chirurgiae doctrinas ducimur, cum ad capitis morbos pertractandos nos conuertimus; etenim praeter ſubtilem partium fabricam, arteriarum, venarum et neruorum copia et mirifica per partes varias diſtributio attentum omnino requirunt chirurgum. Cum igitur in hac introductione primaria tantum huius doctrinae capita tangere poſſimus, vlteriorem diſquiſitionem, ex praeſtantiſſimorum auctorum ſcriptis petendam, paſſim indicabimus.

CAPVT I.

DE HYDROCEPHALO.

§. 696.

Hydrocephalus eſt tumor capitis praeternaturalis, a ſero, extra vaſa effuſo, et in cauis ſtagnante, oriundus, (m. c. §. 468. 469). In infantibus potiſſimum iisque recens natis obſeruatur, et quatenus humor

humor effuſus, vel extra vel intra caluam collectus, capitis partes diſtendit, in internum et externum diſpeſcitur.

§. 697.

Externus hydrocephalus ab humore vtplurimum ſub cute, in contextu celluloſo, rarius ſub membrana epicrania et pericranio haerente, pendet; internus autem praecipue ſerum inter piam et duram matrem, interdum tamen et in ventriculis cerebri, inprimis lateralibus, effuſum ſiſtit, et ita, hemiſphaerium vel alterutrum vel vtrumque extendendo, molem capitis auget.

§. 698.

Serum, in cauo caluariae ſtagnans, in infantibus nonnunquam ad tractum medullae ſpinalis in tubum ſeu proceſſum externum magnum durae matris deſcendit. Hoc dum accidit, vertebrarum oſſicula poſteriora, quae in adultis in ſpinoſum proceſſum coaleſcunt et extenduntur, variis in locis ſpinae dorſi, potiſſimum vero ad vertebras lumborum et os ſacrum, a mole aquae deſcendentis, ſecedunt et tumor plus minus inſignis formatur, ſub quo oſſicula diſtenta ſpinam bifidam efficiunt. Finis medullae ſpinalis tunc ſaepe ita comprimitur, vt extremitates inferiores paralyſi laborent.

§. 699.

Cauſſa huius morbi, vt omnis hydropis, eſt cacochymia ſeroſa (i. m. §. 940. 1056) et inde nata partium relaxatio, qua reſorptio ſeri impeditur, quod ideo in cauis morboſe colligitur. Vt itaque in adultis, poſt varias capitis laeſiones et morbos, congeſtiones ſeroſae ad ventriculos cerebri eueniunt, ſic potiſſimum in infantibus, in vtero adhuc detentis, ex peruerſo ſitu, inprimis ob compreſſionem

nem venarum iugularium, hae collectiones ſeri ad varias capitis cauitates transferuntur, et hydrocephali cauſſae ſunt.

§. 700.

Sero in cerebri ventriculos laterales effuſo, vertigines, morbos ſoporoſos, et ipſam apoplexiam induci, obſeruationes confirmant. Nam quod plexus choroideus varicoſus, callosus et forte ſcirrhoſus factus, halitum aquoſum non reſorbet, nec infundibulum ſerum ſpiſſum ad pituitariam glandulam et vicina lymphatica vaſa deriuat, non tantum cerebri ſubſtantia a collecta aquarum mole diſtenditur, ſed haec porro in ventriculum tertium ac quartum penetrat, et grauiſſimos capitis et neruorum morbos efficit. Tentanda ſunt medicamenta interna diſcutientia, deriuantia et euacuantia, morbus tamen difficilis raro auertitur, et vix vnquam tollitur.

§. 701.

Inter membranas cerebri effuſus humor in adultis eosdem producit effectus, §. 700. cum calua diſtendi nequeat. Quoniam autem in infantibus vtero adhuc incluſis oſſa caluae tenuia, et non niſi membranis coniuncta ſunt, illa attenuantur et diſtenduntur, atque ita internum ſimul hydrocephalum inducunt. Si aqua in cauitate ſpinae dorſi deſcendit §. 698. et tumor vel lanceola aperitur, vel ſponte rumpitur, morbus ad tempus leuatur; cum autem affluxus ſeri nec externis nec internis remediis coerceri queat, triſtis ſemper eſt morbi exitus.

§. 702.

Externus hydrocephalus, poſt partum conſpicuus, compreſſione ceſſante et reſorptione ſeri facta, interdum diminuitur, vel medicamentis topicis diſcutientibus et roborantibus, lenique compreſſione partium

tium diſtentarum diſſipatur. Inciſione in occipite facta, vel potius ſetaceo applicato, §. 527. ſeq. aqua ſubducitur et blanda ſuppuratio ſuccedit. Remediis internis, in hydropis curatione (m. c. §. 482. ſeqq.) propoſitis, rarius cum fructu in infantibus vtimur, in his tamen ſecretiones ſeroſae ſaepius naturae motu iuuantur.

CAPVT II.

DE VVLNERIBVS CAPITIS.

§. 703.

De vulneribus et contuſionibus capitis ſtricte ſic dictis, hoc eſt, de iis, quae caluae confinia afficiunt, accuratius dicendum eſt, cum grauitas harum laeſionum ob partis nobilitatem inſignior ſit, nec tantum ſymptomata prorſus ſingularia, ſed etiam triſtem et ſaepe haud praeuiſum euentum inducat. Nonnullis itaque generalibus monitis praemiſſis, tractationem de fractura caluae et trepanatione ſequentibus capitibus ſubiungemus.

§. 704.

Impetus grauior corporis cuiusdam vehementer moti nulla ſaepius, vel exigua, externae laeſionis ſigna relinquit, ſubito tamen lethalis fit, cum tenera cerebri, cerebelli et neruorum fabrica ita commoueatur, vt actiones omnes corporis animalis illico ſufflaminentur, §. 412. Quod ſi vero percuſſio lenior ſit, obnubilatio ſenſuum, ſoporoſi affectus, vomitus bilioſi, vera vel apparens reſolutio neruorum totius corporis, vel tantum inſignis tremor et languor ſubſequuntur. Interdum poſt impetum grauiorem, aegri,

aegri, inprimis iuuenes ad ſe redeunt, nec de alio, quam grauatiuo, corporis dolore conqueruntur, qui ſenſim paulatimque ceſſat; interdum tamen, vel citius vel tardius, etiam poſt plures dies, grauiſſima ſymptomata, laeſionem, primo intuitu leuiorem viſam, triſtem atque adeo letalem pronunciant.

§. 705.

Ex quibus omnibus abunde intelligitur, quascunque capitis laeſiones non obiter eſſe conſiderandas, magnam potius in iis diſquirendis attentionem adhibendam videri, ne medicus et chirurgus in prognoſi decipiantur: ſaepe enim accidit, vt in re dubia, nullis ſignis definienda, auxilium certum applicari nequeat, attamen et tunc, quo mala futura praecaueantur, generalioribus indicationibus, nunc quodammodo definiendis, inſiſtendum eſt.

§. 706.

Cum itaque omnis percuſſio, et inde oriunda laeſio capitis, difficilis et ardua dicenda ſit, non tantum eo reſpiciat chirurgus, vt, percuſſionis indole aeſtimata, et inſtrumento laedente cognito, de vehementia impetus iudicet, ſed et omnes capitis regiones, capillis etiam abraſis, diſquirat. Iam vero aliqua tantum laeſionis ſuſpicione mota, venaeſectionem haud intermittat, et in plethoricis quoque repetat, apozemate antiphlogiſtico, quod aluum ſatis vehementer ducit, ſuperdato, poſtea epithemata ex herbis diſcutientibus, ſcordio, hyſſopo, betonica, cet. in aqua vel vino cocta applicet, quibus nimirum attenuatio et reſorptio humoris effuſi et ſtagnantis adiuuetur, diuque hac attentione vtatur.

§. 707.

Vulnus parti capillatae capitis inflictum, ſi tantum cutaneum eſt, pili circum circa abradantur, quo medi-

medicamenta topica apte applicari queant. Cum etiam ſaepe radices pilorum emortuae, vti peregrinum corpus conſiderandae, in vulnere relinquantur, eiusque perfectam conſolidationem impediant, his quoque caute euulſis, curatio tandem perficiatur. Maior denique attentio adhibenda eſt, ſi exigua ſaepe particula, a corpore laedente relicta, neruum quendam vehementer irritat, et praeter dolores ſpaſmos, vel particulares, vel vniuerſales, et per totum corpus propagatos, efficit.

§. 708.

Vexata quidem diſcutientia medicamenta poſtulant, §. 405. ſeqq. vbi vero ſanguis effuſus ſub cute, membrana epicrania vel pericranio, coiit, haec caluae inuolucra protinus incidenda ſunt, ne humor, ſtagnando corruptus et acer factus, ſubiectas partes arrodat: in quo ad os ipſum denudatum et interdum carie affectum quoque reſpiciendum, illudque ſuo modo contegendum eſt, §. 593. ſeqq. Magna vulnera, quae in integumentis ſuper caluam excurrunt, ſutura cruenta difficulter vniuntur, cum oſſis diquiſitio ſaepe repetenda ſit, et pericranium et membrana epicrania ſutura ſimul comprehendi nequeant.

CAPVT III.

DE FRACTVRA CRANII.

§ 709.

Poſtquam vero in laeſionibus capitis partes externae accurate diſquiſitae fuerunt, ad caluam quoque ſuo modo laeſam et fractam reſpiciendum eſt. Differentias laeſionum iam veteres accurate indica-

runt, cuius doctrinae egregium compendium PLATNERUS exhibuit *). Nos quidem haec ex differentia inſtrumenti laedentis et natura laeſionis breuiter explicabimus, omnium autem oſſium caluae laeſiones exemplis illuſtrabimus, et paulo poſt generalem conſiderationem pathologico-therapeuticam ex inſtituto noſtro trademus.

*) Inſtit. Chirurg. rat. §. 527 ad §. 531.

§. 710.

Caluae oſſium laeſio vel ex acie inſtrumenti laedentis, vel ex eius impetu diiudicatur, et diuerſa nomina accipit. Si telo vel enſe acuto, per integumenta omnia caluae penetrante, leuior laeſio in ſuperficie oſſis effecta eſt, ἕδρα, ſedes appellatur; interdum vulnere obliquo pars caluae plus minusque profunde tollitur, et ἀποσκεπαρνισμὸν ſiue dedolationem ſiſtit; ſi vero enſis vis per totam caluam vulnere quaſi inducto penetrat, ἐκκοπὴ vel διακοπὴ oritur, quarum illa recto, haec obliquo progreſſu conſpicua eſt.

§. 711.

Aliter vero impetu calua laeditur. Nam flexilis adhuc calua, vt infantum et puerorum, depreſſam foueam vt metallica vaſa admittit, ita, vt ſine rima acta locus extus concauus, intus conuexus ſit, quod genus φλάσιν vel θλάσιν dicunt. Si in adultis, quorum calua fragilior eſt, ſimilis depreſſio obſeruatur, lamina interdum externa integra, et interna vitrea fracta, aliquod contrafiſſurae genus exhibet; crebrius tamen vtraque caluae lamina ſimul frangitur.

§. 712.

Fragilitas autem oſſium caluae in rimis et fiſſuris varias laeſionum differentias admittit. Rima enim

enim interdum adeo exigua eſt, vt capillaceam et vix conſpicuam lineam referat, et ideo τριχισμὸς ſeu ῥογμὴ τριχώδης dicatur: interdum autem latera fiſſuræ a ſe inuicem recedunt, et porro variis, et vix ſatis definiendis modis, vel fragmenta exhibent, vel continuatas rimas efficiunt, variisque appellationibus occaſionem dederunt.

§. 713.

Inprimis vero ex diuerſo hoc rimarum tractu, variis in locis caluarum laeſarum obſeruato, controuerſiae de reſonitu, ſiue contrafiſſura, ortae ſunt. Caluae quidem fabrica ita comparata eſt, vt, vno latere percuſſione laeſo, in oppoſito latere rima vel prorſus non, vel certe rariſſime agatur. A laeſo tamen latere incipiens fiſſura ita continuatur, vt ad vicina, immo oppoſita oſſa et baſin caluae procedat, quae rimae in contrariam partem actae eodem modo, vt internae laminae fractura, §. 711, contrafiſſurae nomine veniunt.

§. 714.

Hac laeſionum differentia perpenſa, chirurgus ad diſquiſitionem earundem procedit, variis ſymptomatibus obortis monitus. Licet enim ictu capitis laeſus aeger ſaepe protinus concidat, obnubilatione ſenſuum afficiatur, ſanguinem per nares, os et aures excernat, vomitu commoueatur: nondum tamen ex his et aliis ſignis, §. 704. fractam eſſe caluam tuto concludi poteſt, cum a ſola vehementiori cerebri commotione ea eueniant, et in iunioribus praecipue poſt breue temporis ſpatium ceſſent: his tamen obortis, vlterior chirurgi attentio omnino requiritur.

§. 715.

Itaque, ſi haec indicia perdurant, ſi torpidus et plane ſoporoſus iacet aeger, ſi vrina et faex aluina

improuiſo dimittuntur, ſi nerui reſoluuntur, vel alternatim conuelluntur, ſi febricula, ab initio accedens, in progreſſu multum intenditur, de grauiori laeſione certi ſumus. Tenendum quidem eſt, haec ipſa ſymptomata laeſionem non ſemper protinus ſequi, ſed interdum poſt plures dies, nec ſemper ſimili ſerie accedere; attamen, quo magis aucta et pertinacia ſunt, eo maius periculum aegro imminet.

§. 716.

Si igitur vulnus externum ſimul coniunctum eſt, eius ambitus internus ſpecillo caute exploretur; ex eo enim ad fiſſuram haerente concludatur, glabram alias et politam caluae ſuperficiem rimam quandam, aut fiſſuram etiam egiſſe. Conſuetum vero et ſingularem interdum ſuturarum progreſſum bene diſcernat chirurgus laeſiones diſquirens. Vti vero in omni laeſione, ſpecillo exploranda, chirurgo attente verſandum eſt, §. 504. ſic potiſſimum in plagis, capiti illatis, eo reſpiciendum eſt, ne inſtrumentum, ſi forte fiſſura amplior fuerit, in cauum ipſum et ad cerebrum partesque teneriores ruditer impingat.

§. 717.

Si nullum vulnus externum eſt, chirurgus ex aegro, mentis adhuc compote, ſciſcitetur, an locum doloris indicare queat, vel, duro corpore dentibus ipſius interpoſito, maxillam inferiorem ad ſuperiorem vehementer adducere iubeat, vel eam ipſe apprimat, quo perſpiciat, num membrana epicrania et pericranio tenſis, locus doloris accuratiori ſenſu definiatur. Sin vero aeger ſoporoſus iacet, chirurgus attendat, an manum parti cuidam capitis crebrius admoueat, et ita locum laeſionis vtcunque indicet. Experientia quoque ſaepe confirmatum fuit, vno latere cerebri

bri laeſo, reſolutionem neruorum in oppoſita parte eueniſſe.

§. 718.

Hac ipſa eaque ſaepius repetita diſquiſitione chirurgus eo ducitur, vt inciſionem, capillis tamen antea abraſis, in illo loco tentare poſſit, quem aliqua ex ſignis petita ſuſpicione cognouit. Inter incidendum, niſi calua fortiter reſiſtat, ſuſpenſa manu verſandum eſt, ne mobilia oſſis fragmenta nimium deprimantur. Inciſio autem vel forma decuſſata crucis, vel alia fiat, prout chirurgo locus aptus deprehenditur, et limbi eminentes tunc protinus ſcalpello remoueantur, ne caro paulo poſt luxurians vlteriorem curandi rationem impediat.

§. 719.

Si, inciſione facta, nulla rima vel alia caluae laeſio detegitur, tentandum eſt, an emplaſtris, vel epithematibus emollientibus et diſcutientibus applicatis, alius locus inueniatur, qui mollitiem, tumorem, inaequalitatem, vel aliud ſignum prodat, quo tandem repetitis tentaminibus ad ſedem morbi deducatur. Inciſae integumentorum partes linamentis carptis ſiccis, vel ſpiritu vini imbutis, obtegantur et non nihil eleuentur, quo ſanguinis affluxus ſiſtatur; ligatura enim arteriae ſuper caluam excurrentis raro vel nunquam neceſſaria eſt.

§. 720.

Chirurgus, qui grauioribus ſymptomatibus ad diſquirendam laeſionem latentem impellitur, nec cutem timide incidat, nec, quod poſtmodum disquirendum erit, trepano cunctanter vtatur; cum enim aegri vita in ſummo verſetur periculo, id quod auxiliis his applicatis nunquam intendi, ſaepius imminui et tolli poteſt; cum porro, inpri-

mis poſt magnas cerebri commotiones, ſuppuratio in his partibus externis ſuccedens reſorptioni parcius effuſorum et ſtagnantium humorum faueat, ſumma haec remedia et atrocia forte viſa audacter tentanda eſſe, quilibet perſpiciet.

§. 721.

Rimula oſſis denudati exigua, quae cum oculorum aciem fugit, tum ſpecillo detegi nequit, atramento ſcriptorio oſſi inducto et deterſo e linea nigra relicta cognoſcitur. Rima patentior eiusque directio facilius conſpicitur, et ſimul oſſis alienati et pallidi facti veſtigia, nec non partes eius ſolutae diſtinguuntur. In omnibus vero his diſquiſitionibus ad aetatem aegri et figuram, craſſitiem et denſitatem caluae, chirurgus bene attendat.

§. 722.

Praecipue vero in illa diſquiſitione magna cura adhibenda eſt, ſi fiſſurae ad occiput, tempora et oſſis frontis inferiorem partem excurrunt, cum illae haud raro ad baſin caluae, ſinus frontales et orbitas tranſeant, ideoque magnum periculum declarent. Porro quoque patentiores rimae, illis in locis excurrentes, vbi ſinus durae matris ſubiacent, ob laeſionem horum vaſorum, et magnam inde metuendam haemorrhagiam ſumma cum circumſpectione diſquirendae ſunt.

§. 723.

Ratione laeſionis ipſius leuior eſt plaga, quae enſe acuto infligitur, peior, quae obtuſo telo fit, peſſima, quae globo plumbeo infertur. Cum enim in vulnere colliſo calua ſaepe in plures partes diffringatur, praeter commotionem cerebri coniunctam, alia quoque, vehementioris inprimis inflammationis ſymptomata occurrunt, haud raro latentes, et inde pro-

productae rimulae ad varias et abſconditas partes excurrunt, humoresque copioſius effunduntur.

§. 724.

Si ex rima exigua, vel certe non nimis diſtante, nec ſerum nec ſanguis propullulat, et de reliquo nulla chirurgum terrent ſymptomata, is ab vlteriori diſquiſitione deſiſtere poteſt, callus enim, vt in omni + forte
oſſe fracto, rimam replet. Varia tamen, quae aegrum iuuant auxilia, tunc non intermittantur; venaeſectio nimirum viribus congrua, clyſmata et purgantia antiphlogiſtica, nec non diſcutientia medicamenta externa protinus adhibeantur, quo reſorptio extrauaſati forte et latentis humoris melius eueniat, et ita impedimenta coalitionis oſſium arceantur.

§. 725.

Depreſſiones ſine fractura, quae in infantibus et pueris interdum obſeruantur, §. 711. ſi ſine ſymptomatibus eueniunt, curatione vix indigent: vel enim leuis depreſſio non nocitura remanet, vel cerebrum mole auctum flexilem tunc caluam iterum eleuat: ſi vero grauior depreſſio ſymptomata varia §. 714. coniuncta habet, optime calua, inciſione praemiſſa, a latere depreſſi loci modiolo exciditur, quo eleuatorium applicari poſſit. Quod genus auxilii quoniam in infantibus ſaepe locum non habet, tentandum omnino eſt, an emplaſtro tenaciter adhaerente, vel terebra, pars depreſſa non nihil eleuari poſſit. Quod ſi, ſymptomatibus non leuatis, ſuſpicio eſt, humorem extra vaſa miſſum ſtagnare, ille, calua aperta, remouendus eſt.

§. 726.

Caluae portio, enſe acuto ablata, ſi cum cute firmiter cohaeret, et ſana eſt, vt nutrimentum ſuſcipere poſſit, duraque meninx illaeſa deprehenditur,

iterum ad partem ſanam adduci poteſt, quo, vt fractura, denuo coaleſcat: alienata vero portio ſeparanda eſt, quo callo ſuccreſcente ſpatium repleatur *). Si effuſi humoris copia occurrit, aut dura mater vel cerebrum ipſum laeſa ſunt, tunc ea attendi debent, quae poſtea declarabimus.

*) In his ſaepe callus oſſeus non naſcitur, ſed tantum dura cicatrix integumentorum durae matri obducitur, ita, vt pulſum cerebri digito admoto percipere queamus, in his poſt ſanationem locus laeſus metallico operculo muniendus eſt.

§. 727.

In magna laeſione, et vbi variae oſſis fracti partes vacillant, eo attendendum eſt, vt, quidquid ſeparari poſſit, caute remoueatur, quo humor ſtagnans effluat. Integumentis itaque vel iam alienatis, vel facile corrumpendis remotis, vulnus, quantum fieri poteſt, depuretur, quo poſtea conſolidatio promptius ſuccedat. Si hunc finem, ob vulnus non ſatis patefactum, attingere non poſſet chirurgus, iſtud dilatetur, ſique neceſſe viſum fuerit, vna vel altera pars caluae modiolo exſcindatur, quo auxilia aptius applicari, et depuratio ac conſolidatio vulneris iuuari queat.

§. 728.

Si oſſis fracti atque depreſſi particulae ſpecillis aliisque inſtrumentis conſuetis leuari haud poſſunt, in magnis partibus, et quae adhuc reſiſtunt, terebra (*tirefond*) vel eleuatorium triploides, vel aliae vectis ſpecies, ab auctoribus inuentae, applicandae ſunt. Optimum tamen eſt, ſi eleuatoria ſimplicia commode ſubmitti, et manu chirurgi dirigi poſſunt: hoc vero auxilium ſaepe trepani applicationem in parte late-

laterali firma exigit, quo aptum huic ferramento applicando concedatur ſpatium.

§. 729.

Via his enchireſibus patentiore reddita, diſpiciendum primo eſt, an partes oſſeae acutae, aculeis ſuis partes ſenſiles ſubiectas pungentes, ſubſint, quae vel ſuſpenſa tantum manu, vel applicatis inſtrumentis, et, ſi opus eſt, dura matre inciſa ſeparentur. Poſtea de humore, qui effertur, ſeroſo, ſanguineo vel purulento, caute abſtergendo et educendo ſollicitus ſit chirurgus, quo preſſionis et irritationis cauſſa auferatur, et vulneris fundus purus reddatur.

§. 730.

Dura cerebri membrana, ſi illaeſa eſt, linteolo puro obtegatur, ſanguis coagulatus ſtagnans remoueatur, tenuis vero ſeroſus humor, qui ſponte non effluit, linteis carptis ſiccis blande imbibatur et abſtergatur. Hoc facto maſtichis puluerem nonnulli chirurgi inſpergunt. Si vero inflammatio cerebri membranas afficit, aqua vulneraria vel eſſentia ſuccini, ſine alcali parata, puluillis excipiantur et applicentur, praeterea etiam alia medicamenta, inflammationem diſcutientia, §. 81. ſeqq. non negligantur. Venaeſectio viribus aegri accommodata et hic ſuadenda eſt.

§. 731.

Si dura mater et partes cerebri ſubiectae alienatae ſunt, et vel pure moto ſoluuntur, vel ſuppuratio, nondum ex voto ſuccedens, iuuanda eſt, pinguia et aquoſa emollientia vt digerentia applicanda non ſunt; aquam potius vulnerariam, non nimis ſpirituoſam, tunc temporis adhibere conuenit, quippe quae putridae deſtructioni reſiſtit, nec puris geneſin impedit; ſi vero ſanies affluit, eſſentia ſuccini vel

 myrrhae

myrrhae ſine alcali putredinem ſerpentem magis arcet, neque tamen ſeparationem corrupti impedit.

§. 732.

Vulnera haec adhuc impura, et in vlceris naturam mutata, non tantum ob mollem cerebri fabricam, ſed tunc praecipue, cum emollientibus et pinguibus applicatis tractantur, frigidiorque aer admittitur, excreſcentias fungoſas mollis et putridae carnis propullulare faciunt, quarum incrementum ſaepe celerrimum eſt. Remotis igitur cauſſis, incrementum fungi puluillis ſiccis applicatis et compreſſione paulo validiore cohibetur. Quod ſi vero nimium increuerit, ſcalpello praeſcindatur, et haemorrhagia oborta alkohole vini applicato ſiſtatur. Impurum vtplurimum vlcus redditur, ſi exſiccantia et adurentia medicamenta fungo coercendo applicantur, §. 491. ſumma enim harum partium eſt teneritas. Faſcia vero ſemper paulo ſtrictior circumducenda eſt.

§. 733.

Interea temporis oſſis emortui particulae a ſana parte recedunt, earumque exfoliatio ſiue laminarum ſeparatio iuuatur, §. 594. Succreſcunt vero ex parte ſana carunculae, vel ſeries papillularum paulo denſiorum, quae, ne nimis laxae et fungoſae fiant, compreſſione blanda in incremento coercendae ſunt. Ex his ipſe callus ſuccreſcit, cauum oſſis ſpatium replet, et integumenta ſimul adducta cicatricem formant. Hae mutationes ex doctrinis de vulneribus et vlceribus ſuo modo patent, et ad oſſium quoque laeſiones, et depurationem ſubſequens incrementum facile referuntur.

§. 734.

In grauioribus vero his capitis vulneribus tractandis magna circumſpectione opus eſt, quia attente quidem, ſed aliqua feſtinatione omnes res diſquirendae ſunt. Aeris inprimis ratio ita habenda eſt, vt, ſi fieri poteſt, in conclaui ſaepe renouetur, et ſub ipſa deligatione frigidior, qui interdum prope feneſtras eſt, carbonibus accenſis temperetur, et impurus ſuffimigiis corrigatur: puluilli etiam, qui in varios vſus applicanda medicamenta ſuſcipiunt, et ipſae faſciae moderatum calorem habeant.

§. 735.

Et in ipſis linamentis, vel ſiccis vel medicamentis imbutis, et pannis comprimentibus applicandis curam adhibeat chirurgus, quo aliae partes moderatius comprimantur, aliae vero a compreſſione liberae ſeruentur, quatenus curationis neceſſitas vnum alterumque exigit. Faſciae capiti circumuoluendae, quae et maiorem et minorem apparatum requirunt, accurate adaptentur, ne pars aegra iis vel nimis comprimatur, vel illae facile ſoluantur.

§. 736.

Medicus praeterea non tantum ab initio de venaeſectione tempeſtiua, plus minus larga, et ad ſymptomata oborta accommodanda, cogitet, ſed et medicamenta apta, indicationibus therapeuticis conuenientia ſeligat. Praecipue autem victum non ſolum febri oboriundae, ſed etiam viribus aegri accommodet, et bona alimentorum et potulentorum genera ſuadeat, ne aeger nimia ſuccorum copia repleatur, nec abſtinentia nimia langueat, quae cuncta ex generali potiſſimum tractatione de inflammatione et ſuppuratione moderanda huc referantur.

CAPVT

CAPVT IV.

DE TREPANATIONE.

§. 737.

Modiolo caluae partem orbicularem exſcindendam eſſe, quo diſquiſitio et curatio oſſium fractorum melius inſtitui poſſit, paſſim iam monuimus. Trepanationem vulgo dicunt hanc operationem, quae, cum apparatum ferramentorum maxime compoſitum exigat, a nobis non luculenter deſcribi poterit, niſi de ſingulorum inſtrumentorum fabrica et applicatione quaedam proponamus *), et poſtea eandem breuiter deſcribamus.

*) Vid. PLATNERI Inſtit. Chirurg. rat. §. 562 et 563.

§. 738.

Ferramentum, quod trepanum dicunt, eſt terebra compoſita, ei ſimilis, qua ſcriniarii et alii opifices vtuntur, cuius pars media, quam capulum ſeu manubrium dicimus, arcuata eſt, in orbem ampliorem ducenda. Huic ſuperius capitulum additum eſt, ſub quo fixo reddito manubrium vertitur, in cuius inferiori parte, capitulo accurate oppoſita, vagina eſt, in quam ſucceſſiue in progreſſu operationis varia ferramenta, nunc deſcribenda, vel mediante cochlea, vel, quod melius eſt, ope elateris affiguntur et firmantur.

§. 739.

Haec ferramenta ſunt, 1) terebellum acutum, quo primum foramen in centrum loci incidendi efficitur. 2) Modiolus ſiue corona cylindrica, inferius paulo

paulo anguſtior, cuius ambitus inferior ſerratus eſt, qua orbiculus ex calua ſucceſſiue exſcindi poteſt. Maiores ſint alii, alii minores. 3) Clauus, qui mediante cochlea in centro cauae coronae firmari poteſt, et longius eminet, quo in foramen terebello factum immiſſus viam coronae ſerratae ab initio operationis accurate dirigat. 4) Clauis, ſiue ferramentum, quo clauus in mediam coronam infigitur et educitur.

§. 740.

Haec ferramenta ad compoſitionem trepani pertinent, alia autem ſunt acceſſoria. 1) Terebellum ſimplex, quo orbiculus oſſis, iam quodammodo vacillans, nec vlteriorem modioli applicationem admittens, excutitur. 2) Excutia ſcobem oſſeam extergens. 3) Penna anſerina, in ſpecilli formam exſciſſa, ad diſquirendum modioli progreſſum. 4) Scalpellus inciſorius retuſus, apice lenticulari munitus, quo ora oſſis aſpera abradi poſſint. 5) Inſtrumentum aliud apice lenticulari inſtructum, quo dura mater deprimi, et humor ſtagnans expelli poteſt, *μηνιγγόφυλαξ* ſiue membranae cuſtos dicitur. Praeterea ſcalpellus et lanceola, vectes variae magnitudinis, et penicilli, ad operationem, vt decet, abſoluendam, requiruntur.

§. 741.

Omni igitur hoc apparatu, et reliquo, ad deligandum apto, bene parato, inciſio integumentorum caluae vel ad ductum vulneris inflicti, vel in cutem illaeſam fiat, §. 718. et perioſteo abraſo, os ita denudetur, vt locus modiolo applicando conueniens eligatur, et reliqua, quae pro ratione laeſionis praeſtari poſſint, bene perpendantur, ne in ipſa operatione nimia haeſitatio chirurgum confundat.

§. 742.

§. 742.

Cum enim pars caluae ideo exſcindenda ſit, quo humor extrauaſatus effluere vel educi, et oſſis fragmenta, premendo vel pungendo irritantia, ſeparari poſſint, locus eligatur laeſioni vel fracturae proximus, ita, vt fracturae non vacillantis pars ſaepe ſimul in orbiculo exſcindendo comprehendatur. Vno enim et altero modiolo, vel, ſi opus eſt, pluribus applicandis eo reſpiciendum eſt, vt ſucceſſiue ad primariam laeſionem accedamus, nec aeger iam laeſus applicatis ferramentis magis laedatur. Os itaque, cui modiolus applicandus eſt, ſatis firmum ſit, ne cerebrum in operatione comprimatur, neue aculei nimis impingantur.

§. 743.

Euitari autem debent varia caluae loca, quibus modiolus vix tuto applicari poteſt, qualia ſunt in decurſu maiorum vaſorum ſanguiferorum, ex quibus haemorrhagia nimia timenda eſt, ad arteriam durae matris praecipuam, quae ſub angulo anteriori et inferiori oſſis bregmatis excurrit; ad ſinus praeterea durae matris, ſub oſſe frontis medio et ſutura ſagittali ad occiput vsque deductos, et ad laterales continuatos; in locis, vbi muſculi magni diſcindendi ſunt, vt in temporali et ad occiput; in oſſe vel nimis tenui, vt in parte ſquamoſa oſſis temporum, vel nimis craſſo et inaequali, vt in occipite. Haec omnia tamen peculiari laeſionis conſideratione definienda ſunt: in grauioribus enim laeſionibus, et vbi ſymptomata vrgent, et loca minus conſueta cum proſpero rerum euentu perforata fuiſſe, experientia loquitur.

§. 744.

Si ſymptomata non adeo vrgent, inciſio vno die praeſtetur, altero poſt ſanguinis fluxum, ex vaſis cutaneis

neis plane cohibitum, modiolus ipſe applicetur: ſi autem feſtinatione opus eſt, vna eademque hora et inciſio et modioli applicatio fieri poteſt. Eligatur vero conclaue, impuro aere non repletum, locus lucidus feneſtrae oppoſitus, cuius tamen rimae, inprimis ſi tempore hyberno operatio inſtituitur, aeris tranſitum non permittunt. Aeger ipſe vel in lectulo decumbat, vel in ſedili a miniſtris ſuſtineatur, capite potiſſimum in ſitu operationi apto firmato.

§. 745.

Chirurgus, trepanum dirigens, capitulum eius vel volae ſiniſtrae manus, vel fronti fortiter apprimat, et ita terebram vel modiolum ſuper os perforandum infigat, ipſe vero ſitum corporis eligat, in quo manubrium arcuatum prompte circumagere queat, ne motus ferramenti perforantis nimio preſſu cohibeatur, nec operatio leuiori ſtrictione retardetur. Terebello acuto, §. 739. 1. primum centrum orbiculi exſcindendi denotet, ibique exiguum et leue aliquod efficiat foramen, in quod modioli ſeu coronae ſerratae clauum, §. 739. 2. 3. immittat, ipſoque deinde modiolo, ad lineam circiter in caluam acto, clauum remoueat, trepanationemque poſtea continuet.

§. 746.

In initio operationis chirurgus modiolum paululum in aduerſam partem agit, poſtea conſtanti et aequali circumactione pergit, ſcobem interdum penicillo vel excutia abſtergit, atque, ſi illa rubro colore tincta apparet, ad diploen ſe deueniſſe intelligit. In vitrea igitur caluae lamina vlterius exſcindenda caute verſetur, et penna acuta, ſpecilli in modum ſucciſa, §. 740. 3. crebrius diſquirat, vtrum orbiculus circumcirca aequaliter exſciſſus ſit, an in vna vel altera parte haereat: ſi enim ille quodammodo

vacil-

vacillat, terebra, §. 740. 1. in foramen medium adacta, vel forcipe hunc in vſum a SHARPIO inuento *) educatur.

*) Vid. PLATNERI Inſtit. Chirurg. rat. Tab. IV. fig. 12.

§. 747.

Orbiculo ſic educto, ſpinae, in margine foraminis caluae inferiori hinc inde eminentes, ſcalpello exſciſorio §. 740. 4. circumducto, ſuſpenſa manu remoueantur, poſtea humor extrauaſatus, niſi libere effluat, dura matre per inſtrumentum lenticulare §. 740. 5. leniter preſſa, eliciatur: qui, ſi ſub dura matre haeret, hac ſcalpello ancipite inciſa, leni preſſione educatur, vel potius linamentis carptis vel penicillis exſtergatur. Denique vacillantes quoque oſſis particulae eximantur, et quidquid porro ex vulnere remouendum eſt, remoueatur.

§. 748.

Cum vero in grauiori laeſione vel partes oſſis fracti, in ipſam cerebri ſubſtantiam magis impactae ſint, vel humor copioſus exſtergi debeat, non vnus et alter, ſed plures interdum orbiculi exſcindendi ſunt, margo vnius marginem alterius ſemper ſimul comprehendat, quo apices, in interuallis eminentes, cultro exſciſorio exſcindi queant; vix enim tutum eſt, ſcalpro mallei vi adacto, vel ſerra parua intercapedines denſiores remouere.

§. 749.

Dura mater integra linteolo, cui filum affixum eſt, contegatur, ſpatium poſtea linteis carptis apte in orbiculos contortis repleatur, quo humor ſugi poſſit; vel lamina plumbea, foraminibus pertuſa, quae humori exitum permittit, applicetur. Membrana

brana vero dilacerata aut inflammata, vel cerebro ipſo laeſo, ideoque vel ſuppuratione vrgente, vel vlcere imminente, in hac et reliqua curatione ad ea reſpiciamus, quae §. 730. ſeqq. propoſita fuerunt.

CAPVT V.

DE VVLNERIBVS FACIEI.

§. 750.

Faciei vulnera vix peculiarem mererentur tractationem, niſi inaequalis ſuperficies, vaſa et nerui, in ea diſtributi, porro muſculi teneriores et cartilagines, hinc inde intercurrentes, ſimul diſcinderentur, quam ob rem et foedae cicatrices relinquuntur, et non raro tarde procedit vulnerum conſolidatio: in vulneribus genarum quoque ad ductum ſaliualem ſtenonianum reſpiciendum eſt, quae cuncta peculiarem chirurgi requirunt attentionem.

§. 751.

Vulnera, quae longius excurrunt, aut quorum labia glutinantibus emplaſtris non ſatis contineri poſſunt, poſtulant ſuturam cruentam, quae accommodate ad praecipuorum muſculorum directionem fieri debet. De labiis ſaepius eadem valent, quae de labio leporino paulo poſt dicturi ſumus. Naſi et auricularum vulnera ita ſunt tractanda, vt cartilaginibus parcatur, quae ſutura non comprehendi poſſunt. Laeſio arteriae et nerui ex iis diiudicatur, quae de haemorrhagia vulnerum, §. 369. ſeqq. et de dolore ac neruorum diſtenſione §. 386. ſeqq. propoſuimus.

§. 752.

Cartilago laeſa, aere admiſſo nondum alienata, nec valide compreſſa, in recenti vulnere cum cute ſana coaleſcit; vehementius autem laeſae eius partes ſenſim paulatimque ſecedunt, quae deſquamatio, exfoliationi oſſium ſimilis, §. 590. etſi tardius fit, patienter tamen expectanda eſt. Medicamenta pinguia digerentia huiusmodi vulneribus non applicanda ſunt, balſamica melius conueniunt, ſiquidem, quoniam conſolidationem vulnerum accelerant, quantum fieri poteſt, ad cartilaginem laeſam tantum applicentur.

§. 753.

In amplis, a mala ad genam productis vulneribus, interdum ductus ſaliualis ſtenonianus laeditur, ex quo multa ſaliua profluit, quae, quoniam puluillis et pannis appoſitis non ſatis ſugitur, conſolidationem vulneris maxime impedit. Haec et alia faciei vulnera motum maxillae in maſticatione non patiuntur, ſed quietem et abſtinentiam a cibis durioribus poſtulant. Cum etiam laeſus ductus non coaleſcat, interna genarum membrana ſubula perforanda eſt, quo, filo ſerico contorto immiſſo, orificium nouum calloſum fiat, per quod via ſaliuae ad os dirigitur, quo facto vulnus externum demum cicatrice clauditur.

CAPVT

CAPVT VI.

DE
LABIO LEPORINO.

§. 754.

Singularis quaedam deformitas vtplurimum a natiuitate, in labio potiſſimum ſuperiore, animaduertitur, quam, ob aliquam ſimilitudinem cum labio ſuperiori leporum fiſſo, labium leporinum dicunt. Hoc vel ſimplex eſt, in medio fiſſum, ſine laeſione palati, vel duplex, vtrinque fiſſum, cum papilla carnea intermedia, et tunc vtplurimum palatum oſſeum quoque diuiſum eſt. Simplex frequentius eſt, et facilius, quam duplex, curatur, fiſſo enim palato ipſo nulla curatio locum habet.

§. 755.

Quod autem eiusmodi infantes ſugere non poſſunt, ideoque difficulter alimentis vtuntur, variis artibus iuuandi ſunt, cum operatio ipſa non niſi tertio vel quarto anno inſtitui poſſit. Calloſi tunc margines labii fiſſi vtrinque forfice praeſcinduntur, ea potiſſimum attentione adhibita, vt ſuprema pars, cum gingiuis cohaerens, inciſione ſimul attingatur. Si inciſorius dens nimis eminet et conſolidationem impedit, euellatur: diſtantia enim latera vulneris tunc demum ad ſe inuicem adduci, et acubus ſuo modo vniri poſſunt.

§. 756.

Inter operationem caput a miniſtro erectum et firmum teneatur, ne ſanguis, qui ab initio, ſed ſine metu nimiae haemorrhagiae, fluit, in os deſcendens, tuſſim excitet. Miniſter, qui caput tenet, cutim etiam genarum validius antrorſum premat, quo vul-

nus vniri queat. Haec preſſio vel vt plurimum ipſa ſufficit, vel faſcia iuuanda eſt, nec opus ideo videtur, cutem genarum vtrinque inciſione lunata laedere, ne deformitas efficiatur, et noua quoque vulnera moleſtiam prioris augeant.

§. 757.

Acus ferreae, vel etiam aureae, poſtea digitorum, vel inſtrumenti ope, transuerſim per vtrumque cruentati labii marginem transiiciuntur, ſuperior primum, paulo poſt inferior, tertia intermedia vix requiritur. In quibus diſponendis videndum eſt, vt cicatrix, quantum fieri poſſit, aequalis fiat, fila poſtmodum, cera obducta, ſatis valida, extremitatibus circumuoluantur, et ita margines vulneris vtrinque adducantur, quo coalitus euenire queat. Inter gingiuas et labia, nec non inter acus, quarum fines, ſi nimis eminent, forcipe praeſcindendi ſunt, linamenta crebrius reponantur, et curatio vt vulneris recentis efficiatur.

§. 758.

Si tunc faſcia ita apponitur, vt genis adductis ſutum labium non tendatur, ſed quieſcat, intra aliquot dierum ſpatium coaleſcit, et vt acus vacillantes ſine magna vi educuntur, ita fila quoque conuoluta ſua ſponte cadunt. Eo tamen reſpiciendum eſt, vt faſciarum apparatus, atque ex iis funda ſic dicta, quam eligere ſolent, eo vsque applicetur, donec cicatrix ſatis firma ſit *).

*) Succincta tractatio de indole et operatione labii leporini duplicis legitur in Memoires de l'acad. roy. de Chirurgie a Paris, Tom. I. p. 605. Auctore Cl. DE LA FAYE.

CAPVT

CAPVT VII.

DE MORBIS OCVLORVM.

§. 759.

Ardua et ampliſſima eſt haec doctrina, cum maxime compoſitum viſus organum multis modis laedi queat. Difficultas etiam in iis cognoſcendis et diiudicandis non hinc tantum oritur, quod laeſionum differentiae nominibus, ab auctoribus ſaepe vagis nec accurate definitis, indicantur, ſed in auxiliis quoque declarandis et applicandis offertur, et multo maior redditur, quod tenera variaque partium fabrica et deſcriptiones, et multo magis operationes ſuſcipiendas ambiguas reddit. In ſuccincta igitur tractatione, quam nos tradere poſſumus, praecipuos tantum oculorum morbos enarrabimus, atque ſi non omnia, vt decet, abſoluere queamus, Auctores, qui vlteriorem explicationem dederunt, paſſim citabimus.

SECTIO I.

DE OPHTHALMIA IN GENERE.

§. 760.

De ophthalmia in praxi clinica declaranda (m. c. §. 713. ſeqq.) iam quidem egimus, noſtrum tamen erit, in chirurgica hac tractatione nonnulla repetere, alia ſubiungere, et ita hanc doctrinam, in praxi medica adeo neceſſariam, quantum fieri poteſt, abſoluere. Ophthalmia autem in genere eſt

morbus oculorum, vel palpebras, vel tunicas globi, vel vtraque ſimul pruritu, dolore, inflammatione, affluxu humorum ſeroſorum, et vlceribus afficiens. Ex qua deſcriptione ſatis apparet, diuerſiſſimos omnino morbos vna tractatione comprehendi debere.

§. 761.

Differentiae ophthalmiae non ſatis declarantur diſtinctione in externam et internam, ſiccam et humidam, acutam et chronicam, ſcorbuticam, veneream, epidemicam, periodicam, habitualem, metaſtaticam, cet. nec veterum denominationes, quas PLATNERUS *) ſtudioſe collegit, omnes huius morbi ſpecies accurate definitas ſiſtunt; neque tandem quatuordecim ſpecies, quas ST. YVES **) recenſuit, normam tractationis noſtrae exhibent: natura laeſionis et partium laeſarum differentiae ſimul attendi debent, ſi veram earundem indolem aſſequi velimus.

*) vid. Inſtit. Chirurg. rat. a §. 276 ad §. 281.

**) Nouveau traité des maladies des yeux. Amſtelod. 1736. 8. Part. III. cap. IV. a pag. 134 ad 143.

§. 762.

Ophthalmia noſtro quidem iudicio optime diſtinguitur, ſi ad inflammatoriam, ſeroſam, et vlceroſam ſigillatim reſpiciamus, varios gradus non ad ſpecies, ſed ad varietates, referamus, et in omnibus non tantum ſymptomata, ſed vnius etiam ophthalmiae in alteram mutationem perpendamus. Negandum quidem non eſt, has a nobis diſtinctas ſpecies in vno ſaepe morbo indiuiduali coniunctas eſſe, vel ſibi inuicem ſuccedere; in cauſſis tamen et ſymptoma-

ptomatibus rite ponderandis, diagnoſi, prognoſi, medendique methodo rite proponendis, huic diſtinctioni apte inhaerere, eamque ad praxin transferre poterimus.

§. 763.

Sub coniunctiua oculi membrana, interdum ſine dolore, et acris humoris affluxu, ſanguis in contextum cellularem effunditur, et ecchymoſin oculi ſiſtit hinc album oculi ex parte valde rubet, effuſus vero humor poſt aliquot dies ſponte diſſipatur. Ophthalmiae autem inflammatoriae primus gradus, quem taraxin dicunt, obſeruatur, ſi ramuli arterioſi, in ſtatu ſano ſanguinem purpureum non admittentes, rubent, cum pruritu et dolore. Lucis tamen tunc temporis non adeo impatiens eſt oculus, interdum quodammodo ſiccеſcit, interdum acris lacryma effluit.

§. 764.

Nonnunquam interna palpebrarum ſuperficies, membrana coniunctiua reflexa inueſtita, cum dolore tumet et rubet, inflammatione vix ad bulbi ſuperficiem deducta: licet vero nonnunquam mitius et chronicum ſit malum, interdum tamen lucem aegre ferunt oculi. Vehementior autem redditur ophthalmia, ſi turgida coniunctiuae vaſa ad limites pellucidae corneae vsque extenduntur, vel ſaepius ſupra ipſam deferuntur, quae chemoſis dicitur, oculus lucis valde impatiens redditur, et reliqua ſymptomata cum dolore capitis, et febre plus minus inſigni, magnam moleſtiam adferunt.

§. 765.

Grauiſſima tamen ophthalmia inflammatoria, interna ſcilicet oculi phlegmone, oritur vel ab exter-

nae inflammationis peruerſa curatione, et ad internas partes conuerſione, vel ex vehementi impetu capiti illato, vel ex metaſtaſi materiae acris, qua choroidea, et connexae membranae oculi, interna ſanguinis ſtaſi inflammatoria afficiuntur, quae quidem difficillima eſt, et ſymptomata, §. 764. recenſita, quam maxime auget.

§. 766.

Hi morbi acuti ſunt, iis tamen quodammodo diſcuſſis, etiam chronica mala relinquuntur. Interdum ex laxitate relicta venae varicoſae, ſanguine turgentes, ſine acerbo dolore remanent; interdum tumor et rubor palpebrarum et coniunctiuae bulbi, ex ſtagnante, nec ſatis diſcuſſo humore, ſubſiſtunt, et quidem vel cum aliqua ſiccitate oculi, vel cum affluxu continuato acris humoris, ideoque vel aſpera fit coniunctiuae ſuperficies, vel vlcuſcula, acri humorum affluxu ſordida, ſequuntur. Ex glandula etiam lacrymali, ſcirrhoſa facta, praeter alia inde metuenda mala ſaepius ſiccitas, oculo moleſta, et palpebrarum difficilior motus inducitur, cum ſordes ex oculo elui nequeant.

§. 767.

Irritatio oculi, ex acri vapore et fumo admiſſo, vberiorem lacrymarum affluxum efficit, quo facto acer humor lenem inflammationem excitat, in hominibus de reliquo ſanis facile diſcutiendam: ſed in impuris corporibus, inprimis cacochymia grauiori, v. c. ſcorbutica vel venerea affectis, eadem de cauſſa decubitus chronici, ſeroſi, pituitoſi, cum tumore inflammatorio et exulceratione plus minus inſigni efficiuntur, quo nobiliſſimum viſus organon vehementer laeditur.

§. 768.

§. 768.

Niſi enim omnes hae ophthalmiae ſpecies apta medendi ratione tollantur, chronica tandem et vlcerosa inducitur: cum, eroſis palpebrarum limbis, margini corneae, et aliis oculi externi partibus, vlcera plus minus profunda remaneant, quae irritatione continua lentam inflammationem et humoris acrioris perennem affluxum efficiunt, ideoque lippitudinem ſic dictam chronicam inducunt, quae quoniam varias oculi partes varie afficit, omnia vitia, hactenus recenſita, ſaepius coniuncta habet.

§. 769.

Cauſſae vero occaſionales, quae vel vehementia ſua in omnibus, vel maxime quidem in cacochymicis corporibus, ophthalmiam inducunt, aut ab externis laeſionibus, aut ab interna humorum dyſcraſia pendent, ideoque ad hanc normam a nobis diſquiri poterunt. Omnino autem tenendum eſt, peruerſas medendi rationes, et vſum medicamentorum, vel indicationi contrariorum, vel male praeparatorum, praecipuas ophthalmiae ingraueſcentis cauſſas eſſe; prioribus itaque hic breuiter enarratis, poſteriores in ipſa medendi methodo paſſim indicabimus.

§. 770.

Tempeſtates variantes, frigoris et caloris effectus, non raro epidemicas ophthalmias efficiunt, quae, cum ſeroſus affluxus caput praecipue afficiat, vere catarrhales dici poſſunt. Corpuſcula inprimis rigida, et acria, caſu illapſa, vel fumus et omnis acer vapor idem efficiunt. Vti vero ex his pruritus oritur et ardor, ſic frictiones et contrectationes continuae aegrorum ſaepe oculum magis laedunt. Contuſiones quoque validae, ignis flamma admota, vulnera vel caſu, vel

operatiouibus chirurgicis illata, inter cauſſas, quae inflammationem mouent et intendunt, quoque referri merentur.

§. 771.

Internae vero cauſſae nunc recenſitis externis grauiores ſunt. Si v. c. ex plagis capiti inflictis, vel oſſa caluae ad orbitas vsque franguntur, et membranae connexae tenduntur, vel alio modo humores intus effuſi ſtagnando corrumpuntur, et teneram oculi fabricam irritant, ſi tandem in febribus acutis, vel chronicis morbis, v. c. variolis et ſcabie, acris humoris metaſtaſis ad oculorum partes externas internasque defertur, peſſimae ophthalmiae inducuntur.

§. 772.

Diagnoſis variae ophthalmiae ex iis, quae hactenus, §. 762. ſeqq. de differentiis et cauſſis propoſuimus, abunde patet. Non tantum vero ad externa haec ſigna et cauſſas efficientes reſpiciendum eſt, ſed ſymptomatum plus minus grauium ortus, progreſſus et mutationes bene ponderandae ſunt, quae et nunc in prognoſi formanda a nobis repetenda erunt.

§. 773.

Leuior oculi inflammatio §. 763. periculo caret, dummodo apta ei diſcutiendae adhibeantur remedia: ſi vero tumor grauior palpebras occupat, ſi lucis ſumma impatientia coniuncta eſt, in curatione maior attentio adhiberi debet, ne chronicus decubitus ad ſenſiles oculorum partes fiat. Venae enim varicoſae relictae, ſiceitas continua oculi, eiusque aſperitas, affluxus viſcidi humoris cum ſorditie, §. 766. difficillime corriguntur.

§. 774.

Chemoſis, §. 764. ſeu grauiſſima membranae coniunctiuae inflammatio, ad corneae confinia, vel adeo

adeo ſuper ipſam extenſa, difficillimae curationis eſt, cum laxitas, in vaſis oculi inducta, et inſignis ſanguinis decubitus plenariam eius diſcuſſionem, ſine qua tamen nulla vera curatio locum habet, raro permittat, inprimis cum continua irritatio effectus medicamentorum impediat. Febris moderata ſuperueniens diſcuſſioni fauet, nimia autem morbum intendit. Excretiones criticae variae in vrina et ſudore reſolutionem obſtructi iuuant; cum tamen cornea facile non nihil opaca reddatur, ſaepius aliqua viſus debilitas remanet.

§. 775.

Si interna oculi vaſa in choroidea et membranis annexis inflammantur, 765. reſolutio quoque difficillima eſt, cum dolor et continua fibrarum ſtrictura eandem impediat; diſcuſſione etiam aliqua facta, partium inertia relinquitur, quae variis oculi interni vitiis lente generandis, v. c. ſuffuſioni et glaucomati, occaſionem praebet. Si ſuppuratio ſuccedit, oculus deſtruitur. In chemoſi ſaepius, ſed praeſertim in interna phlegmone, cephalaea pertinax coniuncta peſſimum ſignum eſt: aut enim hypopium ſequitur, aut certe metus eſt, ne oculus ſemper debili viſu laboret, vel lumen prorſus amittat.

§. 776.

Irritatio a cauſſa externa illata, ea ceſſante, protinus remittit, et lacryma copioſius affluens oculum tantum lauat et abſtergit: ſi vero ab interna humorum deprauatione, et grauiori cacochymia, §. 767. morboſa materia in oculum conuertitur, non niſi illa correcta, ophthalmiae curatio ſuſcipienda eſt. Cum autem oculi inflammatio, ex his cauſſis nata, tenerioribus partibus valde inhaereat, neque raro vlcera

indu-

ducat, aut tardam et difficilem, aut ſaepe nullam curationem admittit; hinc lippitudo chronica remanet.

§. 777.

Oculus autem, morbo affectus, a clarioris luminis acceſſu defendendus eſt. Faſcia, in hunc vſum applicanda, palpebras non comprimat, ſed fronti circumducta, vnico vel duplici operculo mobili affixo, vnum vel ambos oculos obtegat, quo radii lucis in negotiis conſuetis ſuſcipiendis temperentur. Quod ſi vero maxima luminis impatientia ſit, aeger durante curatione in conclaui obſcuro detinendus eſt. In grauiori vnius oculi affectu alter ſimul operiendus eſt, cum magnus ſit conſenſus oculorum, in applicandis variis medicamentis et auxiliis quoque attendendus.

§. 778.

Orta leuiori ophthalmia ex irritatione quadam, cauſſa protinus remoueatur, et paulo poſt collyrio ex aqua foeniculi, additis ad tres quatuorue vncias drachma vna vel duabus cinerum zinci, oculus eluatur, quo robur vaſis diſtentis reddatur. Alii alias aquas, euphraſiae, verbenae, cet. eligunt, et vitriolum album, tutiam lotam, vel ſaccharum ſaturni adiiciunt. Cum vero ſiccitas nimia roborantia haec remedia haud admittit, tum lacte calido, cui pauxillum croci additum fuit, vel ſanguine, ex penna pulli columbini recens expreſſo, oculus foueatur.

§. 779.

Corpuſculum peregrinum irritans, inter palpebras haerens, his blande inuerſis remouendum eſt; quod ſi ob inſignem ab irritatione ſpaſmum praeſtari nequeat, fotus lactis vel alius decocti emollientis applicandus eſt, quo, partibus quodammodo relaxatis, et dolore remittente, corpus peregrinum

edu-

educatur. In hos vſus vaſculum aliquod inuentum eſt, quo mediante fotus melius applicari poſſunt *). Interdum ſufficit cremorem ſeminum cydoniorum cum plumula applicare, et bulbum oculi leniter verſus angulum oculi internum premere. Semina hormini inter palpebras quoque immittere, conuenit; quae mucilagine ſua corpuſcula peregrina inuoluunt; et ita extractionem iuuant; hoc educto, roborantia vel demulcentia remedia §. 778. adhibeantur.

*) Baſſin oculaire GARENGEOT Traité des inſtrumens de Chirurgie Tom. I. Cap. XIV. Art. IV. p. 432.

§. 780.

Si aeris intemperies epidemicas et ſaepe leuiores ophthalmias excitat, §. 770. externa quidem remedia negligenda non ſunt; cum autem aliqua irritatio, ex medicamentis applicatis, etiamſi leniora illa ſint, oriunda, humores ad has partes magis alliciat, eo praecipue reſpiciendum eſt, vt leni ſudore, vel aliis excretionibus, ex voto ſuccedentibus atque auctis, acris materia ab oculis auertatur, quo facto demum externis remediis indicatis vaſa relaxata roboranda ſunt.

§. 781.

Inflammatio, a leui irritatione externa in oculo orta, venaeſectionem non exigit, in grauiori autem inflammatione, in plethoricis aegris praecipue, ſi illa poſt vehementem capitis vel oculi percuſſionem metuenda eſt, quo decubitus inflammatorius ab oculo arceatur, ſtatim ſub initium morbi venaeſectio, eaque repetita, ſuadenda eſt. Etiam primae viae vel clyſmate, vel laxante antiphlogiſtico, a ſaburra

burra inhaerente liberentur; oculo autem protinus refrigerantia et roborantia applicentur.

§. 782.

Refrigerando et roborando agit albumen ouorum, cum aqua roſarum, mediante ſpatula vel alio inſtrumento, agitatum, quo ſpuma ſpiſſa fiat, linteis excipienda, et oculo applicanda, ſaepiusque renouanda, quibus adiici poteſt ſaccharum ſaturni, vel vitriolum album. Cum autem frigida humores nimis cogant, in grauiori malo, praeſertim vbi humor iam quodammodo coiit, diſcutientia medicamenta, v. c. herba hyſſopi, ſcordii, rutae, ſemen foeniculi, vel ſimilis plantae, aut cum vino rubro, aut aqua cocta, in epithematibus adhibeantur.

§. 783.

Spirituoſa medicamenta, vt diſcutientia, quoniam fibras ſiccant et fluida cogunt, prorſus aliena ſunt. Commendant nonnulli aquam vulnerariam, aquae foeniculi mixtam, vel ſpiritum vini, multa aqua dilutum: cum autem humida ſaepe noceant, in omni horum medicamentorum applicatione vapor calidus, leni aromatico ſtimulo praeditus, qui oculum blande afficit, praeſtantiſſimam diſcutiendi vim habet. Si tunc ardor et dolor oculi remittant, medicamenta vere prodeſſe perſpicimus.

§. 784.

Contra ea, ſi cum inſigni pruritu durities et ſiccitas in oculo obſeruatur, diſcutientibus emollientia adiicienda ſunt, quae dolores leniunt: cauendum tamen eſt, ne continuato emollientium vſu partes nimis relaxes, et ſuppurationem in principio morbi praeter neceſſitatem acceleres. Cataplasmata ex aequalibus partibus micae panis albi et ſeminis foeniculi, cum vitello ouorum et pauxillo

lactis

lactis parata, quibus et crocus adiici poteſt, vel pulpa pomi putridi aut cocti, cum vel ſine camphora, inflammatione nondum confirmata, conueniunt.

§. 785.

Grauiſſima inflammatio externa, ſiue chemoſis, §. 764. vel etiam internas oculi partes afficiens, §. 765. ſimilia quidem exigit medicamenta externa, attamen nec alia negligenda ſunt. Venae iugularis ſectio, §. 445. vel arteriae ad tempora excurrentis diſciſſio, §. 455. ſeq. prae reliquis ad impetum ſanguinis refrenandum faciunt. Purgantia etiam, et quidem antiphlogiſtica, valentiora propinanda ſunt; reliqua vero purgantia nimis ſtimulantia, draſtica et reſinoſa, cum inflammationem intendant, aliena iudicantur. Febris quoque ratio habenda eſt, quae non niſi moderata inflammationi reſoluendae fauet.

§. 786.

Si inflammatio non diſcutitur, ſed pus mouetur, in oculo externo vtplurimum inſignis et chronica lippitudo relinquitur. Pure vero, in interno oculo collecto, hypopium oritur, atque oculo rupto lumen prorſus amittitur. Quo igitur funeſtus ille euentus auertatur, omnia, quae iam recenſuimus, cito in auxilium vocanda ſunt remedia. Cum chronica lippitudo acris et viſcidi humoris affluxum, et ideo nouam ſemper in partibus irritationem et inflammationem inducit, denuo praemiſſis iis, quae humores corrigunt, ſcarifatio oculorum tentanda eſt, quo acer humor, qui etiam in internis ~~partibus~~ oculi haeret, in palpebras conuertatur, et ſuppuratione excitata remoueatur.

§. 787.

Ξύσις vero haec, ſiue ſcarifatio oculorum, faſciculis ariſtarum inuerſarum, ex glumis ſpicae ſecalinae decer-

decerptarum, perficitur, quarum nimirum denticulis coniunctiua palpebrarum, non ſine magno dolore, dilaceratur. Hoc facto, ſanguis effluit ſpiſſus et corruptus, qui ſpongia, aqua tepida imbuta, abſtergitur. Sed omnino videndum eſt, ne margines palpebrarum nimis ſaucientur, et ita glandulis et tarſis ibi poſitis vis inferatur. Sanguine ea ratione aliquoties educto, ſi humores vniuerſi correcti ſunt, blanda ſuppuratio ſuccedit, quae per aliquot tempus ſuſtinenda, paulo poſt vero adiectis diſcutientibus temperanda eſt. In fine vnguentum, ex adipe recenti et cineribus zinci paratum, applicandum eſt.

§. 788.

Si, inflammatione diſcuſſa, venae varicoſae in coniunctiua remanent, quae humorum circulum impediunt, ſaepiusque vlcera parua fouent; illae exſtirpandae ſunt. Hamulo nempe, vel cuſpide acus, ex contextu celluloſo eleuantur, et ſcalpello paruo praeſcinduntur, quam operationem oculi phlebotomiam nonnulli dicunt *). Poſtquam ſtagnans ſanguis effluxit, diſcutientibus non nihil emollientibus, v. c. pomo cocto, vel cataplaſmate, §. 784. oculus foueri debet. Interdum praeſtat, aquis ophthalmicis aliquot grana lapidis diuini adiicere **), qui ſiccat et roborat.

*) Lanceola vaſa oculi, vt in phlebotomia fieri ſolet, incidere, ſuperuacaneum eſt, neque haec operatio ſcarifationi, quae cum irritatione coniuncta eſſe debet, aequiparari poteſt.

**) Componitur lapis diuinus ex partibus aequalibus nitri, vitrioli et aluminis, in vaſe vitreo liquefactis, adiecto pauxillo camphorae.

§. 789.

§. 789.

Variis his medendi rationibus in oculo tentatis, ſaepe eius ſiccitas remanet, quae ſi a glandulae lacrymalis ſcirrho oritur, §. 766. triſtiſſima eſt et medelam haud admittit. In leuiori cauſſa epithemata emollientia, ex ſummitatibus meliloti, floribus verbaſci et liliorum alborum, aliisque emollientibus plantis parata, adiectis nonnunquam diſcutientibus, v. c. agrimonia et betonica, affluxum aequalem lacrymarum et vnguinis ſebacei ex glandulis palpebrarum reſtituunt. Eo autem reſpiciendum eſt, quo corpus diluentibus et attenuantibus remediis, in victu et medicamentis interne datis, bonis humoribus repleatur.

§. 790.

Copioſior ſeri affluxus ad oculum per deriuantia et lenia euacuantia coercetur, §. 780. praeſertim ſi collyria varia, non nihil roborantia, §. 778. ſimul adhibeantur. Nimium autem ſeri affluentis impetum magis deriuant veſicatoria nuchae applicata, quorum tamen effectus per aliquod temporis ſpatium ſuſtinendus eſt §. 520. Sinapiſmi, ſimili de cauſſa applicati, vix ſufficiunt. Setacea §. 527. ſeq. ſimilem et maiorem opem praeſtant.

§. 791.

Quod ſi vero mala quaedam materia, ſcabioſa, venerea, vel alia in corpore ſubſiſtens, ad oculum quoque conuerſa ſit, hic efficaciori medicina non afficiendus eſt; ſufficit eum blande abſtergere et fouere: interna autem curatio decoctis ſanguinem purificantibus et medicamentis antimonialibus et mercurialibus efficiatur, obſeruato inſuper ſtrictiſſimo diaetae regimine, quo facto demum ea, quae in oculo efficienda ſunt, ſubiungantur.

§. 792.

Nonnunquam vero, vel cacochymia hac diſcuſſa, vel ad alia loca deriuata, humor acris ſedem in oculo electam non prorſus relinquit; inde in auxilium vocanda ſunt remedia, ſaepe commendata, veſicatoria et ſetacea, §. 790. quorum continuato vſu, inprimis ſi diaeta exquiſitiſſima iungatur, nec oculus in fabrica vaſculoſa nimis occalluerit, morbus prorſus tollitur. Cum etiam rebus ſic ſe habentibus oculi ſaepius per aliquod temporis ſpatium ab affluxu acri liberi maneant, attamen cauſſa leni, v. c. catarrhali, oborta denuo afficiantur, fonticuli in brachio applicandi, §. 522. ſeqq. et per plures menſes, aut in grauiori cauſſa per totam vitam, aperti ſeruandi ſunt.

§. 793.

Vlcera, et leuiora ſaepe, vel in marginibus palpebrarum, vel ad corneam relicta, continuae ſorditiei in oculo cauſſa ſunt, et, niſi adeo impura ſint, collyrio, §. 778. vel vnguento, §. 787. ex cineribus zinci ſiccari et corrigi poſſunt. Egregiam quoque vlcera oculorum abſtergendi vim habet mel cum formicis digeſtum, cuius aliquot guttulae intra palpebras immittuntur. Melius interdum efficitur curatio lapide diuino, §. 788. cuius pauca grana aquae ophthalmicae adiiciuntur. Laudant quoque vnguentum viride WOOLHOUSII, quod ex viridi aeris loto cum axungia porcina recenti componitur, et leniorem vim ſepticam exercet.

§. 794.

Si vlcera his remediis ſiccari nequeunt, cauſtica applicentur: nimirum adipe recenti excipiatur mercurius dulcis vel praecipitatus ruber, §. 488. et penicillo vlcuſculis applicetur, vel impura loca lapide infer-

infernali tangantur. Suſpenſa autem hic opus eſt chirurgi manu, ne vicinae et ſanae partes laedantur; licet enim aliqua non incongrua ſit inflammatio, illa tamen nec nimis intendatur, nec glandulae, neque tarſi palpebrarum laedantur, ex quorum vitio ſiccitas moleſta remanet. Lippitudo oculi, quae poſt vlcera depurata interdum perſiſtit, vnguento de cineribus zinci *) compeſcitur.

*) Et ex tutia bonae notae vnguentum conueniens praeparatur, eadem enim ſiccandi vi praedita eſt.

SECTIO II.

DE PALPEBRARVM MORBIS.

§. 795.

In ophthalmia iam pertractata varia, quae palpebrarum morbos concernunt, propoſuimus; nunc de his operculis oculorum vel nimis elongatis, vel retractis, de eorum coalitu vel inter ſe, vel cum bulbo oculi, tandem de tumoribus earundem pauca monenda habemus. Vulnera palpebrarum ex iis diiudicari debent, quae §. 750. ſeqq. de vulneribus faciei expoſuimus.

§. 796.

Eleuator palpebrae ſuperioris interdum paralyſi laborat, ita vt plica ſuperior in aperiendo oculo formari nequeat. Vnguenta et epithemata neruina, aliaque auxilia, a PLATNERO *) et aliis propoſita, omnino tentari poſſunt, parum vero ſolatii promittunt, cum corpus muſculi in orbita deliteſcat, et fibrae ſupra palpebram excurrentes vix muſculares ſint. Si vitium in integumentis palpebrarum eſt, ſi

ex cute nimis laxa caſus palpebrae ſuperioris inducitur, vel ſi in lagophthalmo contrarium vitium, palpebrae nimia retractio, deprehenditur, auxilia chirurgica tentanda ſunt.

*) vid. Inſtit. Chirurg. rat. §. 579. vbi, praeter ſacculos ex herbis roborantibus, emplaſtrum ex cantharidibus tentari poſſe, et veteres cauterio actuali vſos eſſe, legimus.

§. 797.

Laxa et ampla cutis ſutura conſtringenda eſt; quae cum plicam cutis tantum comprehendere debeat, hunc in finem bacillis, in figuram palpebrae incuruatis et perforatis intercipiatur *), fila poſtea per haec foramina mediante acu transducantur, et cutis eminens praeſcindatur, quo facto fila diductis bacillis, ex foraminibus educuntur, et, vti in ſuturis fieri ſolet, §. 363. ſeqq. ligantur, cicatrice per balſamica aliaque medicamenta inducta.

*) Inſtrumentum vide delineatum in F. RUYSCHII Epiſt. Problem. XIII. tab. 16.

§. 798.

In conſtricta nimis palpebrae ſuperioris cute, §. 796. emollientia quidem remedia adhiberi poterunt, iis vero nihil iuuantibus, cutis ipſa eaque ſola, partibus ſuppoſitis illaeſis, ſemilunari ductu leniter incidatur, cornubus deorſum ad angulos oculorum directis, bulbo oculi per immiſſam lamellam plumbeam defenſo. Haec quidem operatio magnam attentionem exigit, ea autem vt decet effecta, cutis linamentis ſiccis impoſitis diducatur, et cicatrix latior efficiatur, quo oculus palpebra ampliori facta obtegatur. Hoc auxilii genus tum tantum valet, cum

cutis

cutis ſola contracta, et reliqua palpebrae fabrica illaeſa eſt.

§. 799.

Palpebra inferior quoque interdum reflexa dependet, nec oculi bulbum ſatis contegit, quod vitium ektropium dicunt. Si cutis retracta eſt, ea inciſione ſemilunari, cornubus ſurſum ad angulos oculi directis, ampliari, et ſimili ratione §. 798. diſtendi debet. Paralyſis vel inertia orbicularis muſculi, quae in ſenibus nonnunquam occurrit, neruinis aromaticis medicamentis in ſacculis, vel oleis earum deſtillatis in vnguentis applicatis, nonnunquam corrigitur. Tumor in interna palpebrae inferioris ſuperficie natus, et vitium hoc inducens, niſi exſcindi poteſt, chronicum malum relinquit.

§. 800.

Pslpebra inferior introrſum reflexa vitium affert, quod entropium dicunt. Difficilis morbus cum phalangoſi, ſiue inflexione ciliorum ad bulbum coniunctus eſt, cui ex hac irritatione inflammatio accedit. Niſi cutis palpebrae inflexae incidi, et linamentis primum ſiccis, poſtea balſamicis medicamentis illitis, diſtendi poſſit, curationi locus non datur. Cilia irritantia non praeſcindenda, ſed penitus euellenda ſunt, pili enim diſciſſi creſcunt et magis irritant.

§. 801.

Palpebrae inflammatae et exulceratae, ſi in deligatione per faſcias nimis comprimantur, §. 777. et excoriatae partes ſe inuicem attingant, vel inter ſe, vel cum bulbo oculi coaleſcunt, quod vitium ancyloblepharon dicunt. In recenti malo ſpecillum vel filum ſericeum, acu inuerſa inductum, coalitum preſſione tollit: ſi vero partes firmius cohaerent, vel

ſcalpellum in apice globulo armatum, vel ſpecillum tenue ſulcatum introducendum eſt, quo eius ductu ſeparatio mediante ſcalpello fieri queat. Veſicae tunc particula, vel exſiccantibus, vel balſamicis medicamentis illita, inter palpebras immittenda eſt, ne denuo coaleſcant.

§. 802.

Glandulae ſebaceae, in margine palpebrarum poſitae, immunditie aliisque de cauſſis ſaepe obſtruuntur, vnde tumor oritur, cui grandinis vel hordeoli nomen dederunt. Hi tumores interdum ſua ſponte diſcutiuntur, ſaepius tamen inflammantur, et pure moto, vel in interno, vel in externo palpebrarum margine aperiuntur; quod relictum eſt, paulo poſt diſcutitur. Etſi vero ipſa materia obſtructa ſponte ſua emollitur, interdum tamen epithemata et cataplaſmata emollientia adhibenda ſunt.

§ 803.

Si tumor cyſticus, plus minus durus, inter integumenta palpebrae haeret, quem chalazion dicunt, inciſione apta, qua nimirum partibus appoſitis parcendum eſt, tumor vti cyſticus §. 279. exſcinditur, vulnere aptis medicamentis conſolidato. Si vero tumor fungoſus, qui pladarotis dicitur, excreſcit, non tantum praeſcindendus, ſed etiam radices eius caute reſecandae ſunt, ne rediens fortaſſe in maiorem molem excreſcat.

SECTIO

SECTIO III.

DE VIARVM LACRYMALIVM MORBIS.

§. 804.

Varietas morborum, qui vias lacrymales afficiunt, omnino inſignis eſt, quae, niſi ad vniuerſales morborum cauſſas reducatur, definitionibus aptis profecto exprimi haud poterit. Quod quidem ſatis demonſtrat diſſenſus Auctorum in nominibus, a veteribus et recentioribus chirurgis inuentis, accurate definiendis. Cum vero nos has controuerſias ſuccincta tractatione nec recenſere, nec diiudicare queamus, ad Auctorem lectores reiicimus, qui nuper admodum in tractatione de fiſtula lacrymali ea, quae huc faciunt, ſtudioſe collegit *).

*) vid. IACOBI CHRISTIANI VOGEL Diſſ. de fiſtula lacrymali eamque ſanandi methodo, ſub Cl. SCHEFFELII praeſidio habita Gryphiswaldae, 1756. 4to.

§. 805.

In hac autem doctrina breuiter abſoluenda primo quaedam de vitiis, in angulo oculi interno oriundis, praemittemus, poſtea de inflammatione, obſtructione, exulceratione et carie viarum lacrymalium agemus, diagnoſin in cauſſarum et ſymptomatum conſideratione declarabimus, quo, prognoſi deinde formata, curationis quoque rationes diſtincte explicari, et monita varia ſubiungi queant.

§. 806.

Margo palpebrarum in earundem motu et quiete lacrymas ad angulum oculi maiorem dirigit, ca-

runcula vero in eodem angulo poſita illas retinet, quo punctis lacrymalibus ſugantur. Palpebrarum igitur margines, varie tumentes et exulcerati, oculum illacrymantem faciunt; caruncula vero, ex his vitiis adeſa et deſtructa, hoc vitium oculorum magis pertinax reddit. Si enim poſt ophthalmias varias curatas, tumor palpebrarum diſcuſſus reſedit, tamen caruncula laeſa, chronicum lacrymarum profluuium, quod epiphoram dicunt, non raro relinquitur.

§. 807.

Naſcuntur vero praeterea ad angulum oculi internum varii tumores, qui inflammatorii ſunt, et pure moto abſcedunt, vel alii duriores ſcirrhoſi aut tunicati, qui quidem ductus lacrymales non occupant, in vicinia tamen poſiti, has vias comprimendo, tranſitum lacrymarum cohibent *). Hi omnes vero ex iis diiudicari debent, quae de palpebrarum tumoribus §. 802. ſeq. monuimus.

*) Omnis tumor ad angulum oculi internum poſitus vitium ſiſtit, quod encanthis dicitur, licet et eroſio carunculae lacrymalis §. 806. eo nomine inſigniatur. Anchilopis et aegilopis nomen nonnulli Auctores his oculorum morbis quoque tribuunt, alii vero vtriusque, inprimis poſterioris, ſedem in viis lacrymalibus ipſis ponunt, et vt ſynonymum fiſtulae lacrymalis conſiderant. Sed in his aeque ac in aliis, ob defectum anatomicae cognitionis partium et inſignem morborum varietatem, incertae ſaepius ſunt veterum definitiones.

§. 808.

Cauſſae pertinaciores inflammationis membranam, a coniunctiua oriundam, et in puncta lacrymalia tenui contextu celluloſo productam, quoque afficiunt,

ciunt, viamque lacrymarum impeditam reddunt. Hoc iis praecipue accidit, quorum eſt hoc vitae genus, vt oculi ignis vehementia et ſplendore lucidorum corporum nimis pulſati ita exſiccentur, vt continua ferme ophthalmia laborent. Quod ſi a variolis, venerea labe, vel aliis corruptis humoribus, in corpore haerentibus, idem euenit, lacryma acris facta magis noxia eſt, et tenues has partes rodit et exulcerat.

§. 809.

Materia ſpiſſa, in punctis lacrymalibus haerens, ea obſtruit, et oculum illacrymantem relinquit; humor quoque viſcidus vel purulentus, in ſacco lacrymali retentus, et ſecedente tenui lacrymarum latice ſpiſſior redditus, obſtructionem harum viarum inducit. Si vero vel ex varioloſo morbo, vel ex alia cauſſa, membrana pituitaria tumet aut exulceratur, oſtium ſacci lacrymalis, quod verſus nares patet, vel anguſtius redditur, vel prorſus coaleſcit, vnde lacrymae colliguntur, ſaccum in tumorem eleuant, eo preſſo collectam materiam, plus minus corruptam, per orificium naſale non excernendam, inuerſo itinere per puncta lacrymalia in oculum euacuant.

§. 810.

Ab initio quidem, et quando exigua humoris ſtagnantis copia collecta eſt, continuus ſaepe effluxus per puncta lacrymalia fit, interdum vero tumor auctus inter naſum et oculi angulum ſurgit: hunc herniam ſacci lacrymalis, vel, ſi humor magis aquoſus ſecernitur, hydropem ſacci lacrymalis nonnulli appellant. Hic quidem a cutaneo et in abſceſſum tendente tumore per inflammationis omnis abſentiam diſtinguitur et vere oſtendit, ſaccum la-

crymalem tantum extenſum eſſe, cum, materia per puncta lacrymalia euacuata, ſubſidat.

§. 811.

Humor diu in ſacco lacrymali ſtagnans, acrimonia contracta, eundem arrodit, et interdum inflammationem, interdum vlcera ſordida efficit, ſed ne ſic quidem vera fiſtula lacrymalis dici poteſt, quippe quae tunc demum ex hac diſpoſitione oritur, cum vlcera ſinuoſa et calloſa fiunt, et omnem ſacci fabricam calloſam et duram reddunt; in quo potiſſimum ad duritiem, plus minus inſignem, et ad indolem humoris excreti reſpiciendum eſt. Quae quidem diſquiſitio ex doctrina generali vlcerum §. 459. ſeqq. et fiſtularum §. 497. ſeqq. abunde patet.

§. 812.

Vlcera haec ſerpentia et fiſtuloſa teneram oſſis vnguis fabricam ſaepe arrodunt, et cariem inducunt. Non ſemper vero viarum lacrymalium laeſiones ſerie mutationum nunc deſcripta procedunt, et ad cariem tendunt; ſed ſaepius ex interna cauſſa naribus inhaerente, venerea potiſſimum, oſſa ipſa primum arroduntur, tandemque deſtructo canali naſali inflammationem et eroſionem ſacci lacrymalis efficiunt; quae quidem ex ſymptomatibus morbi lente increſcentis, et ex iis, quae de carie in genere alibi monuimus, §. 580. ſeqq. colligi poſſunt.

§. 813.

Atque haec praecipua ſunt, quae cauſſas et ſymptomata morborum viarum lacrymalium definiunt, ex quibus etiam cum generali doctrina chirurgica comparatis diagnoſis peti debet. Pauca tamen de prognoſi ſubiicienda ſunt, quo medicus et chirurgus

in

in diſquiſitione horum morborum occurrentes et ſucceſſiuas mutationes accuratius diiudicent.

§. 814.

Inflammatio, et laeſiones inde oriundae, ſi angulum oculi internum afficiunt, ob teneram partium fabricam maxima cum attentione tractanda ſunt, vt principiis morborum difficulter curandorum occurratur. Diſcuſſa itaque qualibet ophthalmia, ex dolore, duritie, aliisque ſignis cognoſcendum eſt, num in his viarum anguſtiis aliquid relinquatur, quod peſſima mala, eroſiones et vlcera difficile purganda clanculum inducere poſſit.

§. 815.

Tenerae nimirum oculi partes nec pinguibus digeſtiuis, neque acribus irritantibus, nimis tentari debent, cum inde relaxationes et eroſiones, ideoque ſtaſes et vlcera clanculum ſaepe obrepant: quam ob rem ſelectis tantum et bene praeparatis medicamentis vtendum eſt. Difficilior etiam eſt inſtrumentorum a chirurgis in curatione harum partium inuentorum vſus, qui ſaepe non niſi optime exercitatis viris concedendus eſt, ne, laeſionem aliquam correcturi, tamen rudius circa oculi partes verſantes, nouas laeſiones inducant.

§. 816.

Si partibus adhuc illaeſis ſtagnans humor elui, et ita via purgari et libera ſeruari poteſt, integra ſanatio tenetur; ſin ſaccus incidendus, vel plane exſtirpandus eſt, ipſa praeterea oſſa diffringenda, et nouae lacrymarum viae aperiendae ſunt, curatio difficulter ſuſcipitur et praeſtatur. Senſiles enim oculi membranae, et ipſa ſaepe pituitaria, ita irritantur, vt noui morbi inde eueniant et relinquantur. Corporibus puris auxilio chirurgico facilius ſuccurritur,

quam

quam impuris, vnde in his ſaepe efficaciores medendi rationes haud tentandae ſunt.

§. 817.

In curatione horum morborum et ad puncta lacrymalia, et ad orificium ſacci lacrymalis, quod in naribus hiat, reſpiciendum eſt. De inflammatione ex oculo ad has vias vsque deducta nihil peculiare monendum eſt, cum in tractatione de ophthalmia, §. 777. ſeqq. de variis remediis caute applicandis egerimus: de orificio tamen ſacci lacrymalis ad nares aperto ſeruando ſemper ſollicitus ſit chirurgus, ideoque errhinis medicamentis lenioribus, v. c. aqua maioranae, vel cum, vel ſine ſaccharo parata, nares ſaepe eluat.

§. 818.

Materia viſcida et lenteſcens, in viis lacrymalibus haerens, qualis in infantibus et pueris, mucum narium non rite emungentibus, deprehenditur, ſenſimque peius malum gignit, naribus rite purgatis, et vapore reſoluente, vel, ſi emolliendum eſt, ex lacte et croco, vel, in nimia laxitate, ex aromaticis et roborantibus parato, ita corrigitur, vt lacryma ipſa ſubſequens expedite fluat. Mitiora errhina, v. c. puluis maioranae cum ſaccharo tritae, leui ſternutatione inducta, has partes cum fructu concutiunt; fortiora autem cum puluere liliorum conuallium parata, vel puluere euphorbii acuata, minus tuta iudicantur.

§. 819.

Si materia tenacior lacrymis ſolis accedentibus abſtergi nequit, vel puncta lacrymalia et principia ductuum leuiter obſtructa inueniuntur, ſpecilla tenuiſſima argentea, ab ANELLO inuenta, applicanda ſunt, et orificiis liberis redditis, aqua ſaluiae, vel alia abſtergens, ope ſiphunculi, tenuiſſimo tubulo inſtructi,

ſtructi, iniicienda eſt, quo viis purgatis liquoris maxima pars per nares defluat. In his vero inſtrumentis applicandis exercitata chirurgi manus requiritur, ne tenerae viae rudi inſtrumentorum applicatione laedantur, et inflammatio maxime tunc nocitura excitetur.

§. 820.

Et in aliqua laxitate et exulceratione ſacci haec medendi methodus auxilium affert, ſi pro varia conſtitutione aegrorum aut nitrum, aut camphora cum pauxillo ſacchari teritur, et aqua euphraſiae vel alia ophthalmica excipitur, vel aqua calcis eligitur, vel parum aquae vulnerariae admiſcetur. Haec vero remedia tum non ſufficiunt, cum ſaccus lacrymalis nimium extenſus eſt, id quod vitium non niſi compreſſione tollitur. Nimirum materia omni euacuata, charta maſticata, lamina plumbi, vel inſtrumentum, in hos vſus inuentum *), tumori externe applicatur et moderate apprimitur, vsque dum ſaccus lacrymalis iuſtum robur acquiſiuerit.

*) vid. Diſſ. PLATNERI de fiſtula lacrymali. Lipſiae 1724. 4. et in opuſculis Tom. I. Diſſ. I. pag. 1. ſeqq. fig. 3.

§. 821.

Curationes, per compreſſionem efficiendae, non niſi abſente inflammatione tentandae ſunt; hac enim praeſente, vel leniſſima irritatio harum viarum nocet. In compreſſione, per faſcias et inſtrumenta praeſtanda, eadem cautela opus eſt, ne ductus lacrymales, ab oculo ad ſaccum tendentes, ſimul comprimantur, atque ita coaleſcant: quotidie itaque iniectione quadam aquae hyſſopi, vel alius ſimilis abſtergentis medi-

medicamenti, §. 820. illae viae a nimia ſiccitate praeſeruandae ſunt.

§. 822.

In grauiori malo, cui haec auxilia non ſufficiunt, v. c. ſi tumor inflammatorius, pure moto ruptus, partes vicinas nimis deſtruxit; ſi vlcera calloſa lenioribus iniectionibus penitus abſtergi nequeunt; ſi caruncula aut putris caro cauum occupat, alia medendi methodus eligenda eſt. Saccus nimirum ipſe incidendo aperiatur, vt ſuppuratio aptis medicamentis iuuari, vlcera abſtergi, tandem et cauſticis aliisque remediis excreſcentes carnes coerceri poſſint. Inciſio tunc primo ſuper tumorem in integumenta fiat, ſpecillo excauato viam monſtrante, et, vulnere ſatis patente, ipſe ſaccus ſeparatim incidatur. Depuratione praeſtita, vulneris conſolidatio efficienda eſt.

§. 823.

Cum medicamenta, inprimis lenia cauſtica, per puncta lacrymalia mediante ſiphunculo difficulter applicentur, et inciſio nunc propoſita ſuis quoque incommodis comitata ſit, alias medendi rationes inuenerunt recentiores chirurgi, quibus per inferius et verſus nares patens orificium medicamenta applicantur. Quoniam autem hoc orificium in morbis nunc deſcriptis vel nimis anguſtum eſt, vel prorſus coaluit, ſtylo per puncta lacrymalia inducto, et ſuſpenſa manu ad inferius orificium deducto, hoc pertundendum et apertum ſeruandum eſt.

§. 824.

In hunc finem recentiorum inuenta examinanda ſunt. Cl. FOREST primum ſpecilla ſolida, catheteris in modum inflexa, ad aperiendam viam per orificium ſacci lacrymalis naſale inuenit, et ſimiles

cathe-

catheteres cauos, paulo craſſiores, via aperta reddita, introduxit, et iniectionem variorum medicamentorum ex hac parte ſuſcipere tentauit *). Cl. MEIAN acu longa et tenui argentea, quae per puncta lacrymalia tranſit, filum introduxit, cui ſetacea ex filis goſſypinis diuerſae et proportionatae craſſitiei alligari, aptis medicamentis imbui, ab imo ſurſum duci, et quotidie mutari poſſunt. Cl. CABANIS inſtrumentum inuenit, quo ſtylus tenuis, vel acus nunc deſcripta, per inferius orificium eminens ſuper os ſpongioſum inferius commode arripi, et ita in curua via produci poſſit **). Quae quidem inſtrumenta ex fabrica ſua et viarum lacrymalium conſideratione diiudicanda ſunt.

*) vid. Memoires de l'acad. roy. de Chirurgie Tom. II. p. 175. ſeqq. tab. 13.
**) lib. cit. p. 193. ſeqq. tab. 14.

§. 825.

Si itaque nec his auxiliis, nec ſimplici inciſione facta, viae lacrymarum purgari et liberae reddi poſſunt; ſi non tantum integumenta vicina, ſed ſaccus ipſe ſuppuratione et eroſione ita deſtruuntur, vt conſolidatio fieri nequeat; ſi vlcus ſinuoſum et calloſum redditum fuit, et ita vera fiſtula, §. 500. ſaccum lacrymalem et partes vicinas deſtruit; ſi os vnguis nudum et carioſum eſt, ſaccus totus exſtirpandus, et noua lacrymarum via ad nares formanda eſt.

§. 826.

Sectio itaque ſemilunaris, quae ad radicem naſi incipit, deorſum fiat, et, tendine muſculi orbicularis ad angulum oculi internum illaeſo relicto, vsque ad palpebram inferiorem continuetur: cute paulu-

paululum reclinata ſaccus ipſe ſub ductibus lacrymalibus in eum terminatis praeſcindatur, et corruptae partes vel cauſticis, vel ſcalpello remoueantur, os vnguis vero denudatum, vel iam carioſum factum, aut ſpecillo obtuſo, aut acu triquetra, aut terebello, aut ſubula pertundatur, et via facta, inſtrumentum non nihil circumducendo, amplietur, directione illa obſeruata, quae ſepto narium illaeſo ad cauum narium huius lateris ducit. Haec operatio praeſtare videtur eam, quam Cl. MONROO deorſum in ſinum maxillarem perforando molitur, cuius nimirum exitus naturalis in nares nimis anguſtus eſt.

§. 827.

In vlteriori curatione via verſus nares patefacta aut tubulo plumbeo vel aureo munienda, aut turunda lignea et filo inſtructa aperta ſeruanda eſt, donec haec noua lacrymarum via occalleſcat. Tubuli, ſi applicati fuerint, relinquendi ſunt, per nares enim facile ſecedunt; turundae autem tunc remoueantur, quando ſine omni doloris ſenſu applicari poſſunt, e quo callum formatum eſſe intelligitur. Interea ſemper videndum eſt, ne ductus lacrymales, ad ſaccum terminati, nimium comprimantur et coaleſcant, quam ob rem interdum via ſpecillis Anellianis diſquirenda eſt.

§. 828.

Cum veteres fiſtulae lacrymalis curationem per cauteria actualia ſuſceperint, quaeri poteſt, an hoc auxilii genus etiamnum interdum vſurpari debeat? Iam etſi crudele videtur, tamen, ſi vlcus cum carie late ſerpente et nigredine oſſis coniunctum ſit, medicamentis parum efficitur, e contrario cauterium caute applicatum *) eſcharam format, ſeparatione promptiori remouendam. Cauendum tamen eſt, ne

ferro

ferro ignito vel oculus ipſe, vel ductus lacrymales liberi relinquendi, adurantur. Difficiles omnino hae curationes ſunt, quae non ſemper certum auxilium promittunt, haud raro vlcera chronica relinquunt.

*) vid. PLATNERI Inſtit. Chirurg. rat. §. 984. ſeqq.

SECTIO IV.

DE CORNEAE VITIIS.

§. 829.

Inflammatio, ad corneam vsque producta, ſaepe varia huius membranae pellucidae vitia gignit: aut enim vlcera externa et inde cicatrices relinquuntur, aut panni ex coniunctiua producti ad eandem, ſaepiusque ſuper illam deferuntur, aut tandem pus inter eius lamellas collectum deprehenditur, quae quidem affectiones morboſae, ſubiuncta ſimul medendi methodo, breuiter a nobis recenſendae ſunt.

§. 830.

Maculae albae pellucidam corneam vel paſſim, vel in margine potiſſimum, vbi ſcleroticae adnaſcitur, obſcuram vel non nihil opacam reddunt. Illarum cauſſae ſaepius ſunt vlcera, quae vel aperta humorem plus minus viſcidum et acrem emittunt, vel ſub coniunctiua, quae epidermidis ad inſtar corneam inueſtit, abſcondita haerent. *) Cauſſa occaſionalis vtplurimum in ophthalmiae negligentiori tractatione poſita eſt, §. 769. inprimis ſi corpus impuris humoribus antea infectum fuerit, qui tunc ſaepe in oculum conuerſi ophthalmiae vlceroſae cauſſa ſunt.

*) Plures differentias vlcerum oculorum a veteribus indicatas, quae tamen ad corneam non ſemper ſpectant, PLATNERUS in Inſtit. Chirurg. rat. §. 311. et 315. recenſet.

§. 831.

In curatione vlcerum, vniuerſali humorum correctione praemiſſa, §. 791. ſi qua adſit grauior inflammatio, diſcutienda eſt, quo facto ea remedia, quae vel exſiccant, vel leniter arrodunt et purgant, §. 793. affecto loco applicanda ſunt, melius tamen forma vnguenti, quam collyrii. Si vlcera tecta ſunt, coniunctiua caute incidatur, quo aperta melius purgari queant, ſerpunt enim hoc neglecto profundius, et ſinus formant, difficulter ſanandos.

§. 832.

Vlceribus exſiccatis ſaepe cicatrices remanent, lamellae enim, ex quibus cornea componitur, vel ex parte vel prorſus pelluciditatem ſuam amittunt. Maculae hae obſcurae in iunioribus ſaepe ſenſim extenuantur et diſſipantur, in adultioribus vero, quia calloſitas quaedam fibrarum accedit, malum ſucceſſiue confirmatur. Mel formicarum §. 793. digerit, emollit et extenuationem iuuat. Si vlcera tecta exſiccantur, et profunda cicatrix remanet, laminae corneae vel acu, vel inſtrumento Woolhouſiano *) leuandae, et quantum fieri poteſt ſeparandae ſunt, quo enumeratis nunc medicamentis vlterius extenuari queant.

*) vid. PLATNERI Inſtit. Chirurg. rat. fig. IX.

§. 833.

Ex angulo oculi, interno praecipue, interdum membrana tenuis ſuccreſcit, quae aponeuroſi quaſi exten-

extenſa ad corneam vsque ducitur, eam opacam reddit, et pterygii, vel, ſi craſſior eſt, panni nomine inſignitur. Eroſiones ab ophthalmiis male curatis relictae, vel acres humores, refrigerantibus medicamentis repreſſi, his generandis occaſionem praebent, ſi nimirum humores boni inter impuros affluentes, quoniam luxuriantes fibras fouent, geneſin membranae efficiunt.

§. 834.

Hae membranae, ſi teneriores ſunt, vt cicatrices §. 832. conſiderari poſſunt, et vel melle formicarum, vel leniter adurente medicamento, v. c. lapide diuino ſoluto, extenuantur; ſi vero denſiores ſunt, ſcalpelli operam poſtulant. Haec curationis ratio ardua omnino eſt, et ſuſpenſa manu perficienda. Acu, vel hamulo Woolhouſiano *) ruga panniculi, ſi qua eſt, arripiatur, et ad eius ductum reliqua membrana caute ſeparetur, bulbo oculi mediante inſtrumento, quod ſpeculum oculi dicitur, fixo reddito. Partibus ſuppoſitis parcendum eſt, hinc, ſi quid relictum fuerit, id medicamentis leniter cauſticis attenuandum eſt.

*) vid. HEISTERI chirurg. tab. XV. fig. 30. 31.

§. 835.

Si poſt vehementem oculi laeſionem, inter lamellas, ex quibus cornea componitur, valida inflammatio mouetur, et inde pus cogitur, abſceſſus ſic formatus vnguis nomen accipit. Non neglectis itaque praeſtantiſſimis, quae inflammationi opponi poſſunt, remediis, acu et inſtrumento Woolhouſiano, §. 832. membranae eleuandae ſunt, quo pus ex

profunda ſede euocetur, nec vlterius ſerpendo noceat, extenuatio vero et puritas membranarum medicamentis ſupra laudatis adiuuatur.

SECTIO V.

DE STAPHYLOMATE.

§. 836.

Ad corneae vitia etiam pertinet ſtaphyloma, quo oculorum vitio cum ſimul ſclerotica afficiatur, nec non vuea interdum per extenſam corneam penetret, ſeparatim de eo dicendum eſt. Maxima in hoc morbo conſiderando naſcitur obſcuritas, quae non tantum a veterum et recentiorum diſſenſu, ſed ab inſigni quoque laeſionum oculi, ad hunc morbum relatarum, varietate pendet *). Nos itaque in compendiaria tractatione primarias ſpecies enarrabimus, vnde reliquae huius morbi varietates diiudicari poterunt.

*) De his omnibus conferri meretur B. D. MAUCHARTI Diſſ. de Staphylomate, Tubingae 1748. 4to, menſe Decembri edita, a §. 1. ad §. 16.

§. 837.

Praecipua ſtaphylomatis ſpecies eſt, quando cornea, vel etiam vicina ſclerotica in tumorem, baccae vuae vel minori acino ſimilem, extenditur. Tumoris vero huius ratione magnitudinis, duritiei et coloris, inſignis eſt varietas: paruum enim interdum tuberculum eſt, interdum ſolitarium, interdum multiplex, interdum ad tantam molem auctum,

vt

vt palpebris contineri nequeat, ſed illas diſtendat, et plus minusque ex oculo promineat; interdum tunicae extenſae calloſae fiunt, interdum ob nimiam attenuationem tantum molles ſunt, interdum pellucidae, interdum opacae, cet.

§. 838.

In extenſam hanc corneae partem non tantum humor aqueus intrat, ſed vuea etiam nonnunquam ſuccedit, ita vt herniae in modum vuea in ſaccum extenſum ſuſcipiatur. Cornea quidem ab vuea ſatis diſtare videtur, ſi vero vaſculoſa haec membrana tumore, inprimis inflammatorio, afficitur, tunc praeternaturali modo extenſa erumpit et corneam diſtentam ſequitur. Peſſimum tandem vitium eſt, ſi vel lens vel pars vitrei humoris ita protruditur, vt in cauo tumore ſimul comprehendatur.

§. 839.

Ad ſtaphyloma quoque referunt nonnulli Auctores vulnus corneae et ſcleroticae, vel ipſam corneae exulcerationem profundam, per quam humor aqueus effunditur, quo facto cornea conuexa ſubſidet, et per hanc aperturam vuea, ex ſitu ſuo deducta, ſimul procedit. In hac quidem laeſione tumor aciniformis, qualem ſupra deſcripſimus, non adeſt, ille tamen humore aqueo iterum collecto demum formari, et morbus complicatus fieri poteſt.

§. 840.

Cauſſae, quae minorem vel maiorem oculi deſtructionem efficiunt, praecipue quidem in diuturnis et male ſaepius tractatis ophthalmiis poſitae ſunt, quibus partes vel nimium relaxantur, vel vario modo exulcerantur, et ex parte occalleſcunt; ex his enim laeſionibus tumores et peruerſae partium ſitus mutationes oboriuntur. Saepius vero vis externa,

oculo illata, cum inflammatione neceſſario ſubſequente, inſignes partium mutationes, quae oculum quaſi deſtructum ſiſtunt, ſimul inducit.

§. 841.

Paruuli tumores corneae et vicinae ſcleroticae, qui centrum non occupant, nec amplius increſcunt, diu ſaepe ſine multo incommodo feruntur: ſi vero ſenſim paulatimque increſcunt, et partes etiam vicinas afficiunt, ſi cum interna quadam inflammatione coniuncti ſunt, et viſus praeſtantiam impediunt, tunc chronicas ophthalmias, tumores fungoſos et carcinomaticos, aliaque incommoda generant, quae auxiliis chirurgicis, quantumuis accurate ſelectis, nec coerceri nec tolli poſſunt.

§. 842.

Cum autem tanta laeſionis varietas etiam varia remedia et auxilia exigat, ipſa medendi ratio in ſingulis caſibus ex varia partium laeſione, et ex auxiliis chirurgicis, iisdem accommodatis, petenda eſt. Quo autem generalis medendi methodus pateat, quid roborantia, comprimentia in coercendis et tollendis tumoribus, ligaturae et inciſiones in ſeparandis et reponendis partibus ex ſitu remotis valeant, ſuccincte declarabimus, vt ad varietates curationum ab Auctoribus propoſitarum *) melius intelligendas et diiudicandas artis chirurgicae tirones ducantur.

*) Curationis rationes, praeter citatum MAUCHARTUM, egregie expoſuit I. G. GÜNTZ in Diff. de ſtaphylomate, Lipſiae 1748. in 4to, menſe Februario edita.

§. 843.

Relaxatas corneae laminas vapores et epithemata roborantia et diſcutientia, ex decoctis herbarum mille-

millefolii, ſaluiae, virgae aureae, ſaniculae, aliarumque ſimilium parata roborant, et reſorptionem ſeri, in tenero contextu celluloſo extrauaſati, iuuant. Adſtringentia alio modo applicata vix conueniunt, cum humores pellucidos nimis cogant: in fine curationis tamen vnguentum ex cineribus zinci exſiccandi et roborandi effectum egregie exhibet.

§. 844.

Roborantem autem vim omnino iuuat compreſſio externa, quae eo magis neceſſaria eſt, ſi tunicae ipſae nimium et herniae in modum extenſae ſint. Lamina caua itaque ex cornu, vel plumbo, aut alio metallo, oculi bulbo accommodata formetur, cuius margines ita extenuati ſint, vt intra palpebras recipi queat, haec vnguento roborante illinita ita ad anteriorem bulbi oculi partem applicetur, vt pannis duplicatis ſuperimpoſitis faſcia conſtringi, et diu ferri poſſit, compreſſione tamen moderata et aucta.

§. 845.

Paruulas corneae eminentias, quas myocephali nomine veteres inſigniuerunt, cauſtica potentialia quoque tollunt. Lapis nimirum infernalis ſummo tuberculo leniter admouendus eſt, et hoc quidem tunc temporis praeſtandum eſt, quando nulla ophthalmia oculum occupat; hoc tamen remedio leuis inflammatio et ſuppuratio mouetur, quae eminentiam tollit. In huius etiam medicamenti applicatione lentius verſetur chirurgus, nec oculum faſcia comprimat. Veſica vero vnguento viridi Woolhouſiano, vel alio ex zinci cineribus parato, illinita inter palpebras ingeratur.

§. 846.

Staphylomata non adeo magna, §. 837. anguſta praecipue baſi praedita, filo circumducto, vt alios

 tumo-

tumores, exſtirpari poſſe, non dubitandum eſt. Quod ſi vero ſtaphyloma recens adhuc ſit, ampla baſi inſtructum, partemque corneae tantum occupet, filum mediante acu per mediam tumoris partem traiiciendum, poſtea circumcirca conſtringendum erit, quo tandem cicatrice etiam ſuo modo extenuata, §. 832. tanta viſus integritas, quanta pro ſitu tumoris obtineri poteſt, reſtituatur. In magno tandem et moleſto ſtaphylomate inciſio cruciata admittenda eſt, quo prolapſae partes eximi queant, qua tamen enchireſi efficitur, vt bulbus collabatur, et emplaſtro vel oculo artificiali obtegendus ſit.

§. 847.

Staphyloma cum vulnere, ſubſidente cornea et prolapſu vueae conſpicuum, §. 839. partis prolapſae repoſitionem exigit. Quod ſi neceſſarium videtur, aliqua etiam vulneris ampliatio tentanda eſt. Paruum filamentum, quod remitti nequit, ſcalpello vel forfice facile ſeparatur, ſed ſi magna et inflammatione tumida facta pars vueae emineat, reponi nequit, ideoque praeſcindenda eſt. Vlcus, quod tunc remanet, debito modo quidem ſanari poteſt, ſed omnis oculi acies perit, nec deſtructae partes vllo modo reſtitui poſſunt.

SECTIO VI.

DE

SVFFVSIONE.

§. 848.

Inter aqueum et vitreum huic praecipue affixa lens cryſtallina haeret. Hae partes fluidae ſunt, vel ex diſpoſitione membranarum, humores continentium,

tium, aliquam pelluciditatem obtinent; in ſano ſtatu radios transmittunt, et vario modo frangunt, quo iconem in retina colligant. Obſcuritas earundem, vel morbo inducta opacitas, viſum imminuit et laedit, ſaepe prorſus tollit. Ad varias inde oriundas viſus laeſiones denominandas, cataractae, ſuffuſionis, et glaucomatis nomina praecipue adhibentur, de quibus nunc diſtinctius diſſerendum erit.

§. 849.

Aqueus humor a vitiatis vniuerſi corporis fluidis vitium, ſiue aliquam obſcuritatem, contrahit. Etſi enim maculae obſcurae, praeter naturam oculis obuerſantes, retinae potius, quam aquei humoris vitio tribuendae ſunt: tamen et mucoſas particulas in aqueo humore concretas anteriorem lentis partem inquinare, et ideo obfuſcare, atque etiam ex vueae inflammationibus, in poſteriore inprimis parte natis, excreſcentias et membranulas radios ad lentem progredientes impedire poſſe, certum eſt. Has quidem viſus laeſiones rariores eſſe, et veterum ſententiam de cataracta, vt membrana, lentis ſuperficiem obtegente, parum confirmare, omnes artis periti conſentiunt, aliquam tamen ſuffuſionis ſiue cataractae ſpeciem ſiſtere, rei natura edocti concedunt.

§. 850.

Et vitreus humor in corporibus, quae impuris humoribus ſcatent, interdum ex vitio vniuerſali, interdum ex laeſione partiali, variis mutationibus et inquinationibus morboſis obnoxius eſt. Si enim eius pelluciditas obſcurarum particularum ſtaſi laeditur, ipſe vero glaucum magis colorem refert, glaucoma verum oritur. Cum autem interdum nimia lentis extenſio cum impuritate humorum con-

iunɛta ſit, et tunc quoque glaucum magis colorem referat, hoc etiam vitium a nonnullis glaucomatis nomine inſignitum eſt.

§. 851.

Quanquam vero omnes oculi humores ad viſum aliquid conferunt, lenti tamen cryſtallinae primarias partes tribuere ſolent, cum ſine ea viſus organon omni ex parte perfectum eſſe nequeat, ſed, ſi hic ſenſus exerceri debet, oculus aliis quoque indigeat auxiliis. Obfuſcationem igitur ſeu veram obſcuritatem, in lente cryſtallina deprehenſam, vnice ad veram ſuffuſionem ſeu cataractam referunt, alia vero impedimenta viſus, extra lentem in humoribus nata, cataractam ſeu ſuffuſionem ſpuriam dicunt.

§. 852.

Lentis autem fabrica compoſita eſt; membrana enim a vitreo humore deducta, et in duplicem laminam ceu capſam ſecedens, ipſam lentis ſubſtantiam pellucidam, exſiccatione et coctione tantum lamellatam reddendam, ſuſcipit, haec in medio denſior eſt, in ambitu autem tenui magis aquae ſimili humore cingitur, et ita in capſula ſua collocatur. Hinc accuratiores obſeruatores ad vitia lentis ipſius, aquae circumfuſae, et membranae inuoluentis, ſigillatim reſpexerunt.

§. 853.

Opaca igitur redditur membrana lentem inueſtiens, inprimis in parte anteriore, quae ſuffuſio membranacea dici poteſt; in aquoſa parte lentis, proprium corpus cingente et forte nutriente, purulenta, lactea et caſeoſa materia contrahitur, quae ſic dictas lacteas et purulentas ſuffuſiones efficit; opacitas tandem plus minus inſignis, in ipſa lente nata, veram cryſtallinam ſuffuſionem exhibet. Di-

uerſa

uerſa tamen haec lentis vitia, nonnunquam coniuncta, mixtam ſuffuſionem ſiſtunt.

§. 854.

Non quidem negandum eſt, a viris, in arte anatomica et chirurgica exercitatiſſimis, has differentias examinatas fuiſſe; cum tamen magis ex diſquiſitione corporum mortuorum, quam ex ſignis in oculo viui hominis definiantur, fateri omnino cogimur, hos oculorum affectus ratione diagnoſeos in maxima obſcuritate verſari. Nos itaque, qui tantos diſſenſus componere non audemus *), in genere tantum cauſas, et ex his diagnoſin et prognoſin diſquiremus, vt methodum medendi et per interna remedia, et per auxilia chirurgica externa, ſubiungere queamus.

*) vid. Diſſ. I. G. GÜNTZII, qua de ſuffuſionis natura et curatione animaduerſiones ſiſtit, Lipſiae 1750. Cap. I. De ſuffuſionis natura.

§. 855.

Iam quod ſenum lens marceſcit et obſcura redditur, ſucco circumfuſo parciore et ſpiſſiore facto, ſuffuſio praecipue ſenilis morbus eſt, ex marcore vniuerſali pendens: quanquam et praeterea variae cauſſae ſunt, quae lentis corpus in viſione praeſtanda intendunt et premunt, velut crebra lectio, vel tractatio minutorum aut ſplendidorum corporum, quibus certe haec et alia oculorum vitia citius inducuntur. Nec dubium eſt, corruptos humores, interdum ad ſubtiliſſima lentis et interni oculi vaſa ductos, pellucidas partes inquinare, vel ſtaſi obſcuriores reddere.

§. 856.

Non tantum enim huic inquinationi oculi obnoxii ſunt, qui ſeroſo et pituitoſo decubitu ad vniuer-

uerſum caput et nares potiſſimum afficiuntur, qui ophthalmias ſeroſas, chronicas et habituales experiuntur, qui cephalaeis ferme continuis vexantur, et quorum nerui, ad oculos deducti, ingrato conſenſu laeduntur, ſed et veneris abuſus ob inductam corporis imbecillitatem, morbi venerei ipſi, inprimis mercurialibus medicamentis ſemel iterumque tractati et diſcuſſi, labem internam oculorum afferunt. Hinc omnino patet, non tantum debilitatis cauſſas vniuerſales, ſed praecipue eas, quae malignos humores in oculum conuertunt, in geneſi ſuffuſionis conſiderandas eſſe.

§. 857.

Laeſio autem oculi, vehementi vel radiorum lucis, vel percuſſionis externae impetu affecti, et quoad internas partes inflammati, lentem quoque vitiat. Hinc enim pus circa lentis corpus colligitur, hinc lentis membrana vaſis ſuis inſtructa obſtruitur et obſcuratur, hinc ipſe lentis nucleus opacus redditur. Num membrana lentis, a valida oculi percuſſione rigeſcens, rumpi et inde viſus tolli poſſit? dubium eſt.

§. 858.

Ex his certe cauſſis diagnoſis morbi optime innoteſcit. Nam varia differentiarum ſigna, quae color lentis per pupillam conſpiciendus affert, ſaepe ſunt fallacia, et exercitatum in dignoſcendo exigunt chirurgum. §. 853. 854. Quae pedetentim naſcitur ſuffuſio, ea ſucceſſiuam obfuſcationem lentis indicat. Si tunc oculus a latere poſita melius videt, capſulam lentis ab obſtructione liberam eſſe apparet: ſin poſt magnas oculorum laeſiones ſubito, et intra paucos ſaepe dies, oculi acies hebeſcit, et breui lumen amittitur, membranam lentis quoque laeſam eſſe perſpicitur.

§. 859.

Prognoſin haec potiſſimum definiunt. Si oculi humores aliqua obſcuritate ex vitio humorum vniuerſalium affecti ſunt, diaeta exquiſita et idoneis remediis efficacioribus lentis vitium corrigi, eique claritatem reddi poſſe, experientia docuit; ſi vero ſenſim paulatimque, vel etiam ſubito viſus acies imminuitur, morbus ita increſcit, vt non niſi operatione chirurgica auferri poſſit. Hoc vero auxilium tantum in hominibus de reliquo ſanis, et pro aetatis ratione vegetis, locum habet, in imbecillis enim et morbo graui affectis ſymptomata, quae hanc operationem vtplurimum ſequuntur, peiora redduntur, et finis curationis raro vel nunquam attingitur.

§. 860.

Si oculi bulbus praeter ſuffuſionem naturali ſimilis, nec durus nimis, nec mollis deprehenditur, ſi ſuffuſionis color ex albo in coeruleum vergit, vel parum flaueſcit, ſi aliquis ſenſus lucis, ſed ſine omni dolore ſimul percepto ſupereſt, ſi pupilla vt in ſanis mobilis eſt, et in obſcuro loco expanditur, luce admiſſa ſubito contrahitur, operatio cum ſpe proſperi ſucceſſus ſuſcipi poteſt, contraria vero ſigna eam diſſuadent, inprimis ſi, ante natam ſuffuſionem, oculi ex aliis cauſſis iam hebetes fuerint.

§. 861.

Accuratior diaeta, et interna medicamenta, vel morbi initia eiusque cauſſas corrigunt et compeſcunt, vel, ſi demum ad operationem chirurgicam deueniendum eſt, corpus ad eam facilius tolerandam diſponunt. Qui ſuffuſionis initia ſentiunt, oculis nec legendo, nec alio negotio, quod intenſionem viſus exigit, vim faciant, in aere temperato et puro viuant, corpus moderate exerceant, victu modico et facile dige-

rendo

rendo potuque diluente vtantur, nimis ſubitaneam, praecipue radiorum lucis, vehementiam euitent, et reliquas etiam generales diaetae regulas accuratius obſeruent.

§. 862.

Remediorum laxantium, inprimis aquarum mineralium vſu, primae viae nonnunquam abſtergendae ſunt, praeterea tamen aluus auxiliis diaeteticis libera ſeruanda eſt; circulus quoque ſanguinis et humorum ita temperetur, vt placide ſuccedat; plethora, ſi qua eſt, venaeſectione, ſcarifatione et diaeta corrigatur, et vniuerſales motus apte dirigantur. Cantharidibus, fonticulis, et, ſi neceſſarium videatur, ſetaceo applicato, decubitus humorum ab oculis auertatur. Correctio humorum praeterea ad normam indicationum vniuerſalium diiudicetur, et ideo infuſa, decocta, aliaque medicamenta reſoluentia, immo ipſa mercurialia, diſpoſitioni corporis vniuerſae accommodata, propinentur. Specificam quandam vim diſſipandi initia ſuffuſionum millepedibus recentibus cum vino tritis, et matutino tempore hauſtis, tribuunt.

§. 863.

His praemiſſis, ad ſuffuſionis curationem, manu exercitata chirurgi praeſtandam, deueniendum eſt, in qua operatione et ratione inſtrumentorum, et ratione enchiriſium inſignis animaduertitur differentia. Deſcribamus igitur diu receptam medendi rationem in lente tota deprimenda, ſubiungamus eam, quae lentis corpus ex ſuo velamento excutit, et tandem addamus nouam operationis methodum, qua, cornea aperta, lens per pupillam eximitur.

§. 864.

§. 864.

Diſquiſito itaque oculi bulbo, et inprimis ſuffuſionis natura, num lens ad depreſſionem apta ſit, §. 860. et aegro, vt decet, praeparato, §. 861. 862. hic altero oculo deligato in minori, ſed ſatis firmo ſedili ita collocetur, vt a miniſtro et corpus, et praecipue caput, quietum contineri poſſit. Chirurgus in altiori ſedili ante aegrum ita collocetur, vt luce admiſſa omnes oculi partes bene diſtinguere queat. In eo tamen omnes non conueniunt, alii oculum luci opponunt, alii eius acceſſum tantum a latere admittunt, ne copioſior lux, poſt factam operationem irruens, teneras oculi partes nimis commoueat ac laedat.

§. 865.

Acus differentias, a variis chirurgis laudatas, coram explicabimus, nunc tantum monemus, eam, quae cuſpide paulo latiore et vtrinque depreſſa eſt, ob depreſſionem cataractae eo certius efficiendam, alteri, quae attenuatum tantum mucronem habet, praeferri, licet haec partes minus lædere videatur. Chirurgi exercitati, vna manu pro ratione oculi, qui tractatur, vel dextra vel ſiniſtra, digitis apte applicatis, palpebras diducunt, et aegrum monent, vt oculum verſus nares dirigat, poſtea manu vel libera, vel digito minori et annulari ad malam appoſitis, acum, quam reliquis digitis vt calamum ſcriptorium tenent, vno ictu in oculum immittunt, alii ſpeculo ſic dicto oculi bulbum et palpebras figunt.

§. 866.

Locus punctionis ad externum oculi angulum, duas ad minimum lineas a cornea diſtans, eligitur, ſi enim acus propius ad corneam immitteretur, ciliares proceſſus, vitreo humori et lenti appoſiti, laederentur. Tranſit itaque acus celeri et ſatis valido impe-

impetu directa, per ſcleroticam, choroideam et vitreum humorem, et ita in lentem obſcuratam adigitur, vt non nihil inuerſa, et apice deorſum inclinato, totum corpus lentis cum velamentis in partem inferiorem vitrei humoris deprimatur, eiusdemque cellulis non nihil laceratis, ita abſcondatur, vt in illa ſede maneat. Hoc facto pellucida reddita pupilla, et vitrei humoris parte in ſinum lentis affluente, radios lucis libere ſuſcipit oculus, aeger obiecta videre incipit, et curatio abſoluta eſt.

§. 867.

Lente ſic depreſſa, luci acceſſus ad oculum non diu concedendus eſt, acu potius ſubito retracta palpebrae claudantur. Ad inflammationem oculi, quae interdum oritur, cauendam, epithema ex albumine ouorum §. 782. optime applicatur, quod, dum ſicceſcat, ſaepius renouandum eſt: aeger vero in lectulo ita collocetur, vt caput erectum ſit, nec tuſſi, nec alia vehementi et oculo noxia commotione agitetur, ne lens obſcura depreſſa denuo vel tota, vel ex parte aſcendat. Hic ſitus ab aegro caute per plures dies conſeruandus eſt, donec optatus curationis ſucceſſus certo cognitus ſit.

§. 868.

Hac curationis methodo vſi ſunt multi chirurgi, ac ſaepe felici ſatis ſucceſſu et nunc quoque vtuntur. Quoniam tamen, lente cum velamentis auulſa, ſaepius proceſſus ciliares laeduntur, non vitreus tantum, ſed aqueus quoque humor in ſinum lentis confluit, haec ipſa depreſſa in fundo bulbi non ſatis figitur, et ſaepius non velamentum, ſed tantum corpus ipſum lentis obſcurum redditur, contra quod malum, e ſignis ſuis cognitum, §. 858. aliam

aliam et praeſtantiorem operationis rationem inuenerunt chirurgi recentiores.

§. 869.

Poſtquam enim acum ad poſteriorem lentis partem adegerunt, illam ita inuertunt, vt cuſpis ab inferiore parte ſurſum moueatur, et poſteriorem partem membranae lentis, a vitreo ſecedentem, diſcindunt et aperiunt, quo facto lentis corpus ſuffuſione laborans educunt, nec ad inferiorem partem deprimunt, §. 866. ſed ad latus oppoſitum deponunt, quo ibidem in vitreo humore detineatur, parte huius humoris tantum in capſam lentis vacuam admiſſa, quae quidem operationis ratio oculo maiorem claritatem et conſtantiam viſus promittit.

§. 870.

Quoniam vero recentiores chirurgi ſuffuſionis curationem his operationibus non recte ſemper abſolui cognouerunt, immo non raro obſcuram lentem, in ſenibus potiſſimum marcidam redditam, per pupillam in anteriorem oculi cameram recedere, inciſione in corneam facta demum eximendam, denique hanc inciſionem iam olim ſuſceptam fuiſſe, ſi ſanguis et pus in humore aqueo colliguntur; de cornea ad duas tertias in ambitu ſuo a ſclerotica ſeparanda cogitarunt, quo lentem marcidam factam per pupillam educerent.

§. 871.

Cl. DAVIEL hanc curationis methodum, multis experimentis comprobatam, cum academia regia chirurgica Pariſina communicauit, indicato ſimul apparatu inſtrumentorum, quibus cornea inciditur, inciſa eleuatur, et lens, niſi leni digitorum preſſioni cedat, membranam incidendo ſoluatur et eximatur *). Cum autem hic in cornea circumſcindenda forfici-

bus non nihil incuruatis vſus fuerit, id quod operationem non tantum protrahit, ſed corneae praeſciſſum marginem magis laedit, alii, qui hanc methodum perfecerunt, varia ſcalpella **), quibus cornea a ſclerotica celerius ſeparari poteſt, inuenerunt, et reliquum quoque apparatum quodammodo mutarunt. Quam quidem rem, cum in compendio vix tradi, nec, quaenam methodus praeſtantiſſima ſit definiri poſſit, adductis nonnullis recentiorum ſcriptis ***) explicaturi ſumus.

*) vid. Memoires de l'acad. roy. de Chirurgie a Paris Tom. II. p. 337. ſeqq. Tab. XIX. et XX.

**) l. c. p. 353. Tab. XX. et XXII. fig. 1 et 2.

***) Conf. Theſes ex anatomia et chirurgia de cataracta Praeſide I. B. A. ANDOUILLE, Reſp. *I. R. Tenon* Pariſiis 1757. 4. c. fig. et Theſes anatomico-chirurgicae de variis cataractam extrahendi modis. Praeſide R. B. SABATIER, Reſp. *P. D. Martin*, Pariſiis 1759. 4. c. fig.

§. 872.

Omnes hae medendi rationes tunc tantum locum habent, cum lens obſcura, et non nihil marcida reddita, e loco moueri poteſt: ſi vero eius ambitus augetur, vt vicinas partes premat, oculus durior redditur, et mole auctus digitis prementibus reſiſtit. Haec obſcuratio viſus a nonnullis glaucomatis nomine inſignitur. §. 850. Premitur igitur ab vna parte vuea et pupilla immobilis redditur, ex altera parte mediante humore vitreo retina ipſa preſſione laeditur, hinc ſenſus omnis perit, nullum auxilium certum applicari poteſt, et amauroſis inducitur, cuius declarationem, ex aliis quoque cauſſis petitam, paulo poſt exhibituri ſumus.

SECTIO VII.

DE MOTV OCVLORVM VITIATO.

§. 873.

Inſignis eſt partium oculi mobilitas, quae in tam vario corporis et obiectorum ſitu, varioque lucis acceſſu ad viſum, omnino neceſſaria eſt. Ea vero et a muſculis oculi bulbum dirigentibus, et ab vueae motu, in pupillae dilatatione et contractione conſpicuo, pendet. Nos, cum innumerae varietates laeſi huius motus inueniantur, primarias tantum indicabimus.

§. 874.

In ſano homine vtriusque oculi bulbus verſus idem obiectum dirigitur; qui ergo diuerſam directionem praeſtant, luſci et ſtrabones dicuntur. Luſcitatem quidem a ſtrabiſmo alii diſtinguunt, et in illa vnum tantum oculum extra axin verti aſſerunt, altero regulariter moto; in hoc vtrumque oculum in diuerſa trahi aſſumunt: ſed cum diſtinctio in curatione efficienda vix attendi mereatur, eam non vlterius vrgemus.

§. 875.

Strabones efficit potiſſimum praua conſuetudo, in infantia plerumque et puerili aetate, raro in adultiore contracta, qua non correcta, nec vitium tollitur. Nimirum ab initio, cum rem aliquam accurate intuentur, altero oculo in ea defixo, alterum in aliam partem detorquent; ac tum quidem auerſus oculus admonitione reuocandus eſt, aut vterque ſubito manu tegendus. Pupilla et axis viſus ad naturalem ſitum reduci poteſt, operculis in medio perforatis et

ope faſciae applicatis, idque eo facilius, ſi operculum annexam habeat laminam perforatam, quae hinc inde duci poteſt, quo ea ſucceſſiue ducta oculus ſenſim ad axin dirigatur. Sed vt haec correctio non ſemper procedit, ita nec tunc tolli poteſt vitium, cum ex laeſione interna vueae, vel lente cryſtallina non nihil e ſede dimota, diuerſa bulbi directio in viſu praeſtando neceſſaria redditur.

§. 876.

Praeſtantia viſus in eo poſita eſt, vt ſanus homo obiecta varie diſtantia intueri et diſtinguere poſſit. Myopes vero propinqua, presbytae remota diſtinctius vident, ad quam rem explicandam mutationes variae lentis in figura et denſitate expendendae ſunt, et praeterea aliae partium oculi diſpoſitiones concurrunt; attamen in priori vitio pupilla nimis dilatata, in poſteriori nimis contracta, in vtroque ſtatu quodammodo immobilis deprehenditur, ideoque facilem diametri pupillae mutationem haud admittit. Praeter alias itaque cauſſas haec denegata mobilitas et ad hemeralopiam ſeu viſum diurnum, et ad nyctalopiam ſeu viſum nocturnum, multum confert.

§. 877.

Si pupilla nimis dilatatur, mydriaſis inducitur, anguſtationem vero, vel aliquam, vel plenariam coalitionem, phthiſin vel ſynizeſin pupillae dicunt *). In ſpaſmo et rigiditate fibrarum ad muſcularem fabricam quodammodo accedentium, haec oculorum vitia poſita ſunt, quae cum ab initio potiſſimum mala conſuetudine inducantur, cohortationibus amicorum, et vera in rebus ſubtilibus obſeruandis diſtantia electa, nec non roborantibus vel relaxantibus medicamentis applicatis, forte corrigi poſſunt, obſir-

obfirmato tamen morbo nullam curationem admittunt.

*) vid. B. D. MAUCHART Diſſ. de pupillae phthiſi ſeu ſynizeſi, ſiue anguſtia praeternaturali et concretione. Tubingae, 1745. 4to.

SECTIO VIII.

DE HYDROPHTHALMIA ET HYPOPIO.

§. 878.

Humores oculi continua ſecretione et reſorptione limpidi conſeruantur; itaque ſi ſecretio recte ſuccedit, reſorptio tamen impeditur, augmentum humoris vel totum oculi bulbum, vel anteriorem partem diſtendit et protuberare facit. Si humor aqueus abundat, morbus cum hydrope conuenit et hydrophthalmia dicitur: ſi vero ex augmento omnium humorum oculi totus bulbus intumeſcit et protuberat, exophthalmia, ſiue oculus elephantinus nuncupatur.

§. 879.

Reſorptio apta humorum in hydrophthalmia interdum purgatione, per hydragoga excitata, reſtituitur, et vaſa flaccida epithematibus roborantibus §. 843. ad ſuctionem diſponuntur; hoc vero auxilio non ſuccedente, acu triquetra cum cannula applicata paracenteſis eo in loco inſtituitur, vbi in ſuffuſionis curatione acus infligitur, §. 866. Aquis eductis bulbus comprimatur, §. 844. quo robur fibris reddatur, ſi vero humores ſimul corrupti ſunt, et crebrior perforatio etiam in centro corneae inſti-

 tuen-

tuenda eſt, oculi fabrica ita deſtruitur, vt partes ſuum robur recuperare nequeant, ſed viſus prorſus tollatur.

§. 880.

Si ex graui et interna inflammatione oculi, vel ex effuſo in ſuffuſionis operatione ſanguine, pus in oculo contrahitur, hypopium oritur, quo proprie indicatur pus in anteriori camera haerens, in poſteriori empyeſin ſeu diapyeſin dicunt *). Diſcuſſioni ſanguinis extra vaſa miſſi conueniunt venaeſectio et fomenta reſoluentia, quibus ab initio fruſtra tentatis, ſi pus formetur, cornea in margine inferiori incidenda eſt, quo illud cum humore aqueo educatur; vulnus autem interea conglutinatur, et humor aqueus noua ſecretione reſtituitur.

*) vid. B. D. MAUCHART Diſſ. de Hypopio, et alia de Empyeſi oculi, Tubingae, 1742. 4to.

SECTIO IX.

DE AMAVROSI.

§. 881.

In variis oculorum morbis, de quibus hactenus diximus, tandem ob partium pellucidarum obſcuritatem viſu ſublato coecitas inducitur; ſi vero ex cauſſis, quae retinam et medullarem partem nerui optici in ſua origine et progreſſu laedunt, oculus caligat et ſenſim occoecatur, amauroſis et barbaro nomine gutta ſerena morbus dici ſolet. Nullae tunc in bulbo oculi, per pupillam conſiderato, apparent mutationis ſigna, praeter mydriaſin ſeu nimiam pupillae dilatationem §. 877.

§. 882.

§. 882.

Ad amauroſeos cauſſas itaque referri poteſt, quicquid vel vniuerſam neruorum vim infringit, et corpus debilitat, et ideo ſaepius praecipue neruum opticum laedit, v. c. apoplecticus et epilepticus inſultus, profuſio ſanguinis nimia, debilitas corporis e nimia venere, cet. vel ſpeciale impedimentum, quod neruum opticum ab ortu ſuo in cerebro, vsque ad progreſſum in retina, obſtruendo vel comprimendo afficit v. c. metaſtaſis materiae podagricae ad oculum, compreſſio per exoſtoſin vel alium tumorem in orbita.

§. 883.

Si ex cauſſa vniuerſali, ſanguini et ſero inhaerente, neque tamen adeo acri nec inueterata, amauroſis efficitur, curationis ſpes affulget; ſi vero maligna et acris materia et diu iam neruum opticum et retinam occupat, exigua vel nulla ſpes curationis ſupereſt. Compreſſio nerui a tumoribus latentibus vel exoſtoſibus, quae vix certo cognoſcitur, nunquam ex voto curatur. Remedia autem in graui hoc morbo eligenda non promiſcue tentanda, ſed, quantum fieri poteſt, cauſſae accommodanda ſunt.

§. 884.

In amauroſi, ab imbecillitate corporis et potiſſimum neruorum inducta, refectio corporis vniuerſi per nutrientia, ſenſim paulatimque exhibita, quaerenda eſt. Decubitus ſanguinei venaeſectionem et omnia ea, quae plethorae opponuntur, exigunt: ſeroſi vero interdum euacuationibus ſeroſis ſpontaneis vel arte adiutis diſſipantur, et forte hac in cauſſa mercurialis ſaliuatio tentari poteſt, inprimis ſi venereae infectionis ſigna adſint. Si ſerum acre et malignum in metaſtaſi materiae morboſae ad neruum opticum

ducitur, v. c. in ſcabie et podagra retropreſſa, deriuantia quidem veſicatoria, et alia tentanda ſunt, praecipue tamen de horum morborum vera curatione cogitandum eſt.

§. 885.

Externa quoque diſcutientia et deriuantia remedia non negligenda ſunt. Veſicatoria et magis ſetacea nuchae applicata vehementer deriuant, §. 520. ſeqq. Capiti tonſo poſt frictionem cucuphae, cataplaſmata et fotus diſcutientes apponantur. Thermarum ſtillicidia, et ſimilia, arte parata, tentari quoque poſſunt, §. 256. Cauteria actualia, vertici applicata, et neruos excitant, et magna exulceratione facta ſerum ſtagnans diſcutiunt. §. 531.

CAPVT VIII.

DE LINGVAE ET FAVCIVM MORBIS.

§. 886.

Varii omnino ſunt morbi, qui has partes afficiunt, ideoque ad normam generalem inflammationum, tumorum, vulnerum et vlcerum diſquirendi ſunt. Multa quoque, quae huc pertinent, a nobis in tractatione anginae (m. c. §. 302. ſeqq.) propoſita fuerunt. Nonnullae tamen ſuperſunt laeſiones, quae in hac tractatione commode repeti et addi poſſunt. Quam ob rem linguae reſolutionem, vulnera et vlcera, nec non tumores faucium, abſceſſus et ſcirrhos, inprimis ea ratione, qua ad chirurgiam ſpectant, breuiter examinabimus, et auxilia conuenientia declarabimus.

§. 887.

§. 887.

Frenulum linguae, nimis adſtrictum, in infantibus ſuctionem lactis, et in pueris accuratam verborum pronunciationem impedit, eius itaque relaxatio vel diſſectio inſtituenda eſt, quae forfice vel melius ſcalpello efficitur, et ita frenulum linguae nimis longum, vel adhaeſio eius praeternaturalis ſoluitur. Huic operationi interdum tutius praeſtandae apta ſunt inſtrumenta a PLATNERO deſcripta *).

*) vid. Inſt. Chirurg. rat. §. 607. Tab. V.

§. 888.

Inflammatio linguae collutionibus oris, emollientibus et diſcutientibus corrigitur: vulnera huius ipſa laeſi, ſed de reliquo ſani hominis ſaliua ſanat; illiniri tamen poteſt mel roſatum, eſſentia myrrhae et ſuccini interdum admixta; vlceribus mundandis myrrhae liquamen conuenit, in nimis impuris tamen, et vbi haec auxilia non ſufficiunt, cauſtica, v. c. lapis infernalis, cauta tamen manu applicanda ſunt. Nimirum cauendum eſt, ne his lingua nimis irritetur, quippe quae, duritie et ſcirrho inducto, facile ad vlcera carcinomatica diſponitur. Si dentes carioſi apicibus aſperis vlcera linguae faciunt et irritant, eueilendi ſunt.

§. 889.

Aphthae ſuperficiei internae oris, et linguae, et faucibus, etiam pharyngi et continuato oeſophago moleſtae ſunt: de qua re alibi diximus (m. c. §. 736. ſeqq.). Si ex primarum viarum vitio pendent, blanda alui ductione; ſi ex lympha viſcida et acrimonia inquinata oriuntur, medicamentis eam corrigentibus primario coercendae ſunt. Externam

curationem ſi reſpicias, emolliendo quidem ardor inſignis, qui cum iis coniunctus eſt, tollitur, ſed collutionibus oris hunc in finem applicatis ſaepe nimium increſcunt; tutius itaque eſt, emollientibus roborantia miſcere, et putredini latenti reſiſtere, hinc raphani ſuccus cum melle illiniatur, vel ſpiritus vitrioli gargariſmatibus admiſceatur.

§. 890.

Tonſillarum et freti oris leuior inflammatio, gargariſmatibus diſcutientibus, ex ſaluiae vel ſimilium herbarum decocto, adiecto melle, corrigitur, tumoribus ſeroſis et oedematoſis herba brunellae et alia roborantia magis conueniunt. Vlcera et excreſcentiae fungoſae, quae a venerea cauſſa potiſſimum oriuntur, decocto ligni guaiaci meraciore, penicillis excepto, deterguntur, his tamen et aliis externis remediis nihil efficitur, niſi vniuerſalia medicamenta, huic morbo opponenda, ſimul adiungantur. (m. c. §. 526. ſeqq.).

§. 891.

Inflammatio grauior, quae venaeſectione et aliis aptis auxiliis non reſolui poteſt, ad fauces et tonſillas praecipue abſceſſus contrahit, qui ad maturitatem accedentes ſaepe ſponte rumpuntur: ſi vero nimius tumor omnem deglutitionem impedit, vel interdum viam aeri ipſi praecludit, abſceſſus ſcalpello ancipite aperiendus eſt. In hunc finem varii pharyngotomi inuenti ſunt. Lanceola ſcilicet, vagina tecta *), elaterem in manubrio comprehendit, quo vaginae extremo ad locum affectum applicato, preſſo manubrio cuſpis exeat, et inciſionem ſine partium vicinarum laeſione praeſtet.

*) Si vaginae lamina tenuis ouata vel cordiformis affixa eſt, lingua, quae ſaepius impedimento eſt, melius, quam ſpatula peculiari, deprimi poteſt.

§. 892.

Si in glandulis faucium, praecipue tonſillis, inflammatio profunda, per reprimentia intempeſtiue applicata in ſcirrhum mutata fuit, hic difficulter reſoluitur, ſaepe etiam remanet, licet mercurialia aliaque medicamenta magna cum cura applicentur: itaque, inprimis ſi inueteratus eſt, non moueatur, §. 206. interdum tamen, vbi anguſtae baſi adhaeret, operatione chirurgica caute ſuſcepta exſcindi poteſt.

§. 893.

In morbis faucium et vicinarum partium tantus ſaepe tumor oritur, qui aperturam oris, ſiue maxillae inferioris deſcenſum, haud permittit, auxilia itaque ad loca affecta non, vt decet, applicari poſſunt, niſi os ferramento, quod ſpeculum oris dicunt, introducto diſtendatur. Laminae ſcilicet duae ferreae, crenis profundioribus transuerſis inſtructae, quo inter dentes dimitti et detineri poſſint, extrorſum mediante trochlea coniunguntur, cuius ope laminae a ſe inuicem, et per eas maxilla inferior a ſuperiori, deduci poteſt.

§. 894.

Si vlcera, in pharynge profundius ſita, purganda ſunt, penicillis lineis, virgae balenariae affixis, medicamenta varia excipienda, et ad loca affecta vsque deferenda ſunt. Idem faciendum eſt, ſi oſſicula et alia corpora peregrina in imis faucibus haerent, nec ſurſum tolli et extrahi poſſunt: tunc enim ſpongia oblongo-rotunda. virgae balenariae bene affixa, et

oleo

oleo madida, corporis peregrini depreſſio in oeſophagum tentanda eſt. Excutia ventriculi *) inſtrumentum eſt, quod ſimili modo per oeſophagum in ventriculum immittitur, illoque irritato nauſeam et vomitum excitat.

*) vid. HEISTERI Chirurgia Cap. C. p. 716. Tab. XXI. fig. 11.

CAPVT IX.

DE POLYPO NARIVM.

§. 895.

Omnis tumor, in cauitate narium et in ſinubus vicinis inuentus, generali nomine polypi inſignitur; eſt tamen aliqua differentia attendenda. Tumores enim duriores, et latiori baſi inhaerentes, ſarcomata potius narium dicuntur; molles vero ſubito increſcentes, et facile ſanguinem fundentes, fungi appellari poſſunt; polypi tandem ſtrictiori ſenſu vocantur tumores longi mediae conſiſtentiae, variis radicibus tunicae pituitariae inhaerentes, et ex cauo narium ſaepe propendentes. Nihilominus in hac differentia quaedam ſimilitudo cauſſarum, ſymptomatum et curationis deprehenditur.

§. 896.

Tunica pituitaria, cuius fabrica admodum laxa eſt, ex nimio acris muci affluxu, non expedite euacuato, non tantum intumeſcit, ſed hanc ob cauſſam variis excreſcentiis ſaepe occaſio praebetur. Metuendus quoque interdum ex obſtructione in hac tunica glanduloſa eſt ſcirrhus: in haemorrhagiis narium pro-

profuſioribus, inprimis ſi adſtringentibus applicatis repreſſae ſint, frequentiſſima polypi cauſſa quaerenda eſt. In morbis quoque venereis, in primis iis, qui ozaenam (m. c. §. 707.) coniunctam habent, ſi oſſa ſuppoſita ſimul vitiantur, peſſima etiam polyporum geneſis obſeruatur.

§. 897.

Polypi, ab initio increſcentes, vt plurimum ſine dolore ſunt, niſi malignitas acceſſerit. Et ipſi interdum increſcunt, interdum iterum decreſcunt, idque vel maiori vel minori cum celeritate; ſi vero mole augentur, partes vicinas premunt, et ex naribus et choanis ſaepe propendent. In ſinuum cauis haerentes tenera oſſa diſtendunt, et tumores inſignes efficiunt. Ex iis ſaepe ſanguis vel ſponte, vel poſt irritationem et laeſionem, et, ſi crebrius hoc accidit, non ſine periculo fluit.

§. 898.

Tenerae radici adhaerens polypus, ea euulſa ex voto tollitur, relicta tamen radice incrementum nouum capit. Fungoſi et nimis molles polypi haemorrhagia crebriore moleſti ſunt; ſcabri et ſcirrhoſi non ſine multo periculo tentantur, et vtplurimum carcinomatici fiunt; ſubrubri et quodammodo reſiſtentes melius extrahuntur; in ſinubus abſconditi attingi non poſſunt, ideoque ſine medela increſcunt, et haemorrhagiis crebrioribus obortis aegros vel ſubito conficiunt, vel in tabem coniiciunt.

§. 899.

Optima curatio eſt in euulſione et exſtirpatione polypi, qui volſella idonea et ad polypos extrahendos inuenta, planis cruribus intus non nihil ſcabris inſtructa, quantum quidem fieri poteſt, proxime ad radicem arripitur, et ita ſuſpenſa manu non tantum

tum trahitur, ſed ſimul quodammodo contorquetur: hac enchireſi aliquoties praeſtita tandem totus euellitur. Si aliquam radicis partem relictam eſſe conſpiciat chirurgus, illam adurentibus et digerentibus caute applicatis tollat.

§. 900.

Si ad minoris tumoris radicem, etiam quodammodo latiorem, ſcalpello peruenire poſſumus, hic exſcindi, et vulnus cicatrice inducta ſanari poteſt. Si per canalem ad radicem medicamenta cauſtica, v. c. lapis infernalis, applicari poſſunt, illa caute aduritur, et ea exſiccata ipſe tumor marceſcit et decidit. Idem valet de ligaturis, variis adminiculis radici applicandis. Ad loca vero oculis non patentia ſcalpello et cauſticis penetrare, inconſultum eſt. Filo per nares ad choanas ducto etiam puluilli applicantur, quibus ſiccis appreſſis vel haemorrhagia coercetur, vel medicamenta arrodentia et alia ingeruntur, et loco affecto caute applicantur. Si his forte nares internae nimis irritantur, aqua calida, vel lacte, aut infuſo emolliente, iterum eluantur.

CAPVT X.

DE DENTIVM MORBIS.

§. 901.

Varia ſunt incommoda, quibus dentes et partes iis vicinae afficiuntur, nec raro dolores acerbiſſimi gignuntur. In his diiudicandis primo quidem ad dentitionem difficilem reſpiciendum erit, quo facto morbi, ad radicem dentis et in gingiuis oriundi, conſiderari, tandem ipſa coronae dentis laeſio examinari meretur.

§. 902.

§. 902.

Dentes infantum et puerorum, ſub gingiuis latentes, has vehementer extendunt, quod etiam adultis interdum in dentium poſteriorum tardiori eruptione accidit, eaque tenſio ob neruos irritatos dolorem aliaque incommoda, et in teneris infantibus praecipue motus conuulſiuos vniuerſales excitat. Accedit interdum ſeri acris congeſtio, quae, cum ex vniuerſali humorum dyſcraſia pendeat, vel demulcentibus lenienda, vel potius purgationibus alui, aetati et viribus accommodatis, deriuanda eſt. In adultis plethoricis venaeſectio interdum morbi impetum leuat.

§. 903.

Tenſio nimia emollientibus lenienda eſt. Quam ob rem lac cum caricis pinguibus, vel emollientibus leniter anodynis, v. c. floribus ſambuci coctum, ore contineatur: quod cum a teneris infantibus vix fieri poſſit, eorum gingiuis potius mel crebrius affricetur. Eruptio autem dentis preſſione, vel frictione cum duro corpore adiuuatur, quae non continua ſit, ne gingiuae occalleſcant, ſed per interualla fortius premendo repetatur. Si dens ferme eminet, et per membranam albicantem et quaſi corneam transparet, inciſio cum lanceola, dentis ſuperficiei proportionata, fiat. Si inciſiones crebriores, ſeu ſcarifationes in molles adhuc gingiuas fiunt, hae iterum occalleſcunt, et dentem cicatrice tegunt, qua de cauſſa ſubſequens eruptio difficilior redditur. In dentium poſteriorum eruptione difficili aliquoties abſceſſum, ad latus radicis linguae formatum, vidimus, pharyngotomo, ſi opus eſt, aperiendum. §. 891.

§. 904.

§. 904.

Aqua tepida, vel melius frigidiuſcula, et matutino tempore, et poſt paſtum os eluatur, vt dentes, a muco adhaerente ſordidi, abſtergantur et ſimul gingiuae roborentur; ſi mucus tenacius adhaeret et liuidos dentes reddit, pulueres dentifricii, ex terreis non nimis aſperis particulis, vel ſicci, vel melle excepti conueniunt, os tamen poſt eorum vſum ſemel iterumque eluatur. Tartarus ad radices dentis adhaerens gingiuas ab iisdem dimouet, ideoque inſtrumentis variae figurae caute abradendus, et gingiuarum caro nimis laxa ſcarifatione firmior reddenda eſt. Adhibeatur quoque tinctura gummi laccae, vel ſimilia roborantia medicamenta.

§. 905.

Si haec dentis mundities negligitur, augmento muci et tartari gingiuae et dentium radices laeduntur. Aliae tamen cauſſae pariter eas infeſtant, dubium enim non eſt, has partes nimio calore cibi et potus, vel refrigerio ſubitaneo irritari, et congeſtiones ſanguineas et ſeroſas eo duci; quae quidem res cum dolores dentium ſaepe vniuerſales inducat, generalem quoque medendi rationem, vt venaeſectionem, ſcarifationem, purgantia aluina, veſicatoria, cet. exigit. Triſte ſcorbuticorum ſymptoma eſt vacillatio dentium, cum acri humore, ad alueolos haerente, coniuncta.

§. 906.

Saepius ad radicem dentis vnius, vel quorundam, tumor in gingiuis cum inflammatione ſurgit, qui parulis dicitur; interdum quidem diſcutitur, non raro tamen in abſceſſum abit, qui, pure euacuato, conſolidationem admittit, Si profundius haeret et pus coctum non protinus educitur, alueolus ipſe diſtenditur,

et

et vlcus fiſtuloſum formatur, quod non niſi dente euulſo et laminis alueolorum cum pure ſecedentibus, mundum redditur et ita ſanatur. Caro gingiuarum quoque luxuriat, vel interdum ex cauo dente carioſo propullulat, et tumorem vel duriorem, vel fungoſum format, qui epulis dicitur, et ſcalpello ad radicem vsque remouendus eſt. Minores hi tumores et cauſticis interdum compeſcuntur, dummodo os vicinum non vitiatum ſit.

§. 907.

Ad dentis ipſius, inprimis coronae, laeſionem nunc accedimus. In huius eburnea ſubſtantia interdum macula nigra oritur, quae in principio ſcalpello radenda et detergenda eſt, ne profundius penetret, ideoque caries increſcat, et paruo foramine facto ad cauum dentis ſubdole progrediatur. Paruula haec foramina filo plumbeo, vel potius aureo, introducto et fortius impreſſo ita obturantur, vt cariei progreſſus per plures annos cohibeatur. Si, inprimis in dentibus molaribus, ſinus magnus fit, cauum carioſum, ad aeris acceſſum auertendum, lamina plumbi vel cera repletur, quanquam hoc auxilium breue eſt, et dens totus ſucceſſiue eroditur, fragilis redditur, et per partes ſecedit.

§. 908.

Caries, ad membranam dentis internam vsque penetrans, dolorem ſaepius adeo vehementem efficit, vt euulſionem dentis laeſi poſtulet. In quo non conuenit vti forcipe curuo et in apicibus ſulcato, niſi forte iam vacillet dens, cum ſaepe corona iam caua comprimatur, vel radice relicta auferatur. Praeſtantiora ſunt inſtrumenta, quae fulcrum vel recta ex oppoſito, vel a latere, ad maxillam applicant vnco in apice ſulcato ſupra dentem euellendum appli-

cato, et hoc laterali preſſione e ſede dimoto. Vnica radice praeditus dens, vel radices eroſae relictae, inſtrumento apice inflexo et bifido e ſede ſua vrgentur *).

*) Apparatum inſtrumentorum ad dentium curationem adhibendorum vid. in PIERRE FAUCHARD Chirurgien dentiſte, Paris 1728. 8.

§. 909.

De evellendis dentibus varia moneri poſſunt, ſed nos praecipua indicabimus. Gingiuae ad radicem vsque ſeparandae ſunt, quo vncus proxime ad maxillam in radicem applicari queat. Antequam dens euellatur, radix diiudicetur, cuius indoles ex amplitudine alueoli quodammodo colligitur; varie enim incuruatae, vel, quod rarius eſt, in globum auctae radices euulſionem vix permittunt: videndum potius tunc eſt, num agitatione ſucceſſiua quodammodo e ſede moueri queant. Dentes puerorum, ad alteram dentitionem progredientium, vi adhibita euellendi non ſunt, cum ſubſequens tenerior ſaepe laedatur, vel ſimul auferatur. Haemorrhagia nimia a laeſa arteria, per canalem maxillae inferioris excurrente, interdum lethalis fuit, mitior contra vel ſpiritu vini, vel aceto, vel alio liquore ſtiptico in ipſum alueolum immiſſo, coercetur.

§. 910.

Dentes, qui euelli nequeunt, carie tandem exeſi per partes ſecedunt. Munditiei tamen ratio habenda eſt, ne foetor oris inde moleſtus excitetur. Aſperae etiam et prominentes coronae partes, quae linguam et membranam oris laedunt, §. 888. lima quodammodo abradendae ſunt. Dentium vnius vel plurium defectum artificiales ex ebore facti compen-

ſant

ſant qui vario modo ad vicinos ſanos, vel ad palatum et maxillas affiguntur; in his tamen conſeruandis mundities quoque ſedulo eſt obſeruanda.

CAPVT XI.

DE FRACTVRA MAXILLARVM.

§. 911.

Fractura oſſium maxillae ſuperioris ex vulnere vel contuſione ſimul inflicta diiudicatur. Partes vicinae itaque, arteriae, nerui, muſculi, nec non tunica pituitaria, quae ex laeſione, qua maxillae oſſa fracta ſunt, ſimul afficiuntur, praecipue attendendae ſunt. Cum vero hae laeſiones vtplurimum a vulneribus ſclopetorum oboriantur, vel iis ſimiles ſint, doctrina generalis §. 414. ſeqq. propoſita hanc tractationem ſatis illuſtrat. De oſſium tamen naſi fractura quaedam ſigillatim proponenda ſunt.

§. 912.

Oſſa naſi, vt e ſuprema ſede iuxta os frontis vix dimouentur, ita in parte inferiori, vbi cartilaginem coniunctam habent, interdum franguntur, et, cum ibi maxima vis applicetur, ſaepe tunica pituitaria interna ſimul laeditur, et haemorrhagia narium vix compeſcenda oritur. Hae laeſiones magna cum attentione tractandae ſunt, ne polypus ſimiliaque narium vitia §. 895. ſuperueniant, vel, cum os denudatum ſit, illud carie afficiatur, lenta demum exfoliatione reſoluenda. Hanc ob cauſſam certe non pinguia digeſtiua, ſed aqua vulneraria, interdum balſamicis mixta, applicanda eſt.

§. 913.

Oſſis autem depreſſi fragmentum ſpecillo, linamentis obuoluto et in nares introducto, eleuetur, et depreſſae partes preſſione extrorſum facta in veram ſedem reducantur, digitis chirurgi externe non nihil renitentibus. Caua narium libera relinquenda ſunt, cum fiſtulis plumbeis, alioque diſtendente apparatu introducto, tunica pituitaria vexetur, extrinſecus vero praeter pannos et chartam glutinatam, figurae naſi accommodatam, faſcia apta applicetur.

§. 914.

Si maxilla inferior vehementi ictu frangitur, partes tamen conſiſtunt, os fractum in quiete ſeruetur, quo definito tempore iterum occalleſcat; ſi vero fragmenta varia e ſede mouentur, tunc arteriae vel nerui per canalem maxillae excurrentis laeſio triſtes ſaepe haemorrhagias et motus conuulſiuos excitat, quibus ſuccurritur, ſi partes ſubito in priſtinam ſedem reponuntur, et inſuper auxilia, his incommodis tollendis idonea, applicantur.

§. 915.

Digitis itaque, linteo obuolutis, in oris cauum dimiſſis, fragmenta extrorſum premantur, externa et oppoſita preſſione in ſitum reducenda. Si nullum vulnus acceſſit, pannis complicatis et charta conglutinata apte accommodata oſſium ſitus retinetur, faſcia, quam capiſtrum dicunt, applicata. Aeger autem nec loquendo, nec mandendo maxillam moueat, ſed ad conſolidationem vsque quieſcere patiatur, quam ob rem non niſi molli et fluido victu conſeruandus eſt. Si vulnera coniuncta ſunt, eorum quoque ratio habenda eſt, quo medicamentis aptis ſanentur.

CAPVT

CAPVT XII.

DE LVXATIONE MAXILLAE INFERIORIS.

§. 916.

Maxillae inferioris condylus, cartilagine oblonga et vtrinque depreſſa intercurrente, tuberculo transuerſo oſſis temporis prope proceſſum iugalem collocato articulatur, et cum firmitate mobilitatem coniunctam habet. Retrorſum *) et ad latera vix dimouetur, antrorſum vero, inprimis ſub oſcitatione vehementi, interdum luxatur; ore tunc aperto, et maxilla antrorſum prominente, aeger loqui non poteſt, etiam ſaliua copioſa effluit. Si condyli in vtroque latere dimoti ſunt, antrorſum; ſi vero ab ictu laterali vehementi vnus tantum dimouetur, lateraliter eminet maxilla.

*) Maxillam quoque retrorſum dimoueri poſſe, ZACHARIAS VOGEL, Medicus Lubecenſis, proponit *in anatomiſchen, chirurgiſchen und mediciniſchen Beobachtungen.* Roſtock. 1759. 8uo. p. 217. et, cum os tunc clauſum ſit, emollientibus medicamentis, ad condylos maxillae applicatis, ligamenta relaxanda eſſe monet, antequam reductio tentetur.

§. 917.

Chirurgus vero, in reponenda maxilla occupatus, caput retroflexum tenere iubeat, ipſe pollices linteis obuolutos dentibus applicet, et maxillam, ante tuberculum eleuatam, deprimat, reliquis vero digitis et palma manus maxillam ita contineat, quo paululum depreſſa iterum retrorſum pelli poſſit. Si vnus tantum condylus dimotus eſt, difficilior fit repoſitio, cum ex vna parte retineri, ex altera

tera vehementius duci et reponi debeat maxilla. Poſt repoſitionem maxilla libere mouetur, ſi tamen ad debilitata ligamenta reſpexeris, optimum eſt, maxillam per aliquot dies faſcia, quam fundam dicimus, coercere.

TRACTATIO III.

DE COLLI MORBIS.

§. 918.

In hac tractatione potiſſimum ad vertebrarum colli laeſiones, vel a fractura et luxatione, vel ab actione muſculorum collum et caput dirigentium impedita, reſpiciemus, et abſoluta vulnerum caſu fortuito inflictorum generali conſideratione, etiam tracheotomiam, vt vulnus artificiale, explicabimus, tandem nonnulla de ſcrophulis ſubiuncturi ſumus.

CAPVT I.

DE FRACTVRA ET LVXATIONE VERTEBRARVM COLLI.

§. 919.

Prima colli vertebra occipitis oſſi firmiter adhaeret, et motum exiguum antrorſum et retrorſum permittit; ſecunda quidem cum prima multis ligamentis connexa, et praeterea proceſſu odontoideo firmata eſt, attamen ob planam et horizontalem

ferme

ferme proceſſuum articularium appoſitionem, qua motus ad latera facilis redditur, valida extenſionis cauſſa accedente, interdum luxatio euenit, vel vehementer relaxatis, vel prorſus ruptis ligamentis: quae tamen ob compreſſionem medullae ſpinalis tantum non ſemper ſubito lethalis eſt. Reliquae colli vertebrae adeo firmis ligamentis et muſculis connexae quidem, neque tamen ad tam amplos motus diſpoſitae ſunt, vt luxatio, ſine vehementi ligamentorum dilaceratione et fractura eueniens, in iis vix locum habere videatur.

§. 920.

Si lapſu ex alto vel alio impetu collum vehementer concutitur, vel aliae partes corporis ſimul male afficiuntur, et mors acceleratur, vel ex fractura proceſſuum transuerſorum, qui vaſa vertebralia transmittunt, vel corporum ipſorum tanta oritur laeſio, quae ſubitaneam mortem inducit. Vidimus nos vertebrarum colli fracturam, quae ab initio quidem mente non moueret aegrum, ſed paraplegia vera afficeret, (m. c. §. *629*) denique poſt ſedecim horas praegreſſo delirio extingueret. De curatione itaque per artem praeſtanda in triſti hac fractura vix cogitari poteſt, cum ſymptomata nimis celeriter increſcant et aegrum abripiant.

CAPVT II.

DE CAPITE OBSTIPO.

§. 921.

Et ex muſculorum per collum excurrentium vitio, motus ceruicis et inde capitis laeditur, cum iis, inprimis maſtoideo, ab vno latere vel diſſectis, vel reſo-

reſolutis et paralyticis factis, oppoſiti fortius trahantur, et ita caput vario modo obſtipum reddatur. Muſculis paralyticis fomenta roborantia et ſinapiſmi excitantes applicandi ſunt, in oppoſita vero parte emollientia rigiditatem tollunt. Faſcia quoque caput, ob curuatum collum in vnum latus inclinans, in rectum ſitum reducendum eſt. Cutis colli, poſt ambuſta nimis contracta, ſimile ferme vitium inducens, vel relaxanda vel inciſione facta diſtendenda eſt.

CAPVT III.

DE VVLNERIBVS COLLI.

§. 922.

Grauia omnino ſunt vulnera, quae ceruici et collo infliguntur, quoniam praeter muſculorum laeſionem, et arteriae carotidis et iugularium venarum rami vel trunci, immo nonnullae neruorum propagines, varie diſſecantur et vulnerantur; ex his itaque haemorrhagia vel lethalis vel maxime debilitans, etiam conuulſiui motus oriuntur. Cum vulnera oculis pateant, curationis ratio ex iis petenda eſt, quae de vulneribus in genere, §. 339. ſeqq. de haemorrhagia vulnerum, §. 369. ſeqq. et de dolore neruorumque diſtenſione. §. 386. propoſuimus. Muſculorum inprimis laxatorum vitia faſciis apte applicatis, quantum fieri poteſt, corrigantur.

§. 923.

Et ſtomachus ſiue gula interdum laeditur; cum itaque alimenta et potulenta facile per vulnus effluant, ea parcius, et, vt vita tantum ſeruetur, propinan-

pinanda ſunt. Quam ob rem ad nutritionem adiuuandam clyſmata quoque nutrientia ex iuſculis, praemiſſis aliis abſtergentibus, iniicienda ſunt. Vulnus alimentis aſſumtis ita abſtergendum eſt, vt medicamentis idoneis ſanari poſſit. Faſcia interea ita circumducatur, vt capite ad pectus depreſſo labia vulneris ſe inuicem contingant, et ita conſolidatio acceleretur.

§. 924.

Aſpera arteria tota et gula poſterius ſita non diſcindi poſſunt, niſi carotidis truncus, cuius vulnera abſolute lethalia ſunt, ſimul laedatur. Leuiter laeſa aſpera arteria, obſeruata apta medendi methodo, iterum coaleſcit, de qua re in tracheotomia nunc declaranda expoſituri ſumus. Aſperam arteriam ex parte tegens thyroidea glandula, ſi vulnere laeditur, difficulter ſanatur, et haud raro mala vlcera relinquit.

CAPVT IV.

DE TRACHEOTOMIA.

§. 925.

In angina inflammatoria, et tumore fauces occupante, vel corpore peregrino ex deglutitionis vitio ad glottidem haerente, ſpiritus ita praecluditur, vt ſuffocatio immineat, niſi trachea ſeu aſpera arteria incidatur, quo aer per nouam viam pulmones intrare et ita reſpirationis negotium continuari queat, quam operationem chirurgicam bronchotomiam ſeu tracheotomiam appellant.

 §. 926.

§. 926.

Si aer ex faucium et laryngis tumore tantum praecluditur, aegro apte collocato, et capite non nihil reclinato, inciſio longitudinalis a cricoide cartilagine deorſum per integumenta et forte partem glandulae thyroideae fit, qua quidem vaſa huic glandulae vicina et nerui recurrentes minime laeduntur, muſculi vero ſubiecti illaeſi commode reclinantur. Haemorrhagia tunc oboriunda ſpongia, alcohole vini madida, coercetur et inciſio transuerſalis *) inter tertiam circiter et quartam cartilaginem, qua tamen ipſae cartilagines non laeduntur, infligitur.

*) Tutius eſt, aſperam arteriam ita incidere, quam acum triquetram cum cannula ſimul ingerere.

§. 927.

Cannula tunc recta, vel non nihil incurua et compreſſa, apice coeco quibusdam foraminulis inſtructa, labiis vtrinque eminentibus externe firmanda immittitur et adaptatur, confinia, ne labia vulneris comprimant, linamentis carptis obteguntur, et apparatus omnis emplaſtro foramine inſtructo tegitur. Super fiſtulae et emplaſtri foramen inducitur rara ſindon, aerem tantum transmittens, et apparatus hic relinquitur, donec cauſſa impeditae reſpirationis in faucibus et larynge ſublata ſit, quo facto cannula eximitur, et vulnus iterum conſueta medendi ratione ad conſolidationem ducitur.

§. 928.

Interdum ſi oſſis pars, vel aliud corpus peregrinum, praepoſtera deglutitione in laryngem et aſperam arteriam penetrauit, quod per vulnus inflictum eximen-

mendum eſt, inciſio etiam longitudinalis in aſperam arteriam per vnam vel alteram cartilaginem continuata infligenda eſt, quo volſella vel hamulis admotis illud extrahatur *). Ea vero curationis ratio tardior et difficilior eſt, quod margines cartilaginis diſciſſae vt plurimum exfoliatione ſecedunt.

*) Similem caſum deſcripſit IOH. MICHAEL ENGEL, Chirurgus Auguſtanus *im Sendſchreiben an D. G. U. SCHMIDT, von einem aus der Luftröhre durch die Operation der Tracheotomie glücklich heraus genommenen Beine. Augſpurg.* 1750. 4to. c. tab. aen.

CAPVT V.

DE SCROPHVLIS.

§. 929.

Glandulas varias colli ex vitio lymphae ibi ſtagnantis tumidas fieri, alibi iam indicauimus, §. 287. quod ſi vero glandula thyroidea primario intumeſcat, vel ex huius vitio vicinae conglobatae, immo ipſae ſaliuales, ſimul corrumpantur, tumor in anteriori parte colli natus ſcrophula dicitur, ſtruma enim et bronchiocele vt ſynonyma vſurpantur. Eſt quidem differentia tumoris, cum interdum verus ſcirrhus in ipſa glandula eiusque partibus inueniatur, interdum materia viſcida et craſſa in cellulari glandulae contextu tantum colligatur, ſed haud raro complicatus morbus ſe offert, diſtinctionem veram haud admittens.

§. 930.

§. 930.

Cauſſae tumorem efficientes in vitiatis ſuccis lymphaticis in primis quaerendae ſunt, ideoque regionum montoſarum incolae, qui aquas ſaepe limoſas bibunt, v. c. Tyrolenſes, huic morbo prae reliquis obnoxii ſunt, et ſcrophulas, in inſignem molem extenſas, vt vitium endemium, gerunt. Ad cauſſas tamen alias occaſionales et praediſponentes, v. c. ad extenſionem colli et peculiarem partium in foeminis laxitatem, reſpiciendum ſimul eſt, cum hae potiſſimum vel a ſitu peruerſo dormientium, vel a capite in partu nimis reclinato, malo generando anſam exhibeant.

§. 931.

Tumor colli ſaepe ſine multo incommodo increſcit, et ita ſubſiſtit, vt ab incolis quarundam regionum, in quibus tumor praeter modum eminet et dependet, ne de curatione quidem cogitetur. Cum vero ſcrophulae non niſi in principio veram medelam admittant, et in incremento aucto tumor ſaepe totum collum ad pectus vsque occupet, et laryngem et aſperam arteriam comprimat, ideoque aegros aſthmaticos reddat, et ad ſuffocationis metum deducat, de curatione et iam mox in principio videndum eſt.

§. 932.

Imminente malo, praeter decocta diluentia et reſoluentia aliaque medicamenta lympham corrigentia, §. 296. ſeqq. pulueres ſpongiae marinae, igne ſuppreſſo combuſtae, vt ſpecificum laudantur, externe vero vnguenta mercurialia et ex oleis empyreumaticis parata commendantur, cauendum tamen eſt, ne frictione nimia acceleretur tumoris augmentum, quae non niſi materia mobili reddita ſuſcipienda eſt. Applicato inſuper emplaſtro diaſulphuris

RULANDI, vel alio potentius reſoluente, moderata compreſſio admittenda eſt. Exſtirpatio tumoris vel partis cuiusdam ſcalpello perficienda ex peculiari tumoris ſede diiudicanda, et, cum vaſa maiora non niſi cum metu magnae haemorrhagiae laedenda hic excurrant, caute ſuſcipienda eſt §. 301. 302.

TRACTATIO IV.

DE PECTORIS MORBIS.

§. 933.

In hac tractatione mammarum morbi primo diſquirendi ſunt, quippe qui inter glandularum vitia peculiarem exigunt attentionem; quo facto fracturas et luxationes oſſium, pectoris compagem efficientium, diiudicabimus, et de gibberoſis ſimul acturi ſumus; vulnera porro pectoris examinabimus, quo tandem empyematis operationem ſubiungere queamus.

CAPVT I.

DE MAMMARVM MORBIS.

§. 934.

Glandulosa ſubſtantia, quae corpus mammae conſtituit, copioſa pinguedine obuoluta eſt. Etſi autem illa a glandularum conglomeratarum fabrica non nihil differre videtur, omnibus tamen mutationibus morboſis, quibus glandulae illae obnoxiae ſunt, affici

affici poteſt. Cum itaque inflammatio glandularum, et haec vel in ſuppurationem, vel in ſcirrhum mutata, a nobis alibi diſquiſita, §. 181. ſeqq. hic quoque attendi mereatur, vtilem tamen hanc doctrinam paucis repetendo, nonnulla, quae mammarum morbos ſpeciatim concernunt, monita adſpergere conabimur.

§. 935.

Mammas autem non tantum contuſiones, vulnera et aliae externae iniuriae laedunt, ſed in iis quoque, quoad lactis ſecretionem adiuuandam vel ſuo tempore reprimendam, potiſſimum obſtructionis et inde inflammationis incommoda oriuntur. Foeminae itaque, quae ipſae partum alere nolunt, corpus mammae apta faſcia et ſuppoſitis pannis duplicatis verſus clauiculas blande eleuent, quo vaſa ſub axillis accedentia quodammodo tendantur, eorumque impetus in ſecretione praeſtanda aliqua ex parte infringatur.

§. 936.

Si lac iam in mammas tranſiit, easque diſtendit, compreſſio vel nulla fiat, vel moderatior ſit. Si emplaſtro emolliente, quale eſt filii ZACHARIAE, vel butyro non ſalito, mamma ita emolliatur, vt tenſione ceſſante lac per papillam effluat, diſcuſſio ſaepe ex voto attingitur, profluuium eius etiam vapore aquae calidae adiuuatur. Foemina interea diluente magis potu, quam victu nutriente, reficiatur. Humorum progreſſus ad mammas valido, neque tamen draſtico remedio, aluum ducente, deriuetur, donec ſenſim paulatimque lactis acceſſus imminuatur et prorſus ſupprimatur.

§. 937.

Accidit interdum, vt paſſim nodi quodammodo duriores remaneant, quae protinus malactico cum diapho-

phoretico MYNSICHTI malaxato, et alutae ſpiſſius ſuperinducto, §. 213. emolliantur et diſcutiantur. Sapo etiam cum aqua vulneraria vel reginae Hungariae tritus, et forma cataplaſmatis admotus, imminentem ſcirrhum egregie diſcutit. Medicus praeterea ad lochiorum fluxum attendat, nec febriles motus, ſi moderatiores ſint, temere ſupprimat, ſed eosdem medicamentis et victu ita dirigat, vt diſcuſſioni proſint.

§. 938.

Similis attentio requiritur, ſi, lochiorum fluxu finito, tamen, durante lactatione, vel ex terrore vel alia cauſſa, ſtaſis in mammis oritur, vel ſi poſt ablactationem infantis lac repellendum, et ad ſanguinis circulum reducendum eſt. Quod ſi vero diſcuſſio non ex voto ſuccedat, ſed nodi haud reſoluendi relinquantur, illi cataplaſmatibus emollientibus ad ſuppurationem ducantur: tutius enim eſt abſceſſum mouere, quam nodos relinquere, et ſcirrhi geneſin admittere, ex quo diu ſaepius quieſcente peſſima mala oriuntur §. 198. ſeqq.

§. 939.

Si nodus, poſt inflammationem prorſus euaneſcentem relictus, partem glandulae obſtructam eſſe indicat, neque remediis reſoluentibus per aliquot tempus applicatis cedit, ideoque metus oboritur, ne ſcirrhus inde natus aliquando moueatur, et in carcinoma abeat, inciſione facta pars indurata exſtirpanda eſt. Caute tamen hac in re verſandum erit, quo nerui et vaſa, cum reliquo glandulae corpore cohaerentia, et calloſiora reddita, ſimul praeſcindantur, vel relictae radices cauſticis admotis exſtirpentur, ne malo recrudeſcente denuo obſtructio oriatur.

§. 940.

§. 940.

Non raro, ſi vel minor nodus eſt, vel maxima pars corporis mammae ſcirrhoſa reddita fuit, carcinomatis futuri metus imminet; §. 207 ſeqq. ex obſcuro enim primum, poſtea lancinante magis dolore, ſcirrhum iam motum eſſe cognoſcimus, et tunc vel ſponte ſua ex ipſa humorum malignitate, vel ex peruerſa medendi ratione, cancer apertus naſcitur. Perpenſis itaque iis, quae alibi §. 210. ſeqq. propoſuimus, de totius mammae amputatione cogitandum eſt. Antequam autem haec operatio inſtituatur varia contraindicantia iudicanda ſunt. Quod ſi enim vires aegrae imbecillae, miaſmatis cancroſi diffuſio per totum corpus, tumor glandularum axillarium nimis increſcens, cet. inueniantur, operationem fruſtraneam fore praeuidemus.

§. 941.

Praeparatio amputationis, quae in accurata diaeta, venaeſectione, aluiductione et aliis auxiliis eſt, ex generali therapia petatur. In ipſa autem amputatione praeſtanda ſequentia potiſſimum attendenda ſunt. Inciſio §. 279. ſeqq. in cute ſana fiat, alienata enim ſimul praeſcindenda eſt: cute itaque non nihil tenſa, illi a parte ſuperiori pectoris verſus mediam amplum primo vulnus infligatur, poſtea mammae corpus, manu chirurgi quodammodo eleuatum, a contextu cellulari non nihil ſeparetur: vulnere cutaneo poſtea continuato mammae corpus a muſculo pectorali ſeparetur, arteriae diſſectae interea comprimantur, quo poſtea, ſi opus eſt, ligari queant; tandem, mamma ab axillis retracta, reliqua pars integumentorum praeſcindatur.

§. 942.

§. 942.

Mammam a muſculo pectorali digitis admotis deglubere vix poſſumus, iis tamen contextus celluloſus non nihil tendendus eſt, quo radices vaſorum et denſiorum fibrarum melius praeſcindi poſſint. Licet autem in amputatione muſculo pectorali parcendum ſit, tamen, ſi tumor mammae eidem firmius adhaeret, fibrae muſculi inde vitiatae ſimul auferendae ſunt, ne ſanationi vulneris impedimentum obiiciant.

§. 943.

Chirurgus itaque omnem ambitum partis praeſciſſae caute diſquirat, vt, ſi duri quid relictum fuerit, mox auferatur. Quibus omnibus praeſtitis, omne cauum linteolo tenui obtegatur, additis inſuper copioſis linteis carptis, tunc ora vulneris in omni ambitu caute adducantur, et emplaſtris glutinantibus §. 361. quantum fieri poteſt, in hoc ſitu conſeruentur, curatione reliqua internis et externis remediis prudenter adhibitis ad normam alibi praeſcriptam §. 281. ſeqq. §. 356. ſeqq. ad finem perducenda.

CAPVT II.

DE FRACTVRA COSTARVM ET STERNI.

§. 944.

Ab impetu inſigni in pectus facto, inprimis a vulneribus ſclopetorum, coſtae franguntur, partibus diffractis interdum in pleuram depreſſis; interdum ab impetu non adeo inſigni coſta tantum deprimitur, et ab ~~vna~~ interna parte finditur. Fracturam au-

tem coſtarum varia comitantur ſymptomata, dolor, inflammatio grauis cum febre, difficultas ſpirandi, ſanguinis ſputum, cet. quae ex generali inflammationis theoria, et ſpeciatim ex tractatione de peripneumonia et pleuritide (m. c. §. 320. ſeqq.) diiudicanda ſunt. Nos tantum de fractura ſigillatim conſiderata et arteriae intercoſtalis laeſione dicturi ſumus: de emphyſemate vero, quod fracturae coſtarum cum vulnere ſaepius ſuperuenit, in tractatione de vulneribus pectoris exponemus.

§. 945.

Thorace aegri denudato, quo omnis fabrica et ſpeciatim coſta fracta melius diſquiri poſſit, de extremis fragmentorum in verum ſitum ducendis primum cogitandum eſt, vt, ſpleniis appoſitis et faſcia apta circumducta, fracta in vero ſitu retineantur et coaleſcant. Hoc in coſta ex parte diffracta, vel cuius partes eminentes magis deprimendae, quam eleuandae ſunt, facillime perficitur; difficilius eſt, extrema fracta et depreſſa eleuare. Si enim hoc preſſione ſterni laterali et ſimili extremitatis coſtae vertebralis in homine ſedente, et non nihil in latus ſanum flexo, fieri nequit, inciſione facta, digito vel apto ferramento coſta eleuanda eſt. Fragmenta vero, ea inprimis, quae pleuram laedunt, protinus eximenda vel praeſcindenda ſunt.

§. 946.

Arteria intercoſtali laeſa vel prorſus diſrupta, maius imminet periculum, quod interdum mortem accelerat, praeſertim ſi prope ſpinam dorſi laeſio facta fuerit: omnibus igitur relictis ad eam deligandam properandum eſt. Puluillus tunc ex alcohole expreſſus digito vel ferramento, in hos vſus inuento *), apprimendus eſt, donec arteria ſanguinem fundere

deſi-

deſinat. Interdum tutius eſt, vulnere et ſupra et infra coſtam iniecto, acu inuerſa vel inſtrumento, catheteris in modum incuruato, et apice, duplici foramine pertuſo, filum puluillo inſtructum introducere, quo illud circa coſtam adſtrictum arteriam comprimat **).

*) vid. Memoires de l'Acad. Roy. de Chirurgie a Paris, Tom. II. p. 95. tab. I.

**) Aliud inſtrumentum in hos vſus inuentum, ſed maxime compoſitum, vide lib. cit. p. 125. tab. IV.

§. 947.

Sterni os poroſum quidem eſt, et, cum inter coſtarum appendices cartilagineas haereat, facile cedit; ſunt tamen interdum validae laeſiones, quibus eius partes diffringuntur, quae quidem, ſi nullum vulnus coniunctum eſt, inciſione facta leuandae, et in verum ſitum reducendae ſunt. Cum tamen vtplurimum praeter validam inflammationem, quae acutam febrim inducit, abſceſſus et vlcera cum carie inducantur, haec ſuo modo depuranda; et, ſi id aliter fieri nequit, pars ſterni modiolo exſcindenda eſt, §. 737. ſeqq.

CAPVT III.

DE LVXATIONE COSTARVM ET VERTEBRARVM.

§. 948.

Poſt magnos et validos corporis niſus ſpina dorſi et coſtae ſaepe tenſiuo et atroci dolore afficiuntur. Germani appellant *wehe thun* vel *verbrechen*,

eum luxationis vel ſubluxationis ſpeciem ſubeſſe aſſumant, ſed aliae certe ſunt cauſſae, quae ad oſſa ipſa non pertinent. Leuius malum eſt, ſi ex nimia ventriculi repletione vel a flatibus retentis abdomen vehementer diſtenditur, vt inde nerui principes, ad ſpinam poſiti, ſpaſtice afficiantur. Grauior eſt morbus, ſi violenta tenſio ligamentorum et muſculorum, coſtas et vertebras connectentium, facta fuit, ſi ſtaſis ſeroſa et vehemens muſculorum ſpinam dorſi dirigentium rheumatiſmus inducitur. Num muſculi ſpinae dorſi vel earum partes valida tenſione ex ſua ſede dimoueri poſſint *), dubium eſt.

*) vid. C. POUTEAU Melanges de Chirurgie, pag. 405. ſeqq.

§. 949.

Tenſioni flatulentae medentur apta euacuantia, quae a nauſea et vomitu indicantur, vel clyſmata et alia medicamenta carminatiua et antiſpaſmodica, ex aliis doctrinae medicae capitibus huc transferenda. Ad externa remedia pertinent cucurbitulae magnae, multa cum flamma vmbilico impoſitae, frictio abdominis cum vnguentis carminatiuis, a dextro potiſſimum ad ſiniſtrum hypochondrium producta, quibus flatus et inde oriundae tenſiones diſcutiuntur.

§. 950.

Si valido corporis et nominatim ſpinae dorſi niſu ligamenta vertebrarum nimium tenduntur, nec muſculi, ſpinam dorſi extendentes, a muſculis, reſpirationem adiuuantibus, et ſpeciatim ſerrato poſtico inferiore et concurrentibus latis abdominalibus coercentur, ſed ſub magno niſu in exſpiratione ſubito facta remittunt, ſtaſes humoris, in fibris muſcularibus moti, tenſiuos dolores relinquunt, quos interdum

nouae et blandae extenſiones vario modo peractae diſcutiunt. Interne ſanguinem hirci, vel fuliginem ſplendentem, vel radicem rubiae tinctorum, vt potentiſſima reſoluentia medicamenta commendantur. Interdum frictiones ſpinae dorſi, cum vel ſine oleis carminatiuis, idem praeſtant.

§. 951.

Nonnunquam tamen, licet rarius, ſi magno niſu impetus aliquis ſpinae infertur, et coſtae ad vertebras, et vertebrarum proceſſus articulares, quodammodo e ſede dimouentur. Coſtae quidem extremitatibus poſterioribus ad vertebrarum corpora et proceſſus transuerſos annexae, retrorſum vix cedunt, magis tamen ſurſum et deorſum, vel interdum introrſum dimouentur, quo facto illud latus, in quo coſta dimota eſt, brachio ſimul eleuato extendatur, et coſta preſſione digitorum in verum ſitum reponatur. In altero caſu aeger dolio vel corpori cylindrico incumbat, nam ſterno tunc vehementius preſſo id efficitur, vt coſta extrorſum dirigatur. Inciſione facta coſtam ex profunda ſede digito eleuare, et ita in verum ſitum reducere, difficile curationis genus eſt.

§. 952.

Et vertebrarum proceſſus articulares, ſiue obliqui, inprimis in confiniis dorſi et lumborum, valida vi externa, in ſumma extenſione vel flexione dorſi admota, dimouentur, quae res magnum dolorem et haud raro inflammationem et immobilitatem ſpinae dorſi inducit. Inflectendum eſt corpus ſuper cylindrum ſeu dolium, et inter inflexionem ſpinae ſucceſſiue tentatam proceſſus in verum ſitum dirigendi ſunt. Crudeles veterum in hoc genere operationes PLATNERUS commemorauit *). Haec

 luxa-

luxatio, inprimis cum fractura complicata, ob laeſionem medullae ſpinalis triſtia ſymptomata inducit et mortem ſaepe accelerat.

*) vid. Inſt. Chirurg. rat. §. 1138.

CAPVT IV.

DE GIBBEROSIS.

§. 953.

Quae in adultiori aetate poſt annum viceſimum firma ſunt corpora vertebrarum, ea ſub incremento in puerili et adoleſcente aetate ſaepe laeduntur, et diſtorſionem ſpinae inducunt. Diſtinguunt vero gibberoſitatis vitia in kyphoſin ſeu incuruationem verſus poſteriora, in lordoſin ſeu incuruationem verſus anteriora, et ſcolioſin ſeu tortuoſitatem ad latera conſpicuam, de quibus omnibus nunc ſigillatim agendum eſt.

§. 954.

Infantes teneri, quorum corpora vertebrarum multa cartilagine comprehenduntur et creſcunt, per geſtationem in vno brachio interdum flexionem ſpinae dorſi in vnum latus patiuntur; qui, ſi proſperum incrementum et vegetum corpus nacti ſint, erecto corporis habitu per elaſticitatem cartilaginum rectitudinem ſpinae reſtituunt: ſi vero imbecilles corpore antrorſum inclinato diu ſaepe in ſedili relinquuntur, tunc in confiniis vertebrarum dorſi et lumborum harum corpora ab anteriore parte comprimuntur et kyphoſis oritur. Morbus hic tolli nequit, inprimis in rhachiticis infantibus, ſi nimirum mate-

materia acris ad corpora vertebrarum coniecta eſt, eaque arroſit. Lordoſis rarior morbus eſt, qui ex nimia reclinatione corporis et maiori pectoris prominentia ortum ducit.

§. 955.

Mala puerorum conſuetudo ſemper inclinandi corpus in vnum latus corpora vertebrarum in latere incuruato comprimit, et niſi cita correctio fiat, eam figuram confirmat. Si hoc adoleſcentum corporibus accidit, obliquitas corporum vt plurimum tantum in confiniis vertebrarum thoracis et lumborum naſcitur. Interdum ſpina in thorace in vnum, in lumbis in oppoſitum latus inflectitur. Curuitas ſpinae in thorace obuia coſtas oppoſiti lateris eleuat, et ſurſum premit, quamobrem et ſcapula et humerus eleuantur, omnes vero hae partes in incuruato latere magis depreſſae apparent. Haec duplex ſpinae incuruatio magnam corpori deformitatem adfert, cum oſſa coxarum in ſimilem obliquitatem ducantur.

§. 956.

Gibberoſitas in puerili et adoleſcente aetate tantum oritur, cum in adultis fabrica oſſium et ſpinae dorſi confirmata ſit; laeſa tamen oſſium nutritione, §. 549. ſeqq. quae mollitiem et flexibilitatem oſſium cylindricorum affert, praeternaturalis haec ſpinae dorſi incuruatio quoque locum habet, §. 555. In ſenio etiam ſpina dorſi in vertebris thoracis, quae in ſanis modice inflexa eſt, magis inflectitur, et kyphoſis ſenilis a pondere capitis et artuum ſuperiorum antrorſum directo inducitur.

§. 957.

Licet vero gibberoſitas validis niſibus et tenſionibus corporum iuniorum, quae cauſſae externae

luxationum vel ſubluxationum putantur, tribui ſoleat, rarius tamen ad eas, ſed potius ad internas reſpiciendum eſt. Vera enim elaſticitas cartilaginum et ligamentorum, corpora vertebrarum cingentium et intercurrentium, in incremento puerorum et adoleſcentum ſaepe deficit, et imbecillitas muſculorum, corpus non recte ſuſtinentium, deprauatum ſpinae ſitum et inde malam conformationem inducit. Firmat hoc ſtatus rhachiticus et gibberoſitas, in vrbibus populoſioribus frequentior, vbi vitae mollities, deſidia et exercitationum rarior vſus infantes ſaepe eneruat, vt robur aetati conueniens acquiri nequeat: ad cauſſas itaque remotas examinandas nunc nos conuertimus.

§. 958.

In his enarrandis ea repetere nolumus, quae de rhachitide, §. 563. propoſuimus, et quae in infantibus et pueris ſaepe animaduertuntur; addimus potius ea, quae in adoleſcente quoque aetate attendenda ſunt: vidimus enim, qui poſt annum aetatis decimum quartum demum gibberoſi facti ſunt, quoniam et veneris praematurae et illicitae ſpermatis excretionis damna imbecillitatem genuerant, et inde ſpinam incuruatam reddiderant. Praecipue autem ſitus corporis vel negligens, vel peruerſus, in variis laboribus perficiendis. et ſpinam in vnum latus recuruat, et coxarum oſſa obliquo ſitu confirmata ſiſtit. Addantur morbi grauiores, quorum exitus fuit imbecillitas ſpinam inflectens.

§. 959.

Gibberoſitas itaque in principio attendenda et in ſingulis aegris ex ſuis cauſſis diiudicanda eſt: in diſtorſione autem partium examinanda ad ſani ſceleti diſpoſitionem, ad ligamentorum nexum, nec non muſcu-

muſculorum, quibus actiones variae perficiuntur, ſitum reſpiciendum eſt. Ea diſtorſio partium ſic cognita, cauſſis in principio protinus remotis, corrigi poteſt: morbo autem obfirmato, applicatio faſciarum et machinarum artificialium raro, vel nunquam curuitatem tollit, nimia potius adſtrictio ſaepe corpora magis torquet, et vna deformitate correcta alteram inducit.

§. 960.

Cum itaque cauſſae remotae in initio curationis omnino remouendae ſint, imbecillitas corporum apta nutritione, corporis exercitatione in aere libero, et medicamentis roborantibus, corrigatur, quae quidem medendi ratio ex aliis doctrinae medicae capitibus cognoſci, et ſingulorum aegrorum conſtitutioni accommodari debet. Sigillatim vero notandum eſt, balnea non calida adeo et emollientia, ſed frigidiuſcula et roborantia cum frictione corporis vigorem muſculorum, et erectum corporis ſitum inde expectandum multum iuuare. Frictionem olea et vnguenta efficaciora reddunt, modo ne cutem nimium emolliendo et relaxationem inducas, et perſpirationem impedias; vnguentis etiam olea deſtillata parcius addantur, ne aromatica indole neruos nimis excitent.

§. 961.

Praecipua autem correctio gibberoſorum eſt in admonitione adſtantium et attentione ipſius aegri. Dormientium corpus cubet extenſum, non incuruum et contractum; ſedilis et menſae altitudo corporis magnitudini aequalis ſit, quo aegri erecti, nec in latus inclinati ſcribant, vel alios labores ſuſcipiant; diu ſtantes non niſi vtrique pedi inſiſtant, ne, eleuatis ex vno latere coxis, ſpina, in ſitum erectum

corporis ducenda, in alterum incuruetur; humeri cum ſcapulis vtrinque in aequali ſitu ſeruentur. Haec et alia conſilia initium morbi optime corrigunt, inprimis ſi thoraces imbecillitatem iuuent.

§. 962.

Thoraces et faſciae infirmitati medentur, neque tamen partes in incremento conſtitutae iis nimium comprimantur, aut directione vna peruerſa correcta, altera inducatur. Thoraces itaque ex virga balenaria, non ex laminis ferreis, ita conſtruantur, vt ſuperius ad ſcapulas coercendas humerosque retrahendos adaptari queant, ex qua re rectitudo ſpinae omnino pendet, ideoque non opus eſt, vt ad coſtas ſpurias ſtrictius adducantur, et abdomen nimis comprimant; rectitudo enim ſpinae lumbaris non vi efficiatur, ſed a vigore muſculorum pendeat.

§. 963.

Sunt et aliae machinae ad correctionem gibberoſorum inuentae. Lamina ferrea non nimis lata, corio obducta, ab oſſe ſacro vsque ad primam colli vertebram extenſa, aliam ſuper ſcapulas crucis figura affixam habeat, quatuor eius extremae partes circa collum, humeros, et abdomen, loris et faſciis aptis, minime vero ferreis circulis affigantur, et ita ſpinam ad rectitudinem diſponant. In his vero adornandis magna circumſpectione opus eſt; interdiu etiam applicentur, quo infirmitatem iuuent; interdum vero, inprimis noctu, corpus omni adſtrictione liberari debet, vt eius ſitu apto et quieſcentis ſufficiente extenſione §. 961. correctio obtineatur.

CAPVT

CAPVT V.

DE VVLNERIBVS PECTORIS.

§. 964.

Et haec quidem vulnera ex generali doctrina §. 339 ſeqq. diiudicantur et curantur: magna tamen ad partes nobiliores, in pectore ſitas, attentione opus eſt, quae tractationem horum vulnerum difficiliorem reddit; magnam porro curam flagitat haemorrhagia corrigenda et ſiſtenda, et ſanguis extrauaſatus educendus; accedunt tandem varia ſymptomata, inprimis emphyſema, quae nos mouent, vt de his vulneribus ſigillatim agamus.

§. 965.

Vulnus omne pectoris, etſi tantum cutaneum, attentius diſquirendum eſt, quo ex conſideratione externa et inſtrumenti laedentis figura cognoſcatur, num forte, et quousque in cauum pectoris penetrauerit. Si ſpirandi difficultas adeſt, magis attenti eſſe debemus. Diſquiritur autem vulnus ſpecillo retuſo non laedente, illud vero non valide in contextum celluloſum protrudatur, ſed ſub vario corporis ſitu ſuſpenſa manu eo dimittatur; ſaepius enim muſculi, ſitum mutantes, vulnus in cauitatem penetrans praecludunt. In corporibus obeſis, cum copioſa pinguedo diſquirentem confundat, attentius verſandum eſt.

§. 966.

In grauioribus vulneribus, quibus cor et maiora vaſa a corde progredientia laeduntur, ea mox oboriuntur ſymptomata, quae lethalem exitum non praedicunt tantum, ſed ſubito inducunt. Si vulnus amplum

plum eſt, multum ſanguinis ex eo effluit: ſi vero anguſtum eſt et cruoris parum dimittit, maxima breui temporis interuallo oritur ſpirandi difficultas, pulſus paruus, inaequalis et intermittens, ſudor frigidus, ſyncope et mors: interdum tamen lipothymia, in imbecillis a magna, ſed haud lethali ſanguinis effuſione orta, fluxu hoc cohibito remittit, et chirurgum in vlteriori diſquiſitione attentum eſſe iubet.

§. 967.

Pulmonis laeſionem praecipue ſanguis, cum tuſſi per os reiectus, indicat, et ex maiore vel parciore eius copia laeſionis ratio definitur, ſanguis etiam ſpumoſus ex vulnere profluit. De ea tamen re certior redditur chirurgus, ſi iniectionis medicatae in pectus immiſſae ſapor ab aegro percipitur. Tandem ex loco laeſionis in pectore, eiusque ſuperiori vel inferiori parte cognoſcitur, qualis forte laeſio pulmoni inflicta fuerit.

§. 968.

Sanguinem poſt pectoris vulnera copioſius in eius cauitates effluxiſſe, ex ponderis ſenſu et difficultate ſpirandi coniicitur. Locus, in quem ſanguis confluxerit, ex aegri ſitu cognoſcitur; ſi enim in latus vulneratum inclinatus vel ſupinus iacet, minora eius incommoda ſunt; ſi in latus ſanum inclinatur, difficilis inſpiratio et breuis exſpiratio; ſi ſanguis diaphragmati incumbit, facilior exſpiratio, quam inſpiratio. Vulnera, quae mediaſtinum perfodiunt, ſanguinem in vtramque cauitatem effundunt, et abſolute lethalia ſunt, quamquam interdum, cum vulnus ſanguine grumoſo tegitur, vita aegri trahitur.

§. 969.

Vulnera pectoris, quae in cauitates eius penetrant, caute diſquirenda ſunt, cum ſymptomata, ab

initio non adeo grauia viſa, paulo poſt increſcere poſſint. Sub inſpiratione ſpiritus ex vulnere exit, ſanguis tamen ipſe, niſi pulmone ſimul laeſo, ſpumeſcens non eſt. Sanguinis color laeſionem vaſis declarat, vtrum arterioſum, an venoſum ſit, et arteriam, praecipue intercoſtalem, diſciſſam eſſe, praeter ipſum locum ſanguis floridus ſignificat. Emphyſema circa vulnus rarius oritur, ſi hoc pectus non penetrauit, frequentius in vulnere, quo pleura pertuſa eſt.

§. 970.

Vulnere ex his ſignis cognito, quid in curatione ſperandum, quid metuendum ſit, definiatur. Vulnera grauiſſima protinus mortem inducunt, §. 966. attendendum itaque eſt, an grauior ſyncope, ex haemorrhagia oborta, tandem ceſſet, et calor et pulſus redeant? Vulnera enſe acuto facta, etiamſi penetrant, interdum minus periculi inferunt, quam glande plumbea inflicta: ſuperficies pulmonum laeſa non adeo grauia incommoda inducit, quam ſi vulnus altius penetrauit. Si pulmonis locus is, cui pleura accreuit, laeditur, ſanguis in pectus non deſcendit, niſi eius effluxus, deligatione cohibitus, pleuram ſoluat, ex illius vulnere tamen vlcera relinquuntur, quae phthiſin inducunt. Pectoris ſuperiore parte perfoſſa, grauiora incommoda oriuntur, quam ſi inferior tantum pertundatur, ex hac enim ſanguis facilius educi poteſt.

§. 971.

Si nec ſanguis nec aliud corpus peregrinum in pectore eſt, vel ſi illud protinus educi poteſt, nec illa reſpirationis impedimenta ſunt, vulnus apte deligatur et vti recens conſolidatur. Vt autem ſanguis nondum coagulatus protinus effluat, ita colloce-

tur

tur aeger, vt ipſe ſitus ſanguini exitum concedat, qui, niſi prompte fiat, ſanguis, non niſi affluxu ex vulnere interno cohibito, educendus eſt. Symptomata quidem grauiora interdum euacuationem celerius praeſtandam vrgent, ſed inde magnum ſemper aegro imminet periculum.

§. 972.

Sanguis autem in pectore collectus, vel ampliato vulnere, vel alio nouo in apto loco facto, euocatur, de qua re in empyematis operatione dicturi ſumus; ſi ille iam coagulatus eſt, lotiones ex decoctis emollientibus iniiciantur; ſi vero iam putredine reſolutus deprehenditur, infuſum agrimoniae vel ſcordii, cui mel vel aqua vulneraria adiicitur, melius eligitur, quo nimiae putredini reſiſtatur.

§. 973.

Cum ſuctio, tubulis et ore facta, vel putridam materiam, vel eius halitum, in os chirurgi cum magno eius incommodo inferat: modum ſanguinem et iniectiones abſtergentes ſyringa ſuctioni apta educendi ANELLUS docuit *). Cum tamen ne ſic quidem ſuctio bene ſuccedat, tubulo, per quem ore ſugitur, in medio lagenula affigatur, in quam humor eductus deſcendit, ſi nimirum tubulus in medio diaphragmate firmo obliquo inſtructus, ab anteriori huius parte lagenulam affixam, poſterius autem foramen, quod ſimul in lagenulam hiat, obtinet. Quando itaque aer ex lagenula ſuctione educitur, materia, in pectore contenta, per anteriorem tubuli partem, diaphragmate tubuli viam dirigente, in lagenulam effluit **).

*) vid. L'art de ſuccer les playes ſans ſe ſervir de la bouche d'un homme, nouvellement inventé par DOMINI-

MINIQUE ANEL. Amſterdam 1707. in 12. et HEISTERI Chirurgia Tom. I. p. 118. tab. VI.

**) Simili tubo, lagenula inſtructo, et a BREUERO, celebri dum viueret Chirurgo Lipſienſi, mihi amiciſſimo, inuento, in vulnere pectoris ad cauitatem huius repurgandam non ſine fructu vſi fuimus.

§. 974.

Cum omnis humor non vna euacuatione educi queat, ſed interim nouus colligatur, vulnus apertum ſeruandum eſt. Turundae, inprimis craſſiores et duriores, nec non canales ex metallo facti, quod labia vulnerum calloſa reddunt, non ingerantur; linteolum potius vulneris latitudini accommodatum, cuius orae in fila reſolutae ſunt, immittatur, et linteo alio ſuperimpoſito puluilli humorem ſugentes applicentur; omnes enim partes ita diſponendae ſunt, ne in cauitatem pectoris tranſeant, tandem apparatus omnis faſcia apta circumducatur. Aeris acceſſus tandem inter deligandum, vt in omni vulnere, §. 357. 734. ſic potiſſimum hic vitandus eſt, cum pulmones aere frigido admiſſo facile laedantur.

§. 975.

Emphyſema eſt tumor plus minus tenſus, in contextu celluloſo ſub cute oriundus, vulneribus variis, praecipue pectoris ſuperueniens. Frigidus et pallidus is eſt, ideoque ab inflammatorio rubente et calente facile diſtinguitur, praeterea preſſus ſtridorem aliquem ſingularem aeris in cellulis preſſi edit. Oritur autem ab aere, inprimis frigido, labiis vulneris recentis admiſſo, et a calore corporis vel medicamentorum applicatorum extenſo adeo, vt in contextu celluloſo fluidum hoc elaſticum longe lateque progrediatur.

§. 976.

§. 976.

Non tantum vero in recentibus pectoris vulneribus, ſed in aliis quoque corporis partibus laeſis, diuturno potiſſimum morbo et macie confectis aegris, interdum gignitur emphyſema, inprimis ſi in illis cum ſumma imbecillitate inueterata humorum labes ſit, ſi vlcera vetuſta et ſinuoſa iniectionibus variis tententur, quo in caſu etiam auxilia a nobis nunc proponenda ſaepius fruſtra applicantur.

§. 977.

Tumor hic aereus ſtatim a principio reprimendus et diſcutiendus eſt, vlterius enim ſerpens et increſcens corruptioni contextus celluloſi §. 119. et ita gangraenae ſubdole obrepenti occaſionem praebet, leuiſſimique ſaepe vulneris ſanationem perquam difficilem reddit. Oris vulneris blande et iterato preſſis, aer protinus expellendus eſt, frictione inſuper pannis laneis tentata, qui panni, olibano, benzoe et aliis roborantibus ſuffimigiis imbuti, diſcutiendi cauſſa quoque ſuperimponendi ſunt. Si vulneri in pectus penetranti accedit, hoc protinus ampliandum eſt, quo aer citius educatur. Niſi alia ſymptomata hoc impediant, faſcia quoque ſtrictior applicanda erit.

CAPVT VI.

DE EMPYEMATE.

§. 978.

Empyema eſt puris ex vomica rupta in cauitatem pectoris effuſio; hoc vero cum ſaepe copioſum ſi, ix reſorbetur, vulnere potius, cauitati pectoris apto quodam loco inflicto, educendum eſt. Eadem

quae

quae in empyematis curatione, inciſio pectoris locum habet, ſi aqua in hydrope pectoris eo effunditur et ſtagnat; (m. c. §. 469.) ſi ſanguis copioſus collectus ex vulnere, ſuperiori parti pectoris inflicto, educi nequit; vel in omni caſu, vbi corpus peregrinum, diaphragmati incumbens, moleſtum, ideoque remouendum eſt, v. c. globulus plumbeus.

§. 979.

Empyematis autem operatio, ſi pus in cauitate pectoris continetur, non differenda eſt, ne illud longa mora acre reddatur et ex parte reſorbeatur; ſi tamen vlcera impura pulmones arrodunt, eductio puris nil prodeſt, nam phthiſis certo ſequitur (m. c. §. 783. ſeqq.). Mutationes igitur, quae in morbo pulmonum et pectoris praegreſſo euenerunt, accurate examinandae ſunt, vt de tempore et copia effuſi puris iudicari poſſit. Ex ſitu etiam aegri, in hoc vel illo latere plus minus moleſto, perſpicitur, in quanam pectoris cauitate peregrinum corpus haereat. In vulneribus pectoris materiae educendae ratio facilius cognoſcitur, ex iis tamen ſanguis nouo vulnere inflicto educendus non eſt, niſi affluxus eius ex interno vulnere iam conquieuerit, §. 971.

§. 980.

Aegro itaque in ventrem incumbente, locus inciſionis definiatur, qui inter coſtam nonam et decimam, ad tertium circiter digitum a proceſſibus vertebrarum transuerſis, optime eligitur. Incidenda tunc ſunt integumenta vulnere transuerſo, quo, labiis eius diductis, intercoſtales muſculi et pleura caute pertundi, et apertura poſtea ſcalpello ancipite, in apice globulo munito, transuerſim quoque ampliari queat. Vti vero hac ratione pulmo vix lae-

 ditur,

ditur, ſic quoque eo reſpiciendum eſt, ne arteria intercoſtalis, quae ſub nona coſta excurrit, laedatur. Pure vel corpore peregrino educto, lotiones abſtergentes iniiciantur, quo pectus prorſus depuretur, poſtea curatio vulneris methodo alibi propoſita efficienda erit. §. 974.

TRACTATIO V.

DE ABDOMINIS MORBIS.

§. 981.

Vti in morbis abdominalibus, ad praxin clinicam pertinentibus, multi omnino examinandi erant, (m. c. §.805. ſeqq.) ſic non minor eſt illorum numerus, qui chirurgi auxilium requirunt: praeter vulnera enim, vel caſu, vel arte illata, ampliſſima herniarum doctrina pertractanda erit. Morbi etiam in genitalibus partibus vtriusque ſexus obuenientes, nec non viarum vrinariarum, inprimis calculus et alia hic connexa vitia, magnam exigunt attentionem, de quibus omnibus in hac tractatione ſuccincte expoſituri ſumus.

CAPVT I.

DE VVLNERIBVS ABDOMINIS, ENTERORAPHIA ET GASTRORAPHIA.

§. 982.

Antequam vulnera abdomini inflicta pertractamus, de laeſionibus diaphragmatis quaedam dicenda

cenda ſunt, quoniam ſeptum hoc transuerſum per vulnera thoracis quoque, et ſaepius quidem, quam per abdominalia, laeditur. Perennis ſepti huius muſculoſi motus leuiora etiam vulnera, quae partem muſculoſam tangunt, licet eandem non perforent, difficilia reddit, cum diaphragma non facile laedatur, niſi aliae partes vicinae magis feriantur. Si vero vulnera ſepti partem tendinoſam perforant, difficilis reſpiratio, nec non dolores et ſpaſmi cum ſingultu et vomitu, citius, quam inflammatio oritur, hominem e viuis tollunt.

§. 983.

Muſculi varii, abdominis cauitatem cingentes, vulnerati, licet minora incommoda quam diaphragmatis vulnera inducant, ob continuum tamen reſpirationis motum attentius, quam vulnera, aliis partibus inflicta, conſiderari merentur. Si carnes tantum inciduntur, leuiora quidem ſunt; ſi vero aponeuroſes, inprimis in linea alba, et quidem enſe acuto et vulnere exiguo perfodiuntur, ſtricturam fibrarum, et ſpaſmos, et inflammationem inde auctam efficiunt. Si etiam vulnus peritonaeum illaeſum relinquit, hoc certe, niſi ſumma cura adhibeatur, ita diſtenditur, vt herniae variae oriantur.

§. 984.

Vulnus peritonaeo ſimul pertuſo in abdominis cauitatem penetrans, et viſcera contenta laedens, grauius cenſendum eſt. Cognoſcitur autem ex eo, quod praeter ſanguinem humores, in viſceribus abdominalibus contenti, v. c. vrina, bilis et chyloſa materia, exeunt, vel odore percipiuntur. Si in anteriori abdominis ambitu eſt, inteſtina tenuia ſaepe cum omento exeunt, quae cuncta ex ſitu viſcerum ab-

dominalium et conſideratione inſtrumenti laedentis patent, et vlterius circumſpecte diſquiruntur.

§. 985.

Cum nihil humoris alicuius e vulnere exit, et tamen ſuſpicio laeſionis altius penetrantis ſubeſt, ſymptomata, quae coniuncta ſunt, accurate examinentur: ſi enim nullum incommodum, praeter externi vulneris dolorem, percipitur, ſpes affulget, laeſionem ſine periculo fore; ſin ſpiritus difficulter trahitur, ſi abdomen vel ex parte, vel totum, durum et tumidum redditur, ſi cum febre inflammatio intenditur, ſi neruorum diſtenſio, continuus ſingultus, horror et ſudor frigidus cum animi deliquio ſuperueniunt, triſtis omnino rerum facies eſt.

§. 986.

Niſi igitur aeger ſub praecipiti ſymptomatum augmento moriatur, vulnus diſquirendum eſt, ſuspenſa tamen manu et ſpecillo obtuſo, ne partes ſuppoſitae violentur. Cum praeterea ſitus corporis et ideo etiam abdominis, nec non viſcerum in hac cauitate contentorum, nonnunquam variet; cum vulnus et ſub inſpiratione, et ſub exſpiratione infligi poſſit; cum abdomini cibo et potu diſtento, et alio tempore vacuo, laeſio inferatur, ad has mutationes omnes attentus ſit chirurgus, et ſitum aegri in diſquiſitione ita dirigat, quo vulneris naturam et grauitatem melius cognoſcat.

§. 987.

Hoc facto chirurgus ad functiones viſcerum, quorum laeſiones praeuidet, attendat. Si ventriculus et inteſtina pertuſa ſunt, vomitus et ſingultus tantum non ſemper aegrum excruciant: ſi vomitus cruentus et bilioſus ſuccedit, ſi aſſumta alimenta vix muta-

mutata ex vulnere efferuntur, ventriculi laeſio certa eſt. Si chyloſa materia vel ſtercora per vulnus exeunt, ſi ſub dolore, colico ſimili, ſanguis per aluum euacuatur, inteſtina vulnerata iudicantur. In vtroque caſu venter tumet et durus eſt, et febris cum inflammatione ingraueſcit.

§. 988.

Eodem ferme modo reliquorum viſcerum abdominalium vulnera diiudicantur. Magnum hepatis vulnus ſubito haemorrhagia oborta vires exhaurit, leuius ſuperficiem tantum ſtringens et hepatitidem mouet, et non raro ictерum. Viis biliariis, inprimis veſicula fellea laeſis, nonnunquam bilis ex vulnere manat. Ex magno lienis vulnere etiam haemorrhagia haud compeſcenda oritur. Meſenterium et pancreas rarius laeduntur, niſi aliae partes vicinae, quae maiorem attentionem exigunt, ſimul pertundantur.

§. 989.

Renum vulnera, licet ſuperficiem eorum tantum tangant, attente tamen diſquirenda ſunt, cum cruor ſaepe in adipem emittatur: ſi vero ren ipſe vel vreter pertunditur et vrina effluit, tunc non ſolum inflammatio et ex ea gangraenae metus, ſed dolor quoque et ſpaſmus acerbior breui ſequuntur; accedit non raro mictus cruentus, ſaepius tamen parum vrinae emittitur. Veſicae laeſiones ex vrinae profluuio per vulnus, et ea per vrethram parcius reddita, cognoſcuntur. Vteri, abdominis vulneribus laeſi, rariora exempla ſunt, niſi in grauidis, in quibus interdum foetus ſimul vulneratur.

§. 990.

Ex hactenus propoſitis ſatis apparere videtur, difficilia immo ſaepius lethalia eſſe vulnera, quae

 altius

altius in abdominis cauitatem penetrant, eaque haud raro omnem chirurgi attentionem eludere. Si enim et in iis vulneribus, quae mortem non accelerant, defectum verae cognitionis, impoſſibilitatem applicandi auxilii et euacuationis effuſorum humorum, qui breui in corruptionem ruunt, conſideres, ſaepius accidentales curandi difficultates accedunt. A vulnere autem graui, interdum caſu ſanato, ad omnes curationes arte praeſtandas concludere, et prognoſin inde formare, temerarium eſſet.

§. 991.

In prognoſi tamen formanda ad ſingulas partes reſpiciendum eſt. Diaphragmatis vulnera iam diiudicauimus. §. 982. Ventriculi vulnera vtrumque parietem penetrantia ſanari nequeunt; ſanationem tamen interdum admittunt vulnera, prope curuaturam magnam inflicta, nec adeo magna. Inteſtina prorſus praeſciſſa aegre curantur, non tamen omnino deſunt proſperae curationis exempla. Maior ſpes curationis affulget, ſi vel inteſtinum ex oborto abſceſſu ruptum, vel certe vulnere longitudinali, in parte meſenterio oppoſita inflicto, laeſum eſt: tunc enim curatio vel tubo inteſtinali peruio manente, vel nouo quaſi ano inprimis in parte abdominis inferiori facto, efficitur.

§. 992.

In reliquis abdominis viſceribus vulnera, ſuperficiem leuiter laedentia, ſaepe ſine magno periculo fuerunt, inprimis ſi humor extra vaſa miſſus vel ſponte exiuerit, vel in arcto ſpatio collectus, abſceſſu formato, educi potuerit: quod ſi tamen maiora vaſa, plexus neruorum, ductus excretorii, ſauciati fuerint, et magna humoris copia emiſſa, ea, quae ſupra indi-

indicauimus, §. 985. peſſima ſymptomata cito ſuccedunt, curatio impoſſibilis videtur.

§. 993.

Curatio vulneris in cauitatem non penetrantis, recentis adhuc, nec magnam inflammationem mouentis, labiis quantocyus conglutinatis efficitur. Inflammationem nimiam, ſi quidem oboritur, venaeſectio, diaeta antiphlogiſtica, et medicamenta in hunc finem directa, coercent. Si vero tumor durior circa vulnus eſt, et extrauaſatus humor inter integumenta et ſtrata muſculorum haeret, vulnus ampliandum eſt, quo ſtagnans materia vel effluat, vel blande exprimatur, vel ſuppuratione mota euacuetur. Si vulnus latius patet, nec ſimul colliſum eſt, ſutura adminiſtretur.

§. 994.

Vulnere in cauitatem penetrante, nulla tamen viſceris laeſione ex indiciis certis cognita, §. 985. aeger ita collocandus eſt, vt humores extra vaſa miſſi facile effluant, vel ſpiritu interdum cohibito expellantur. Humor, in vulnere nimis anguſto retentus, ampliatione eius educendus eſt. Cum enim extrauaſatus humor, praecipue ſanguis, in coagulum pronus, ſaepe locum quendam definitum occupet, nec inter viſcera diffundatur, ſucceſſiua eius euacuatio fieri poteſt, etſi tunc viſcera vicina cum peritonaeo non nihil coaleſcant. Quod ſi vero cauum purum ſit, vulnus aut emplaſtris glutinantibus, aut ſutura ita coercetur, vt cicatrix fieri poſſit.

§. 995.

Quoniam ab his laeſionibus inteſtina ſaepe maxime turgent, lotio aluina iniicienda eſt, niſi forte inteſtina craſſa in ea parte laeſa fuerint, ad quam clyſteres aſcendunt. Praeterea quoque venaeſectio,

diaeta antiphlogiſtica, et medicamenta temperantia, imminentem inflammationem intra limites coercent. Cum vero ſanguis copioſus in cauo abdominis congeratur, non tuto educi poteſt, niſi iam aliquo modo in ambitu cum peritonaeo coagulatus concreuerit, et eius effluxus ex vaſis laeſis ceſſauerit.

§. 996.

Ex abdominis vulneribus non raro omenti et inteſtinorum pars effertur et propendet, de quibus partibus, ſi ſanae inueniuntur, protinus in ſitum reducendis cogitandum eſt, quod vulnere etiam ampliato, et digitis oleo madidis, alterna et leni preſſione applicatis, efficitur. In his vero quoniam magna cum cura verſandum eſt, de vulneris ampliatione primo, paulo poſt de omento et inteſtinis ſigillatim agamus.

§. 997.

In ampliando vulnere cauendum eſt, ne linea alba attingatur, nec arteria epigaſtrica diſcindatur; quod ſi vnum alterumue euitari non poteſt, illa tota diſcindenda, haec protinus liganda eſt. §. 378. Euitandi quoque ſunt vmbilicalium vaſorum tractus. Introducatur ideo ſpecillum ſulcatum, cuſpide obtuſa inſtructum, et in media parte lamina oblonga munitum, qua inteſtina elapſa defenduntur, ſcalpello autem ſuper ſulcum inducto integumenta et muſculi cum peritonaeo ſimul diſcindantur, apice ſcalpelli caute directo, ne partes abſconditas laedat. Alia inſtrumenta PLATNERUS proponit *), ex quibus illud, quod LE DRAN ad herniotomiam adaptauit, optimum eſt.

*) vid. Inſt. Chirurg. rat. §. 690.

§. 998.

§. 998.

Si vulnus elapſis partibus nimis adſtrictum eſt, adeo vt ſpecillum non admittat, caute primum integumenta, paulo poſt et muſculi diſcindi debent, quo tandem, relaxato non nihil vulnere, vel ſpecillum ſulcatum, vel alia inſtrumenta dimitti, et ad vulnus vlterius aperiendum applicari poſſint. Clyſmata crebrius iniecta et venaeſectio vulnus tenſum haud raro relaxant, et ad faciliorem inciſionem praeparant.

§. 999.

Omentum ſolum elapſum et alienatum interdum anguſto vulnere ita comprimitur, vt pars corrupta abſcedat, relicta autem ſana cum vulnere coaleſcat. Si pars elapſa ſana eſt, tutius reponitur, ne ventriculus et colon, cum quibus cohaeret, extra ſitum trahantur, et in mutabili inteſtinorum ſitu tenſionum moleſtarum cauſſa ſint. Id vero tunc non effici poteſt, cum pars propendens alienata eſt: ſana itaque non nihil protrahi debet, quo is acu, filo cerato duplici inſtructa, ita perfodiatur, vt vtrinque filum conuolui et ligari queat: parte ergo vitiata reſecta, pars relicta integra cum filis vulneris labiis ita adaptetur, vt cum iisdem coaleſcat.

§. 1000.

In hac omenti, inprimis autem inteſtinorum elapſorum, repoſitione efficienda aeger ita collocandus eſt, ne moles viſcerum verſus vulnus preſſa impedimento ſit: melius aegri corpus retrorſum vel in vnum alterumque latus reclinatur: tentandum itaque eſt, an in ſitu hoc apto recondi poſſint inteſtina elapſa, ita vt, ſi fieri poſſit, extremum inferius citius reponatur. Eandem ob cauſſam interdum fomenta ex aqua et oleo vel lacte, quae moderato

calore placent, cum ſpongia vel linteis applicentur, ne interea partes elapſae ſicceſcant, vel prorſus emoriantur. Caute tamen in his feſtinandum eſt.

§. 1001.

Si inteſtina elapſa aere vel ſcybalis diſtenduntur, quidquid inhaeret, blanda compreſſione in inteſtina vicina, abdomine adhuc recondita, repellendum eſt, in auxilium ſimul vocatis clyſteribus. Aeris ex inteſtinis per acupuncturam emiſſio inflammationi anſam praebet, hinc, ſi preſſioni non protinus cedit, proderit interdum, et partem vicinam inteſtini reconditi extrahere, et ita viam liberiorem reddere, quo tandem et inteſtina vacua immitti poſſint. Tum abdomen quodammodo concutiendum eſt, vt omnes partes hactenus tenſae in verum ſitum reducantur, et vulnus ſuo modo conglutinetur.

§. 1002.

Longe difficilius tractantur inteſtina, ſi vulnerata, vel pallida, liuida et nigra, ideoque gangraena et ſphacelo affecta ſunt: in priori enim caſu vulnus inteſtini cum vulnere abdominis conglutinandum; in altero vero, reſecta portione corrupta, margo inteſtini ſuperioris abdominis vulneri ita adaptandus eſt, vt orificium fiat, per quod contentae foeces tanquam per nouum anum exeant. Tenendum enim eſt, inteſtinorum teneram fabricam coalitionem vulneris et cicatricem, in inteſtino ſolo formandam, vel prorſus non, vel rariſſime admittere *).

*) vid. Memoires de l'Acad. Roy. de Chirurgie a Paris. Tom. III. p. 145. ſeqq. Commentarius de curatione herniarum cum gangraena Auctore Cl. LOUIS, vbi ſimul de vniendis inteſtinis, gangraena deſtructis, agitur.

§. 1003.

Vulnus itaque inteſtino inflictum caute conſiderandum eſt: nam primum recens tantum ſuturam admittit, deinde alienatum agglutinari non poteſt, tertio longitudinale, in inteſtinorum parte meſenterio oppoſita inflictum, melius ſuitur, quam aliud obliquum et transuerſum. Duplici autem ſutura vtuntur chirurgi, altera pellionum, qua filum continuum margini vtrique vulneris circumuoluitur, extremis vtrinque propendentibus; altera nodoſa dicta, qua rarior ſutura fit, filis ſingulis diſtinctim per oppoſita labia transductis, leuiter tantum contortis et vulneris margini applicatis.

§. 1004.

Haec vero enteroraphia ita optime adminiſtratur. Chirurgus inteſtinum ſiniſtra manu linteolo madido interpoſito, blande arripiat, et acu triquetra, cuſpide inſtructa, qua pelliones vtuntur, ſuturam ita perficiat, vt fila per quodlibet labium ſigillatim transducantur, nec fortiter adducantur, nec nodo firmentur, ſed vt his filis ad marginem vulneris diſpoſitis inteſtinum ſauciatum ita in ſuſpenſo ſuſtineatur, vt cum vulnere abdominis conglutinari queat.

§. 1005.

Cum inteſtini ſphacelo corrupti, et ab integra eius parte ſeparati, margo interior, interdum abſceſſu abdominali rupto, cum orificio abdominis coaluerit, in eo quoque caſu, vbi inteſtina tota diſciſſa fuerunt, difficilior chirurgia, in ileo potiſſimum et colo inteſtino, tentata fuit. Ligata enim extremitate inferiore, ad anum ſpectante, ſuperior, ex qua in ileo alimenta digeſta, et in colo foeces deſcendunt, ita margini vulneris per fila introducta applicata fuit, vt orae

orae conglutinatae lumen apertum ſiue nouum anum reliquerit; excrementa tunc vaſculo ſtanneo, vel alio cauo abdomini alligato ſuſcipiuntur.

§. 1006.

His itaque debita cum cura praeſtitis, vulnus ad ſuppurationem blandam diſponatur, quo margines leni inflammatione turgeant, fila mobilia reddantur, et tandem poſt ſextum circiter diem apte remoueri queant. Licet vero tam ardua chirurgia non niſi in vulneratis aegris, integra alias valetudine gaudentibus, ſpem proſperi ſucceſſus faciat: tamen et in his omnia, quae vulneris curationem iuuant, externa internaque remedia accurate applicanda et propinanda ſunt, ne ex vna parte inflammatio nimis intendatur, ex altera vlcera ſordida relinquantur, et chirurgica auxilia inutilia reddantur.

§. 1007.

Vulnera etiam abdominis, inprimis ampliora, ſutura coniungenda ſunt Haec autem gaſtroraphia variis modis a veteribus magis adhibita fuit, quam a recentioribus, quippe qui eandem, ſi vllo modo fieri poteſt, euitant, et labia vulneris emplaſtris glutinantibus adducunt. Cum autem variae ſuturarum differentiae breuiter vix deſcribi, ſed coram melius demonſtrari poſſint, monita tantum primaria indicabimus.

§. 1008.

Fila cerata et apte coniuncta, §. 364. per duplicem acum incuruam traiiciantur, quo vna et altera in vtroque vulneris latere ab interna parte extrorſum transmitti poſſit: cuſpides laedentes digito applicato defendantur, ne partes internas vicinas laedant, attamen peritonaeum quodammodo retractum ſimul transfodiant et adducant; reliqua ita perficiuntur,

tur, vt in duplici triplicique ſutura diximus. §. 363. ſeqq. Poſtea fila vario modo ſuper linteolum conuolutum, et vtrinque appoſitum, et ſuper vulnus ipſum adſtringantur et firmentur, ita tamen, ne fortius adſtricta egreſſum materiae purulentae impediant. Qua in re etiam reliqua monita, de vulnerum curatione in genere propoſita, obſeruentur.

CAPVT II.

DE PARACENTESI ABDOMINIS.

§. 1009.

In hydrope aſcite aquae effuſae in cauitate abdominis haerent; in hydrope ſaccato aqua interdum in magnis et calloſis factis hydatidibus continetur, (m. c. §. 470.) rarius ea inter peritonaeum et muſculos, vel ſtrata muſculorum abdominalium effuſa deprehenditur: quodſi igitur aqua, vi medicamentorum euacuantium mota, per varia corporis colatoria duci nequeat, chirurgia variis modis viam aperiens aquam ſubducit.

§. 1010.

Haec ipſa aquarum euacuatio artificialis, ſi in corporibus ſatis validis, quibus nimirum poſt eductionem tonus viſcerum reſtitui poteſt, adminiſtratur, proſpero ſaepius cum ſucceſſu perficitur *); ſi vero cachexia, viſcerum labes, corruptio aquarum et imbecillitas aegrorum acceſſit, fruſtraneum eſt auxilium, neque tamen tunc intermitti, ſed tanquam palliatiuum vſurpari debet, ſi inſignis ſpirandi difficultas a nimia aquarum mole inducitur: morbus enim, qui curari nequit, repetita tamen aquarum ſubductione interdum trahitur.

*) De

*) De inie*ionibus roborantibus poſt aquas ſubductas nonnulli cogitarunt, ſed praeterquam quod cum iniectionibus ſaepe aer noxius ingeritur, adſtrictio nimia in viſcerum ſuperficie tenera extimeſcenda eſt.

§. 1011.

Paracenteſis autem dicitur, ſi abdomen tumidum acu triquetra vno ictu perfoditur. Aeger ſupinus iaceat, vel in ſedili ſedeat, et abdomen ab altera parte verſus latus transfodiendum prematur. Praecipue autem ille locus punctioni aptus eſt, qui in abdomine extenſo inter vmbilicum et mediam partem criſtae oſſis ilei medius eſt. Integumenta vero, muſculi et peritonaeum, vno ictu tuto perfodiuntur, quod viſcera ſubiecta ob aquae diſtendentis copiam non laeduntur. Acu retracta, fiſtula, quae acum vaginae ad inſtar cingit, relinquatur, quo aqua per eius marginem externum, ab ima parte prominentem et excauatum, ſucceſſiue effluat.

§. 1012.

Adſtans miniſter vola manus et digitis expanſis ſub effluxu aquae abdomen coerceat et comprimat, hac enim preſſione et aegro reſpiranti ſolatium accedit, lipothymia alias extimeſcenda praecauetur, et aquae effluxus iuuatur. Cannulae relictae orificium interdum obturare, et aquas per partes ſubducere, minus conuenit, cum non raro vlcera remaneant, melius itaque eſt puncturam abdominis nouo foramine facto repetere. Aquis quantum fieri poteſt eductis, cannula protinus educatur, et foramini mox contracto puluilli ex linteo carpto et emplaſtrum apponatur, abdomen faſcia ampla circumducta bene conſtringatur, eaque diu relinquatur, vel

denuo

denuo adducatur, quo partibus relaxatis robur reſtituatur.

§. 1013.

In hydrope ſaccato eadem operatione aquae ſubducuntur, ſed difficilior ſaepe eſt, ſi plures ſacci ſunt, ex quibus omnibus vna punctione aqua educi nequit. Interdum ex vena varicoſa laeſa ſanguis cum aquis, vel ob diuturnam humorum ſtaſin viſcida et purulenta materia educitur. Quod ſi itaque, repetita euacuatione affluxus non cohibetur et tumor fixus peritonaeo adhaerere percipitur, inciſio ſat ampla per integumenta et muſculos vsque ad ſaccum fit, vt materia ſtagnans ſucceſſiue educatur. Cauum iniectionibus detergentibus et mundificantibus eluitur; quo facto, ſi ſaccus hydropicus contrahitur, et exulceratione ex parte conſumitur, noua collectio humoris fieri nequit. Sed raro ex voto ſuccedit haec curationis ratio, cum raro hydatis ſingularis inueniatur, ſed potius, affluxu humorum in vnam cohibito, alia extendatur.

CAPVT III.

DE HERNIIS.

§. 1014.

Partes organicae e definitis limitibus cedentes, et tumorem conſtituentes, interdum herniae dicuntur, v.c. hernia cerebri: inprimis tamen cauitates humoribus diſtentae hoc nomine inſigniuntur, v.c. hernia ſacci lacrymalis. Cum vero in infimo ventre potiſſimum ex vtraque cauſſa non raro tumores oboriantur, hi potiſſimum et proprio magis vocabuli

cabuli ſignificatu herniae appellantur. Earum vero magna differentia nunc paulo accuratius examinanda occurrit.

§. 1015.

Peritonaeum non tantum viſcera abdominis, ſed et hanc cauitatem ipſam interius inueſtit, muſculis ceterisque partibus mediante contextu cellulari annexum. In abdominis cauitate autem, praeter alia viſcera, inteſtina et veſica vrinaria continentur, quae partes varie diſtentae peritonaeum, muſculos, et integumenta ſimul diſtendunt. Si itaque muſculi et integumenta vel vulnerantur, vel relaxantur, ideoque partes infimi ventris minus recte coercent, peritonaeum interdum extenditur, ſaccum quendam vel cauum format, in quo partes, quae preſſione vrgentur, ſuſcipiuntur et herniam veram conſtituunt.

§. 1016.

Hae expanſiones a variis locis varia nomina ſortiuntur: vel enim paſſim in anteriore et poſteriore abdominis ambitu herniae ventrales, vel circa vmbilicum herniae vmbilicales, vel circa inguina herniae inguinales, vel in ſcrotum deſcendentes herniae ſcrotales, vel ob deſcenſum ad ductum vaſorum cruralium herniae crurales oriuntur, vel veſica, in inguine vel ad foramina anteriora oſſium coxarum protuberans, herniis variis veſicae generandis occaſionem praebet.

§. 1017.

In omnibus his tumoribus ad abdomen oriundis, et herniae verae nomine inſignitis, peritonaeum extenſum, ſi per aliquod tempus ſubſtiterit, calloſum redditur: lamellae enim cellulares glutinoſo ſucco intercurrente et inſpiſſato denſantur, craſſiores fiunt, et tumorem non tantum augent, ſed et confirmant.

mant. Peritonaeum in herniis formandis rumpi veteres credebant, et rupturas, germanice *Bruch*, dicebant; ſed licet haec ruptura interdum in caſu violento oriri poſſit, expanſum tamen et denſatum peritonaeum praecipuam et veram herniarum ideam ſiſtit.

§. 1018.

His autem herniarum denominationibus §. 1016. aliae accedunt differentiae, a partibus in tumore contentis: ſic epiplocele omentum, enterocele inteſtinum, et enteroepiplocele vtrasque partes continet. Et aqua collecta in haec caua, vel ſola vel ſimul cum aliis partibus, deſcendit in hernia aquoſa et hydrocele, vel aer in cauis contentus aſſumtum pneumatoceles nomen ſiſtit, vel pinguedinis, et haud raro corruptae, pars circa vmbilicum interdum tumorem efficit, quem ſarcomphalum dicimus.

§. 1019.

In hac doctrina de herniis veris, quae inſignes vnius morbi differentias exhibet, breuiter tradenda examen cauſſarum generale quidem praemittendum eſt, omnes tamen ſpecies ſigillatim examinare conuenit, quo in ſingulis cauſſas particulares, diagnoſin, prognoſin, et veram medendi methodum ſuccincte tradere quaemus. De herniis ſpuriis hic non agimus, ſed easdem ad caput ſequens, quod de teſticulorum morbis exponit, referimus. Etſi enim ratione tumoris cum veris aliquam ſimilitudinem habent, ob partium tamen varietatem peculiarem merentur conſiderationem.

§. 1020.

Moles viſcerum in abdomine contentorum, inprimis ſi cum valida inſpiratione niſus vehementes et tenſiones variae partium corporis ſimul peragun-

tur, variis in locis inuolucri abdominis muſculoſi tantas preſſiones inducit, quae tumores peritonaei, per muſculos interdum penetrantes, et integumenta communia extendentes, efficiunt. Hoc quidem vbique in abdomine, vbi muſculi non ſatis firmiter implicati ſunt, magis tamen circa vmbilicum et inguina euenire ſolet.

§. 1021.

His vniuerſalibus cauſſis aliae accedunt, a ſingulari corporum diſpoſitione oriundae. Quemadmodum enim herniae congenitae interdum obſeruantur *), ſic in infantibus, vtpote corporibus laxiori habitu praeditis, fletu et clamoribus, in pueris variis niſibus, vires corporis ſuperantibus, hi tumores generantur. In adultis etiam obeſis et laxioribus, nec non in macilentis et imbecillis, per varios niſus interdum extenſioni violentae occaſio datur, inprimis ſi abdominalis pinguedo flacceſcat; vel in grauidis venter extenſus poſt partum ſubſidet, nec viſcera ſatis coercere valet.

*) vid. HALLER in opuſculis pathologicis Obſ. XXVIII. POTT in an account of a particular Kind of rupture frequently attendant of new born childern, and ſometimes met with in adults. London 1757. 8uo. et HUNTER in medical commentaries Part I. London 1762. 4mai. conf. Commentarii de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis Vol. IX. p. 54. it. Vol. XI. p. 288.

§. 1022.

Hernia ventralis aut ex niſu vehementi corporis, durante inſpiratione valida, oritur, aut poſt vulnus ad peritonaeum vsque penetrans inducitur; in poſteriori cauſſa facile, in priori difficulter cognoſcitur; tumor vtplurimum exiguus eſt, qui ab abſceſſu

ſceſſu ſollicite diſtingui debet; huius cauſſa nempe inflammatio eſt, quae in hernia ventrali non niſi tardius accedit, ſi enim inteſtini pars in tumore comprehenditur et coercetur, ſpaſmi, vomitus, et alia incommoda cum dolore coniuncta ſunt.

§. 1023.

Ab initio corpus in ſitum aptum reducendum, et repoſitio preſſione digitorum tentanda, eaque fomentis iuuanda eſt; quod ſi vero ea non ſuccedat, et ſymptomata vrgeant, cutis cum adipe et muſculis incidenda eſt, peritonaeo tamen integro relicto, quod cum contentis blande reprimendum eſt, quo partibus in verum ſitum reductis vulnus ſanari queat. Si hernia vulneri abdominali ſuccedit, et partes protruſae nimis ſtringuntur, inciſio maiorem exigit attentionem, § 998. ne inteſtina laedantur. Vulnere etiam ſanato, compreſſio per faſciam aptam continuanda, eoque ſemper reſpiciendum eſt, ne tumor validis niſibus recrudeſcat.

§. 1024.

Pars media lineae albae, quae in infante vaſa vmbilicalia transmittit, vti tota reliqua denſatorum tendinum compages magis etiam firma videtur, cedit tamen in infantibus, quorum vmbilicus non rite exſiccatus feceſſit, et quorum vagitus inteſtina ad hanc partem vrgent. Grauidae etiam, abdomine eminente et propendente conſpicuae, nonnunquam etiam ipſi viri obeſi, valido corporis niſu et alia actione, cum inſpiratione vehementi coniuncta, hanc partem et proxima eius confinia diſtenduut. Hinc variae oriuntur exomphali ſpecies, nunc a nobis enarrandae.

§. 1025.

In infantibus recens natis, quibus funiculus vmbilicalis proxime ad abdomen abrumpitur, vel cum

acris ſeri affluxu ſoluitur, vlcera et interdum gangraenoſa corruptio, nonnunquam cum eruptione omenti et inteſtinorum coniuncta, accedit; et ſaepe lethalis eſt. Applicanda igitur protinus ſunt, quae inflammationi et gangraenae reſiſtunt, fomenta et alia auxilia, in generali doctrina propoſita, quo corruptionis progreſſus auertatur, et regio vmbilicalis firma reddatur.

§. 1026.

Si in infantibus vmbilicus iam exſiccatus et contractus extenditur, tuberculum illud protinus linteis complicatis gradatim auctis, et faſcia apta munitur, quo partes protruſae recedant et integumenta occalleſcant; ſi vero hoc auxilium non ſufficit, corpus comprimens ferme hemiſphaericum, ex ſubere et cera formatum, quod emplaſtro tenaci impoſito, et linteis complicatis, et faſcia apta, in ſitu retinetur, prominentem vmbilicum coerceat, quae quidem correctio in tenera hac aetate ſaepius ex voto ſuccedit.

§. 1027.

In adultis, in quibus inteſtinorum, vel omenti pars, in extenſum ad vmbilicum tumorem prorumpit, protruſae hae partes ſaepe quidem in ſupino corporis ſitu reponi, et faſcia firmari ac retineri poſſunt, rariſſime autem hernia prorſus tollitur. Prolapſis igitur partibus vt decet repreſſis, lorum circulare applicandum eſt, cui compreſſorium, ex ſubere et coactili opere formatum, et magnitudini herniae accommodatum, affigitur: cum autem difficulter in ſede retineatur, variis adminiculis, ex corporis habitu a prudenti chirurgo diiudicandis, firmitas faſciae applicandae iuuanda eſt.

§. 1028.

§. 1028.

Si autem vera et integra repoſitio fieri nequit, ideoque omphalocele non apte retinetur; ſi partes nimium comprimuntur; ſi inteſtina prolapſa vel ſcybalis vel flatu diſtenduntur; ſi inteſtina vel inter ſe, vel cum omento, vel cum herniae ſacco coaleſcunt, non raro inflammatio gignitur, quam, niſi protinus ſuccurratur aegro, vtplurimum funeſta gangraena ſequitur. Antequam igitur grauiſſima haec mala oriantur, et, ſi fieri poteſt, antequam vomitus et febris ſuccedat, clyſteribus, cataplaſmatibus, atque fomentis emollientibus et diſcutientibus, auxilium feratur, quo protruſa in apto corporis ſitu et debita enchireſi reponantur.

§. 1029.

Quod ſi vero nec foeces nec flatus per anum exeant, ſed potius ad os reuertantur; ſi poſt vomitum biliosum ſtercora reiiciantur, et ideo morbus vehementer exacerbetur, alia adhuc auxilia tentanda ſunt. Poſt venaeſectionem inungatur abdomen oleo calido, et eidem in omni ambitu fomentum emolliens applicetur, crebriora clyſmata iniiciantur, inprimis ex fumo herbae nicotianae: ſi vomitus nondum vrget, oleum amygdalarum dulcium, cum vino dulci remixtum, vel butyrum recens cum cereuiſia, in qua flores chamomillae vel ſemina carui decocta ſunt, vel alia carminatiua et antiſpaſmodica exhibeantur.

§. 1030.

Inflammatione iam vrgente et diſcuſſione deſperata, tumor incidatur. Aeger tunc ſupinus iaceat, media corporis parte magis eleuata, quam humeris et coxis, quae partes a miniſtris contineantur. Inciſio per cutim ſolam fiat, primo longitudinalis, paulo poſt alia transuerſa, contextus celluloſus, peritonaeo

propior et denſior ſeparetur, tandem peritonaeum caute et minima plaga incidatur, quae eo vsque amplietur, quo elapſa reponi queant; ſi vero tunc quoque repoſitio non ſuccedit, inciſio omnium integumentorum abdominis caute continuetur. §. 996. ſeqq. Si tamen tumor poſt grauem inflammationem ſubito mollior fit, et gangraena imminet, inciſio acceleranda eſt, quo, quicquid tolli vel ſeruari poſſit, protinus cognoſcatur.

§. 1031.

Antequam enim inteſtina et omentum reponantur, reſpiciendum eſt, an alienata ſint. Quod ſi acciderit, partes corruptae protinus remoueantur, §. 999. 1002. Leuiſſima inflammatio interdum diſcutitur, ſaepius tamen et haec et voluulus inteſtinorum, vel coalitae cum peritonaeo inteſtinorum partes, inſtrumentis aptis non ſeparandae ſymptomata relinquunt, quae operatione accurate adminiſtrata mortem accelerant. Omnibus tamen repoſitis, pila ex linteis carptis facta, et linteolo obuoluta, ac paulo poſt panni complicati imponantur, et faſcia apta firmentur.

§. 1032.

Tumor, ad vmbilicum poſitus, in hydropicis ſaepe ſine inteſtinorum prolapſu conſpicuus, aquam continet et hydromphalus dicitur, cuius curatio ex hydropis conſideratione patet; ſaepe tamen cum inteſtinis et omento, in ſaccum hernioſum protruſis, aqua colligitur, et herniam complicatam ſiſtit, quod tamen hydromphali genus acceſſorium ex curatione primaria diiudicatur.

§. 1033.

Aliud tumoris genus ad vmbilicum pinguedinem induratam continet, et ſarcomphalus dicitur. Hoc, ſi pinguedo tantum indurata eſt, cum nec dolorem

rem, nec alia incommoda inferat, ſaepe diu toleratur, licet inciſione tunc facta, et parte indurata remota, optime ſanari poſſit: ſi autem tectum malum diu fertur, ſi vel contuſione externa, vel morboſa humorum diſpoſitione mouetur, tunc cutis alienatur, et ſine praegreſſa valida inflammatione in carcinomaticam indolem abit, nullumque ideo auxilium admittit, inprimis ſi illud cum hernia vmbilicali vera complicatum ſit.

§. 1034.

Frequentiores autem ſunt herniae ad inguina oriundae, quae cum in principio cum bubone, ceu glandula inguinali indurata, aliquam ſimilitudinem habeant, bubonoceles nomine inſigniuntur. Sub valido enim inſpirationis niſu in diſpoſitis, §. 1021. ad annulum abdominalem, vbi valida ſtrata tendinoſa muſculi obliqui externi deſcenſum vaſorum ſpermaticorum muniunt, peritonaeum diſtenditur, et introducta parte inteſtini vel omenti tumorem paruum ſiſtit, qui interdum ſubito, ſaepius tamen ſucceſſiue, et ita quidem increſcit, vt in viris in ſcrotum deſcendendo oſcheocelen efficiat.

§. 1035.

In inſpiratione valida, et inde depreſſo diaphragmate, verſus viſcera abdominalia hernias has formari vidimus, ſi ſimul valida et retro nitens muſculorum abdominalium actio, viſcera fortius vrgendo, annulum abdominalem, a natura ſatis munitum, tamen diſtendit: ex plurimis itaque cauſſis occaſionalibus nonnullas tantum indicemus: clamorem, luctationem, eleuationem molis ponderoſae, in diuerſo ſitu et niſu partium corporis ſuſceptam, inprimis ſi eo tempore infimus venter cibo, potu, immo ſaepe

flatibus nimium diſtentus ſit, vel corpus ſimul extenſione ſpinae dorſi retrorſum facta vrgeatur.

§. 1036.

Cum parua adhuc et vix orta hernia grauiſſima ſaepe incommoda adiuncta habeat, bubonocele inprimis, quippe quae cum bubone inguinali confundi poteſt, caute diſquirenda eſt. Bubo vero ab oſſe pubis magis diſtat, quam bubonocele: ille durior eſt; haec, ſi omentum continet, mollior: ſi inteſtini partem, magis tenſa: in tuſſiente bubo immobilis ferme eſt, concutitur tumor bubonoceles. Quae quidem ſigna, quamquam ſatis certa, cum cauſſis tamen ſedulo conferantur, quo differentia accurate cognoſcatur. In progreſſu bubo lentius increſcit, et vtplurimum parum dolet, tandem inflammatur et in abſceſſum abit: inflammata autem hernia vomitus, et alia ſymptomata §. 1028. adfert.

§. 1037.

De hernia crurali hic quaedam monenda ſunt. Haec ad locum, quo vaſa cruralia ſiue femoralia ex abdomine egrediuntur, orta, cum bubone magis confundi poteſt, rotunda tamen eſt, neque in longitudinem extenſa, vt bubo, ab oſſe pubis magis diſtat, et in foeminis crebrius quam in viris occurrit. Ob nimiam loci tenſionem partes ex cauo abdominis prolapſae difficilius, quam in bubonocele diiudicantur; curatio tamen ex huius conſideratione maximam partem intelligitur.

§. 1038.

In hernia itaque omni protinus tentanda eſt repoſitio partium elapſarum. Aeger in ſupinum ſitum, coxis tamen elatioribus, reponatur, femur etiam affecti lateris non nimium tendatur, ſed modi-

modice flectatur, quo annulus et ſtrata tendinoſa inferiora muſculi obliqui externi non nihil relaxentur. Tumor ipſe nimia preſſione non vrgeatur, ſed blande et mutatis quodammodo digitis ita vrgeatur, vt pars ab imo ventre propior, et deinde reliqua retropelli tentetur. Aeger ipſe interea valide non inſpiret, ſed modice tantum abdomen agitet, quibus auxiliis coniunctis, breui ſaepe temporis ſpatio repoſitio abſoluitur.

§. 1039.

Si tenſio nimia eſt, et inflammatio aliaque ſymptomata iam imminent, haec auxilia acceleranda et maiori cum cura applicanda ſunt; iniiciantur praeterea crebriora clyſmata, vena ſecetur vna alteraque vice, externe applicentur cataplaſmata et fomenta, iisque per horam vnam atque alteram admotis, abſterſa prius humiditate adhaerente, quo digiti certius applicari queant, denuo tentetur repoſitio, quae ſi nondum ſucceſſerit, antequam inflammatio intendatur et ſymptomata nimium ingraueſcant, ad operationem properandum eſt.

§. 1040.

Antequam vero de ea exponimus, nonnulla de faſciis herniam repoſitam continentibus tradenda ſunt. Lamina ferrea, corio vel linteo denſiori et molli obuoluta, quae coxis et inferiori parti abdominis cinguli inſtar circumdari, et loro adſuto accommodari poteſt, in anteriori parte, quae annulum abdominalem reſpicit, corpus comprimens, ſiue pilam oblongo depreſſam mediante ginglymo annexam habeat, quo et mobile ſit et elatere inſtructum, et in vario corporis ſitu annulum bene comprimat. Alia ratione lorum tantum ſeu cingulum, ex corio denſo

paratum, vel ex ſericeo aut lineo opere textum, circa coxas ducitur, et corpus comprimens anterius affigitur, loris in poſteriore parte annexis et per crura ductis, ita, vt pro rei neceſſitate in anteriori parte magis minusque adſtringi poſſit.

§. 1041.

Annulo abdominali per herniam non nimis dilatato, ſed in bono corporis habitu, prioris perizomatis vſus egregie conuenit, quoniam elapſa ſatis coercet: annulo autem valde dilatato, potiſſimum in macilentis et obeſis corporibus, alterum, quod magis comprimit, requiritur. Corporis comprimentis ſiue pilae figura et magnitudo ſingulis aegris accommodanda eſt, quo elapſa retineantur et recondita maneant. Quod ſi enim partes ipſae negligentius repoſitae ſtringantur, vel ſucceſſiue cum ſacco hernioſo coaleſcant, vel inflammentur, multa incommoda oboriuntur. Haec itaque faſciae ſiue perizomatis adaptatio iterata tentamina atque mutationes exigit, donec auxilium quaeſitum ex voto praeſtet.

§. 1042.

Antequam ad ſcalpelli vſum progrediatur chirurgus, aegri vires et febris aliaque ſymptomata coniuncta examinanda ſunt. Si enim in hernioſo, de reliquo ſano, febris moderata vel nulla eſt, et auxilia repoſitionis, §. 1038. ſeqq. ob ſcybala copioſa et aerem in inteſtinis elapſis retenta, interdum etiam propter ſpaſmum, fruſtranea fuerunt, inciſio ſine mora ſuſcipiatur. Si vero non tantum grauis inflammatio, ſed et gangraena imminens terret, ſi aeger vel graui morbo antecedente, vel febre nimis valida debilitatus fuit, euentus operationis ſaepe incertus eſt. Praeparetur autem aeger, ſi opus eſt, venaeſectione,

aluus

aluus ſemel iterumque clyſmate euacuetur, quo ſpaſticae tenſiones remittant, tandem etiam vrina excernatur.

§. 1043.

Aeger ſupinus iaceat, coxis in latere affecto potiſſimum paulo elatioribus, pili pudendorum in eodem latere abradantur, et inciſio longitudinalis per cutim ſolam fiat. Plica nimirum cutis eleuetur, et pertundatur, poſtea vulnus ſurſum deorſumque amplietur, ſi tamen hoc, etiam femore lateris affecti adducto, fieri nequeat, integumenta caute ſuper tumorem incidenda ſunt. Vulnere cutaneo inflicto, et, quantum fieri poteſt, ampliato, pinguedo remoueatur, quod ſcalpello retuſo, niſi adeps nimium indurauerit, optime perficitur. Sanguis, ſi effluxerit, abſtergendus et vario modo coercendus eſt, antequam ad reliqua peragenda progrediatur chirurgus.

§. 1044.

Saccus hernioſus itaque denudatus caute et plaga tantum exigua incidatur, quae tamen forfice ſurſum deorſumque ducto amplietur, quo contenta accurate examinari poſſint. Aqua limpida proſiliens, niſi nimia eius copia fuerit, timenda non eſt, copioſa tamen vel ſanioſa relaxationis et corruptionis inſignis indicium praebet. Omentum et inteſtina elapſa paulo poſt per annulum in abdominis cauum reducantur, margo annuli inciſionibus ſcalpello factis ſcarificetur. Vulneri imponatur linteum tenue, et huic pila ex lineis filis facta, paulo poſt copioſa lintea carpta, et panni comprimentes per gradus aucti. Omnia tamen ita diſponantur, ne vaſa ſpermatica nimium comprimantur, tandem faſcia iniiciatur.

§. 1045.

§. 1045.

His generatim propoſitis nonnulla monita ſubiungenda ſunt: annulus nimis anguſtus, per quem elapſa nequeunt reduci, verſus pubem dilatandus eſt ferramentis, quae §. 997. conſiderauimus; ſed cauendum eſt, ne iis elapſa inteſtina vel arteria epigaſtrica laedantur. Omenti pars alienata caute ſeparanda eſt, §. 999. inteſtinis vero vel vulneratis, vel gangraena et ſphacelo affectis, et ita foecibus profluentibus, ea, quae §. 1002. oſtendimus, tentanda ſunt.

§. 1046.

Arteria epigaſtrica diſciſſa magnum periculum infert, cum ea proxime ad annulum vix filo comprehendi et ligari poſſit, §. 997. et ita ſanguis in abdominis cauum effundatur. Tentanda eſt compreſſio in margine oſſium pubis, puluillis liquore aliquo ſtyptico imbutis, vel agarico querno, §. 382. vel digitis ipſis admotis. Si inteſtinum cum ſacco hernioſo coaluit, in recenti coaleſcentia ſeparatio interdum cultro retuſo efficiatur: ſi autem firmius adhaeret, ſine metu inflammationis ſtringi nequit. Saccus hernioſus, ſeu peritonaeum extenſum, ſi exigua eius portio eſt, ſcalpelli inciſuris diuidi, et ſuppuratione poſtea tolli poteſt; ſi vero maior portio eſt, quae a chorda vaſorum ſpermaticorum, vtpote non laedenda, commode ſeparari nequit, difficilior redditur curatio. Hernia itaque magna et inueterata cum peritonaeo calloſo vel difficulter, vel prorſus non curatur.

§. 1047.

In vlteriori aegri cura ea attendenda ſunt, quae in grauiter vulneratis obſeruare conuenit. Febris et victu et medicamentis moderata conſeruetur, vena,

vena, ſi opus eſt, denuo incidatur, et chirurgus, qui faſciam, niſi aliquod ſymptoma vrgeat, tertio tandem vel quarto die ſoluit, eo reſpiciat, vt poſt moderatam inflammationem, ſuppurationem blandam efficiat, et tandem cicatricem inducat. Licet vero annulus cicatrice inducta ſatis munitus videatur, conſultum tamen eſt, perizomate applicato §. 1040. recidiuam auertere.

§. 1048.

Oſcheocele, ſeu hernia ſcrotalis, non niſi ex bubonocele neglecta oritur, niſi forte a rariſſima peritonaei ad annulum ruptura repetatur: ſucceſſiuo itaque incremento optime cognoſcitur, et ab hydrocele et ſarcocele, quae teſtium vitia, mox conſideranda, ex aliis cauſſis oriuntur, facile diſtinguitur. Reductio partium in ſacco hernioſo contentarum vel plenaria, vel partialis, ſatis certa ſigna praebet: in ſarcocele enim durities, in hydrocele maior tenſio cum pelluciditate obſeruantur.

§. 1049.

Si oſcheocele nec magnitudine, nec calloſitate ſacci hernioſi, inſignis eſt, caute reponi et perizomate muniri poteſt; ſi ſymptomata vrgent, operatio chirurgica, quam in bubonocele deſcripſimus, §. 1042. ſeqq. hic quoque ſuſcipienda eſt; ſi vero nimia inteſtinorum moles elabitur, et, quod non raro fieri ſolet, cum teſticulorum vitiis coniuncta deprehenditur; ſi peritonaeum extenſum maxime calloſum redditum eſt; non niſi ſuſpenſorio ſcroti coerceri poteſt. Cum annulus in his maxime dilatetur, magnam ſaepe herniam ſcrotalem per multos annos, non quidem ſine moleſtia, ſed tamen ſine inflammatione mota, ferri poſſe cognouimus.

§. 1050.

Hernia cruralis §. 1037. in foeminis imbecillis poſt grauiditatem et partum non raro inducitur; cura itaque habenda eſt, quo illa protinus reprimatur et faſcia contineatur. Pila oblonga, quae faſciae annectitur, ita applicetur, vt verſus ſuperiora et interiora vrgeat, faſcia ipſa per foeminea ducatur, et ſuper coxas in macilentis potiſſimum figatur. Si itaque interna curatione infirmitati occurritur, hernia, peritonaeo iterum confirmato, breui curatur, ea tamen ſaepe reuertitur et maxime moleſta eſt. Ob vaſa vicina difficilius inciditur, caute tamen tentanda ſunt, quae in bubonocele §. 1042. ſeqq. propoſuimus.

§. 1051.

Cyſtocele ſiue hernia veſicae vtplurimum cum bubonocele complicata eſt, et raro ſola obſeruatur, difficultas vrinam mittendi huius ſuſpicionem mouet, et nos impellit, quo de repoſitione mox ſolliciti ſimus, alias enim, inprimis ſi diu ſubſiſtit, proceſſus ſiue expanſiones veſicae habituales fiunt. Si ad inciſionem deueniendum eſt, bene perpendat chirurgus, proceſſum peritonaei hic loci nullum ideoque cauendum eſſe, ne veſica ipſa incidatur, integumentis potius reclinatis de veſicae parte protruſa blande reprimenda cogitet.

CAPVT IV.

DE TESTIVM MORBIS.

§. 1052.

De herniis veris nunc egimus, §. 1014. ſeqq. cyſtocele adiuncta, ad ſpurias vero, quae nimirum ex-

extenſiones peritonaei non coniunctas habent, explicandas nunc demum accedimus, cum teſticulorum morbos pertractandos nobis ſumimus. Paucis itaque de inflammatione teſticulorum praemiſſis, cyſtocelen ſeu herniam varicoſam, ſpermatocelen ſeu epididymidis tumorem ex ſpermate retento, ſarcocelen ſeu herniam carnoſam, hydrocelen ſeu herniam aquoſam ſuccincta tractatione examinabimus.

§. 1053.

Vel tenera teſticuli fabrica, vel potius vaſa ſanguifera ad eos deducta, violento impetu et compreſſione externa, etiam, id quod crebrius fieri ſolet, cauſſa venerea, inprimisque gonorrhoea virulenta retropreſſa, ita irritantur, vt inflammatio cum magno dolore partis affectae moueatur. In omni itaque caſu, vbi febris iuſto vehementior eſt, venaeſectio inſtituatur, in venerea autem cauſſa, impetu morbi non nihil cohibito, optime gonorrhoea reuocatur, et blandis diureticis iuuatur. (m. c. §. 975. ſeqq.)

§. 1054.

In principio morbi, a cauſſa externa violenta inducti, ad reprimendam inflammationem acetum lithargyriſatum et alia roborantia adhibent nonnulli chirurgi, §. 80. quae ipſa remedia nonnunquam in tumore inflammatorio, a cauſſa venerea oriundo, applicari ſolent. Tutius autem videtur, diſcutientia cataplaſmata ex herbis amaris, et emplaſtra ex malactico, diachylo cum gummis, et diaphoretico malaxata applicare, atque etiam in nimia tenſione emollientibus medicamentis herbam hyoſcyami et crocum addere. §. 82. ſeqq. Etſi enim, ſi diſcuſſio inflammationis non ſuccedat, pus cogitur, et abſceſſus hic contractus, ob laxum contextum celluloſum tuni-

tunicae vaginalis et ſcroti maximopere moleſtus eſt, hic tamen euentus tutior eſt, quam ſi durities teſticuli relinquatur.

§. 1055.

Vti in aliis corporis partibus interdum venae varicoſae redduntur, §. 333. ſic idem in faſciculo vaſorum ſpermaticorum, praecipue in ſic dicto corpore pampiniformi, fieri ſolet, quod vitium cirſocele, ramex ſeu hernia varicoſa dicitur. Tument venae ob difficilem ſanguinis regreſſum, cuius cauſſae vel in ipſa ſanguinis indole ſpiſſa et cacochymia atrabilaria, vel in nimio veneris exercitio, vel in compreſſione a vita ſedentaria, contuſione externa violenta, perizomate in bubonocele ſtrictius appoſito, quaerendae ſunt.

§. 1056.

Ex his cauſſis in recenti morbo indicatio curatoria cognoſcitur: correctio enim ſanguinis ſtagnantis, diluentibus, reſoluentibus et aptis euacuantibus medicamentis abſoluitur; nimium veneris exercitium interdicatur, emplaſtris et cataplaſmatibus diſcutientibus et roborantibus tumor diſſipetur; cauſſa comprimens quantum fieri poteſt remoueatur, ſi vero malum confirmatum ſit, et venae quaſi occalluerint, auxilium certum aegre reperiri poteſt. Inciſis enim venis ſanguinem ſtagnantem emittere vix conuenit, cum mala vlcera et noua ſanguinis collectio ſubſequatur. De hydrocele funiculi ſpermatici, quae interdum cum cirſocele oritur, mox dicturi ſumus.

§. 1057.

Si ſperma ex lentore ſucceſſiue in epididymide ſtagnat, eaque duriore reddita, ſpermatocele oritur, in leuiori malo et mox ab initio puluеres diſcutientes

tes in ſuſpenſorio ſcroti diu applicati, vel cataplaſmata et emplaſtra ſimilia leuamen afferunt, inprimis ſi ſpermate blande excreto via liberior reddatur, et cauſſa interea apta medendi ratione tollatur. Sed confirmato malo, et vaſe deferenti plane obſtructo, tumor ſubſiſtit, et in ſarcocelen tranſit.

§. 1058.

Inflammatione teſticuli magis cohibita, quam diſcuſſa, ex cirſocele vel ſpermatocele nimis confirmata, vel ipſe teſticulus mole augetur, et in verum ſcirrhum mutatur, vel vaſa vicina, inprimis epididymis indurata, carnoſis vel ſimilibus concretionibus anſam praebent. Hinc oritur ſarcocele, quae indurationem vix diſcutiendam teſticuli et partium vicinarum ſiſtit: quare, cum moles nimia funiculum ſpermaticum tendat, et continuum tumoris augmentum efficiat, teſticulus ſtatim a principio ſuſpenſorio ſcroti eleuandus eſt, vt incrementum, quantum fieri poteſt, auertatur.

§. 1059.

Epididymidis tumor, qui vtplurimum ſarcoceles prodromus eſt, ſaepe pulueribus diſcutientium plantarum in ſuſpenſorio ſcroti applicatis, vel emplaſtris ſimilibus diſſipatur, §. 1057. In maiori morbi augmento, inprimis ſi a cauſſa venerea pendeat, inunctiones mercuriales tentandae ſunt, qua in re et vniuerſalis humorum correctio negligenda non eſt. Caue tamen, ne tumorem, qui diſcuti nequit, moueas, et ad peſſimam atque adeo carcinomaticam exulcerationem diſponas, ſed teſticulum morboſum, medicamentis externis non tentandum, caute ſuſpenſum cuſtodias.

§. 1060.

Si metus eſt, ne ſarcocele moueatur, ligato funiculo vaſorum ſpermaticorum exſcindenda eſt. Antea vero accurate diſquiratur, vtrum aegri vires ſufficiant, an tumor nimium increuerit, et, quod ſaepius fieri ſolet, cum nimia partium extenſione hernia varicoſa et hydrocele partialis funiculi ſpermatici coniuncta ſit: haec enim vel difficilem, vel prorſus impoſſibilem operationem reddunt. Bubonocele quoque complicata chirurgum impedit, huius tamen repoſitione primum praeſtita, exſtirpatio tumoris, methodo nunc deſcribenda, ſuſcipiatur.

§. 1061.

Aegro itaque vt decet antea praeparato, et, cum operationem ſubire debet, in lecto repoſito, inciſione longitudinali, ex inguine vsque ad imam ſcroti partem producta, §. 1043. faſciculus vaſorum ſpermaticorum ſcalpello primum, poſtea digitis ſeparetur. Si celluloſus contextus nimium induruit, ſeparatim lino circumducendus vel praeſcindendus eſt; ipſe vero funiculus filis nonnullis cera coniunctis, interpoſito puluillo ex linteo cerato, primum ſimplici, et paulo poſt duplici nodo conſtringi debet. Subducantur vero et alia fila compoſita, quae, prioribus forte relaxatis, circumducenda ſunt. Praeſcindatur tunc ligatus funiculus, tumidus teſticulus ſeparetur, et ſcroti nimis extenſi portio ſimul auferatur.

§. 1062.

Si annulus inflammatione turget, incidendus eſt, ne paulo poſt vaſa ſpermatica tumida facta premat. Vaſa ſparſim excurrentia, nimis extenſa, et ideo ſanguinem fundentia, liganda ſunt, linteis carptis poſtea omnis ambitus caui contegatur, nec partes laeſae nimium adſtringantur, ne compreſſio inlaxio-

laxioribus his partibus gangraenam moueat. Febris ſuperueniens inflammatoria venaeſectione, victu tenui diluente acidulo, nec non medicamentis moderanda eſt, quo apta ſuppuratio ſuccedat, et vulnus ad depurationem et conſolidationem deducatur.

§. 1063.

In variis herniae ſpeciebus aquam colligi, et ita hydrocelen complicatam eſſe poſſe, paſſim monuimus, §. 1032. 1044. Vera autem hydrocele eſt, vbi aqua intra tunicam albugineam continetur et teſticulum ambit, ideoque cum hydrope aſcite comparari poteſt. Cum autem tunica vaginalis, teſticulum ambiens, vel in contextu celluloſo circa teſticulum tantum, vel in toto tractu faſciculi vaſorum ſpermaticorum aquam quoque contineat, alia ſpecies hydroceles oritur, quae cum anaſarca comparatur. Hydrops autem ſiue anaſarca ſcroti, de qua ſuo loco agendum eſt, ad teſticulum non pertinet.

§. 1064.

Recentioribus obſeruationibus intellectum eſt, in anaſarca tunicae vaginalis et funiculi vaſorum ſpermaticorum aquam non ſemper per omnes cellulas diffuſam, ſed in aliqua peculiari cellula, magis extenſa, et cyſticum tumorem referente, haerere, membrana cyſtidis plus minus calloſa reddita, et aqua contenta plus minus ſpiſſa et corrupta, quam quidem hydroceles ſpeciem ab vniuerſali effuſione aquae in cellulas tunicae vaginalis diſtinguere, et indè cyſticam appellare ſolent.

§. 1065.

Cauſſae, quae aquas in variis his ſedibus colligunt, ex diſpoſitione quadam aegri vniuerſali, cacochymia ſcilicet ſeroſa, et laxitate partium ſolidarum, petendae ſunt. His praediſponentibus tamen

accedunt occaſionales, quibus effuſio aquae potiſſimum circa has partes adſcribenda eſt. Cum ſarcocele enim, ob liberum humorum circulum impeditum, hydrocele vera tantum non ſemper oritur; compreſſio etiam valida vel teſticuli ipſius, vel faſciculi vaſorum ſpermaticorum, quae poſterior ſaepe tribuenda eſt perizomatibus, in bubonocele ſtrictius applicatis, anaſarcam funiculi ſpermatici et tunicae vaginalis, aut vniuerſalem, aut cyſticam inducit; aquae enim copioſius effuſae in diſtentis et calloſis redditis cellulis reſorberi nequeunt.

§. 1066.

Anaſarca funiculi ſpermatici ſaepe cum cirſocele eſt, et teſticulum liberum relinquit: ſi peculiare et oblongum corpus veſicae ad inſtar tumorem diſtinctum ſiſtit, hydrocele cyſtica funiculi agnoſcitur; ſi ſcroti vnum latus tumet, et loco teſticuli tumor tenſus, digitis non nihil cedens, ſed mox aſſurgens, obſeruatur, faſciculo vaſorum ſpermaticorum libero relicto, anaſarca tunicae vaginalis teſticulum ambientis adeſt. Haec in infantibus recens natis et pueris oborta ſaepe pellucida apparet, in adultis autem, vbi tunica occalluit, et aquoſus humor ſpiſſior redditus fuit, tumor minus pellucidus eſt, ſed tenſione et fluctuatione aquae praeſentia cognoſcitur. Si tumor mollior eſt, et veſicam quaſi oblongam et extenſam comprehendere videtur, hydrocele cyſtica tunicae vaginalis indicatur. Vera hydrocele, aſciti ſimilis, quae in albuginea teſticuli tunica aquas collectas ſiſtit, rarius aliter quam cum ſarcocele, §. 1058. oritur. In omnibus his ſcroti integumenta adhuc rugoſa ſunt, altera eius pars magis contracta et libera.

§. 1067.

§. 1067.

Diagnoſi ſic ſtabilita, prognoſis formetur. In recenti malo, praecipue in pueris, morbus internis externisque medicamentis diſcutientibus curari poteſt, reſorptio enim aquarum in tenera hac aetate facilius efficitur; e contrario tumor, plures menſes aut annos confirmatus, his auxiliis non cedit. Adultiores hydrocelen non celeriter increſcentem, ſuſpenſorio ſcroti applicato, et apta diaeta obſeruata, ſaepe ad ſummum vsque ſenium ſine magno incommodo ferunt; ſi vero celeriter increſcit, vel diu ſubſiſtens, cauſſa occaſionali accedente, mouetur, varia artis auxilia tentanda ſunt, quae in validis et ceteroquin ſanis corporibus ex voto ſuccedunt, imbecillis autem et cacochymicis ſaepe varia incommoda, inprimis exulcerationes, afferunt.

§. 1068.

Medicamenta purgantia et diuretica varias hydropis ſpecies, ideoque hydrocelen recentem, quoque reſorbendo diſcutiunt, inprimis ſi in ſuſpenſorio ſcroti ſimul pulueres ex radice bryoniae, herbis meliloti, rutae, hyſſopi, cet. applicentur; robur tamen partium in corporibus laxis et apta diaeta et medicamentis reſtituatur. Iam monuimus §. 1067, haec auxilia non niſi in iunioribus et ad reſorptionem adhuc aptis corporibus expectari poſſe. Quod ſi haec remedia in obfirmata hydrocele nihil valeant, ſuſpenſorio ſcroti applicato, incrementum tumoris tantum coerçendum eſt.

§. 1069.

Punctura cum acu triquetra, §. 1011. vel ſcalpello ancipiti facta, aquae quidem emittuntur, ſed

vtplurimum breui iterum colliguntur. Cum autem interdum in his partibus, poſt aquarum effluxum relaxatis, exulcerationes obortae fuerint, multa chirurgi cura depuratae et ſanatae, aliud auxilii genus tentatum eſt. Filis nimirum goſſypinis, vt in ſetaceo, §. 527. transductis, vel irritatione per medicamenta cauſtica, aquas educi, ſuppurationem moueri, et tandem, depuratione ſucceſſiua facta, cicatricem denſam induci poſſe cognouerunt. In his quidem curationibus inflammatio et gangraena, vel deſtructio partium vlceroſa, cacochymicis potiſſimum timenda, nec facile proſper euentus certo praedicendus eſt; in hominibus tamen de reliquo ſanis felicius forte ſuccedit curatio.

§. 1070.

Cyſticae hydroceles, ex ſuis ſignis cognitae, §. 1066. aliam tractationem tutiorem iudicant recentiores: aliquam nimirum partem integumentorum ſcroti diſtentorum vel incidunt, vel exſcindunt, et cyſtidem, quae ſola aquam continet, primo quodammodo euacuant, poſtea ſucceſſiue exſcindunt, et, ſi cyſtidis pars funiculo ſpermatico vel tunicae teſticuli firmius adhaereat, eam adurentibus medicamentis tollunt, et ita certam et conſtantem curationem promittunt, quae quidem medendi methodus a DOUGLASSIO fuſius deſcribitur *).

*) vid. Treatiſe on the hydrocele, London 1755. 8uo. pag. 134. ſeqq.

CAPVT

CAPVT V.

DE SCROTI ET PENIS MORBIS.

§. 1071.

Aqua in cellularem ſcroti tunicam deducta rugoſam hanc partem in inſignem ſaepe molem extendit, quod quidem vtplurimum cum anaſarca, ex cruribus ad abdomen progrediente, rarius in ſcroto ſolo euenire ſolet. Hydrops ſcroti appellatur hic morbus, et ab aliis tumoribus in hac parte natis differt, quod ſcrotum totum erugatum eſt, ſutura in medio permanente, et quod tumor ad integumenta penis progreditur. In cauſſa vniuerſali tentanda ſunt ea remedia, quae hydropicis conueniunt, ſola enim externa parum ſolatii praebent, niſi forte reſorptionem diſcutiendo iuuent. In pueris potiſſimum, et vbi cauſſa particularis eſt, epithematibus ex herbis diſcutientibus, cum vino rubro coctis, vel aceto ad decoctum aquoſum addito, diſcuſſio facilior redditur. Emplaſtra diſcutientia de cumino, cicuta, meliloto et alia, quibus gummata adiecta ſunt, efficaciora forent, dummodo tenera cutis ſcroti eadem ſemper ferre poſſet.

§. 1072.

Periculum rupturae a nimia diſtenſione, quae, inprimis aquis corruptis, gangraenam certo inducit, ſic forte auerti poteſt, vt cutis ſcalpello tenui crebrioribus et minoribus inciſuris diuidatur, quo effluxus moderatus ſit, et interea epithemata ex amaris et reſoluentibus decoctis, quae gangraenae imminenti reſiſtunt, §. 158. adhiberi queant. Si vero gangraena, quod ſaepius fieri ſolet, ſubito oriatur

et celerius proſerpat, tenera ſcroti cutis tota ſecedit, eam tamen ſeparatam, apta medendi methodo adhibita, in iuniore renaſcentem vidimus.

§. 1073.

Continuata etiam penis integumenta, ſimili contextu celluloſo praedita, in hydrope ſcroti ſimul diſtenduntur, et penis flaccidus, retractus et incuruatus, ad vrinam dimittendam aegre diſponitur, inprimis ſi oedema praeputii, ſeu bulla cryſtallina, ſimul oriatur. Alia vero ratione ab acri et vlceroſa materia, circa coronam glandis ſub praeputio retenta, hoc glandis inuolucrum ita intumeſcit, et ad orificium anguſtatur, vt ſuper coronam verſus abdomen retrahi nequeat, ſaepiusque viam vrinae praecludat. Phimoſis dicitur morbus, in cuius cura mox in principio epithemata et cataplaſmata emollientia applicanda ſunt, quo integumenta tenſa relaxentur, et ita materia acris vel effluat, vel reclinato praeputio abſtergatur.

§. 1074.

Si tumor his non diſcutitur, vel eo diſcuſſo nimis ſtrictum adhuc eſt praeputium, hoc incidendum eſt. Scalpello paruo, non nihil incuruo, cuius apex globulo cereo munitur, vel crure forficis, globulo inſtructi, inter praeputium et glandem vsque ad huius coronam deducto, et cute paululum attracta, inciſio fit. Melius autem eſt, hanc inciſionem ab vno alteroque latere, quam in ſuperiori parte, tentare. Minus conuenit, praeputium ſuper glandem attrahere et circumcirca praeſcindere, cum hac ipſa inciſione ſtrictura circa coronam penis non tollatur.

§. 1075.

Cum praeputium poſt coronam glandis retractum arctius adſtringitur, ita vt verſus anteriora trahi

trahi non poſſit, et glans nuda maneat, paraphimoſis dicitur morbus, qui quando, rigente cole, inprimis ex ipſius inflammatione, accedit, dolorem inſignem excitat; remittente autem tenſione glans iterum contegitur. Iam ſi tunc quoque nimius ſanguinis ad penem acceſſus eſt, et regreſſus nimia eius tenſione atque inflammatione cohibetur, vena dorſalis penis incidenda eſt. Si vero pene relaxato praeputium nimis anguſtatum et ſtrictum permanet, emollientibus fomentis et cataplaſmatibus applicatis interdum medela affertur.

§. 1076.

In aegris, venerea labe affectis, nonnunquam vlcera et verrucae in glandis corona et ad frenulum haerent, et, quod ſaepius fieri ſolet, etiam praeputii internam ſuperficiem occupant, ideoque inflammationem inducunt. Praemiſſis itaque iis remediis, quae inflammationi in genere medentur, ea quoque, quae cuilibet parti inflammatae applicanda ſunt, non negligantur: id vero ſaepius non fieri poteſt, niſi praeputium incidatur, quod cute verſus pubem retracta in loco arctiori efficitur, quo facto et ſymptomatibus conſopitis laxior cicatrix inducitur.

§. 1077.

Glandulae nimirum folliculoſae et ſpongioſae peculiaris fabricae, quae circa coronam glandis et praeputium in viris, nec non in pudendo muliebri paſſim poſitae ſunt, interdum vel ex labe corporis venerea vniuerſali, vel ex partiali contagio poſt coitum impurum, inflammantur. Cum itaque foedo humore ſcateant et calloſa ſint, vlcuſcula cancroſa vulgo appellantur. In his curandis vniuerſalis humorum correctionis, et venerei contagii diſſipationis ratio habenda eſt. Recenti contagio orta, et

cum aliquo pruritu coniuncta, ſaepe emollientibus medicamentis cedunt; inueterata vero lenioribus cauſticis tentari et poſtea exſiccari debent, quo eroſionis cauſſa, acrium nimirum humorum affluxus, tollatur.

§. 1078.

Et verrucae in his partibus oriuntur, ſeu excreſcentiae durae variae figurae, prurientes et dolentes, quae propter papillas glandis penis, ſub tenerrima cuticula collocatas, et acri humore vitiatas, ſine vlceroſa labe calloſae fiunt, §. 678. Cauſſa ex venerea labe oriunda, medicamentis vniuerſalibus remouenda eſt: hac enim cura neglecta, medicamenta adurentia nihil praeſtant, cauſſa vero remota, ſaepius ſponte cadunt et emoriuntur. Elongatas has papillas vel ligare, vel praeſcindere non conuenit, niſi enim radix ſimul exſtirpetur, auxilium fruſtraneum eſt.

§. 1079.

Si varia haec glandis, et penis potiſſimum, vitia negligentius tractantur, vel digeſtiuis pinguibus nimis emolliuntur, non tantum gangraenoſa et ſphaceloſa corruptio in ſpongioſa hac parte accedit, ſed carcinomatica quoque vlcera oboriuntur, et ita increſcunt, vt vnicum auxilium, penis amputatio, ſuperſit. Retractis itaque integumentis ad pubem, et parte affecta modice extenſa, penis in parte ſana praeſcinditur; arteriae per corpora cauernoſa excurrentes, ſi forte nimia haemorrhagia oriatur, ligentur, cannula in vrethram ingeratur, quae pileolo inſtructa eſt, cuius cauum linteis carptis repletum, et quatuor loris corpori alligatum, haemorrhagiam ſiſtit, et vrinae liberum exitum concedit. Praeſtat nimirum, ſcalpelli operam experiri, quam ex quorundam chirurgorum conſilio ligaturam applicare, et ſeparationem ſpontaneam expectare.

CAPVT

CAPVT VI.

DE ANI VITIIS.

§. 1080.

Inter ani morbos haemorrhoides praecipue occurrunt, de quibus iam fuſius egimus, (m. c. §. 421. ſeqq.) nunc nonnulla de auxiliis externis in variis haemorrhoidum vitiis, vt introductionem in hanc tractationem, praemittimus, de variis tuberculis ad anum natis paulo poſt agimus, fiſtulam ani diiudicandi et curandi rationem addimus, et tandem de prolapſu inteſtini recti et ano praecluſo nonnulla ſubiungimus.

§. 1081.

Cum nimius haemorrhoidum fluxus ex cauſſis internis praecipue pendeat, iis protinus quiete, abſtinentia a victu nimis nutriente et potu ſpirituoſo, reliquisque auxiliis, quae vel circulationem ſanguinis in genere, vel ſpeciatim in abdomine expediunt, medendum eſt. Fumigationes et epithemata, ex adſtringentibus parata, ad internas ſedes vix penetrant, ligaturae autem, et reſectio venarum varicoſarum, vel non perfici poſſunt, vel etiamſi externe patent, ob metum vlcerum et tuberculorum relictorum vix tuto ſuſcipiuntur.

§. 1082.

Si venae circa anum turgent, et vel inflammationem mouent, vel nimis occalleſcunt, nec fluunt, ſed coecae ſunt, pruritus, dolor et alia grauiora incommoda ſubnaſcuntur. Oriuntur vero ex plethora, alui ſiccitate, et pertinaci saepius obſtructione, abuſu potus ſpirituoſi, et aliis cauſſis, quae circulum ſangui-

nis

nis in ſyſtemate venae portae retardant, ex cacochymia inprimis venerea, quae internas curationes exigunt. Acria purgantia reſinoſa, et inprimis aloetica nocent; clyſmata, et laxantia lubricantia, et ſalina magis conueniunt, in curatione autem reliqua ea attendantur, quae alibi monuimus. (m. c. §. 430. ſeqq.). Externe igitur diſcutientia vel emollientia medicamenta requiruntur, quo vel reſoluantur, vel pure moto abſcedant. Caue tamen, ne ob loci vix euitandam ſorditiem mala vlcera relinquantur.

§. 1083.

Si venae nimis turgent, et moderata adſtringentia, v. c. ſacculi cum ſcobe ligni querni, vel aliis plantarum pulueribus, impetum ſanguinis reprimere nequeunt, vel ſi ſtagnantis ſanguinis euacuatio ex aliis cauſis neceſſaria videtur, hirudines applicandae ſunt. (i. m. §. 1657). Hi vermes ſanguinem ſugentes ex ſtagnis colliguntur, et in vaſe aqua pleno aſſeruantur, quo famelici fiant, et ita tuberculis admoti ſanguinem copioſum ſugant. Melius eſt, ſi ſanguine turgentes ſponte remittant, quam ſi irritentur aut praeſcindantur, cum hoc facto vel ſpurco quodam humore emiſſo, vel alia ratione ſaepe inflammationem moueant. Interdum, praecipue in corporibus de reliquo ſanis, turgentes venas incidere, et ita ſanguinem euacuare, praeſtat.

§. 1084.

Vel ex haemorrhoidibus varie tentatis, vel ex impuri humoris ad anum decubitu, varia tubercula circa hanc partem oriuntur, quorum magna differentia eſt. Aut enim mollia ſunt variae figurae, ex appendice tenui non nunquam pendentia, et ficus vel criſtae dicuntur, aut vt verae verrucae, §. 677. ſedem in cute figunt, ac dura et aſpera ſunt; ea tandem

dem tubercula, quae dura, calloſa et ſubrotunda ſunt, et ſub cute in contextu celluloſo haerent, condylomata dicuntur. Haec quidem interdum in ani margine haerent, interdum tamen inteſtinum rectum altius occupant.

§. 1085.

Cum varia haec tubercula ex ſanguine ſpiſſo et impuro, interdum etiam a venerea vel alia labe vniuerſali oriantur, in aegri diſpoſitionem et morbos hos accurate inquirendum eſt, quo vel ad haemorrhoidum cauſſas, vel ad venereum contagium reſpiciamus: non enim, niſi praemiſſa interna curatione, externa remedia ſuccedunt. Inprimis vero inteſtini recti condylomata, quae ex inflammatis et ſcirrhoſis factis glandulis folliculoſis oriri videntur, peſſimae indolis ſunt, quippe quae non tantum, praeter continuum dolorem et tenſionem, obſtructiones alui pertinaces inducere, ſed in carcinomaticam quoque corruptionem abire poſſunt, et cum remoueri nequeant, altius imprimis haerentes, aegrum dolore et tabe conficiunt.

§. 1086.

Interna curatio ex aliis praxeos clinicae capitibus petenda eſt, externa vero ad vlceris et tumoris ideam diiudicantur. Vlcera enim digerentibus et mundificantibus medicamentis depuranda ſunt; interea tamen excreſcentes forte partes fungoſae lapide infernali deſtruendae, et eſchara paulo poſt remota, fundus vlceris purus redditus exſiccantibus medicamentis detergendus eſt. Nonnullae excreſcentiae fungoſae, ex tenui filo pendentes, forte ligatura tolli poſſunt.

§. 1087.

§. 1087.

In tuberculis duris et calloſis remouendis, quae altius inſident, ligatura locum non habet, et cauſtica medicamenta, largius admota, contextum celluloſum copioſius circumfuſum nimium deſtruunt. Optime igitur chirurgus eadem volſella vel digitis leuabit, et penitus, immo cum ipſa radice, exſcindet. Varia autem attendenda ſunt monita, de quibus in tractatione de ani fiſtula mox expoſituri ſumus.

§. 1088.

Multae ſunt cauſſae, quae abſceſſus ad anum, et ideo ſaepe ex his vlcera, ſinus et fiſtulas, inducunt. Etenim praeter pinguedinem copioſam et duram, quae inteſtinum rectum ambit, et ad nates ſe diffundit, venae, quae anum cingunt, ſanguine ſtagnante ſaepius diſtentae, alui ſegnitiem et inde pendentem ſiccitatem excretionis aluinae inferunt, quibus omnibus preſſio, irritatio et leuis ſaepe inflammatio, excitatur. A praediſponentibus tamen his cauſſis ad multas alias occaſionales remotas regrediendum eſt, (m. c. §. 424. ſeqq.) cum lentus, viſcidus et atrabilarius ſanguis hoc in loco praecipue congeratur, et, ſi corrumpitur, morbis circa anum oriundis anſam praebeat.

§. 1089.

Conſideratis iis, quae de abſceſſu §. 88. ſeqq. in genere, et ſpeciatim de furunculis, §. 690. ſeqq. in contextu celluloſo ſubcutaneo natis, declarauimus, indolem quoque abſceſſuum, ad anum et inteſtinum rectum natorum, facile perſpicimus: exquiſito enim dolore aegros excruciant, altius in pinguedine haerent, rubore cutis vix ſe produnt, difficilius in bonam ſuppurationem tendunt, et hac ſuccedente cauа ſaepe relinquunt, collectioni nouae materiae idonea.

Porro

Porro non ſemper externe, ſed haud raro in inteſtinum ipſum aperiuntur: inflammatione igitur diſſipata, acre pus in contextu celluloſo clandeſtine ſerpit, atque in ſinus et fiſtulas inde formatas excurrit.

§. 1090.

In principio quidem, et dolore monente, emollientia cataplaſmata applicantur, quo durities molliatur, pus cogatur, et fluctuante humore percepto abſceſſus incidatur, pure enim excreto durities relicta digeſtiuis emolliatur, et cauo depurato tandem cicatrix inducatur. Cum vero interdum abſceſſus profundus et proxime ad inteſtinum rectum haereat, fluctuatio materiae purulentae ob tenſam cutem non ſemper tactu percipiatur, immo abſceſſus furunculo ſimilis videatur: tutius eſt, eundem nondum maturum, ne pus diutius retentum in ſinus abeat, aperire, §. 108. et ita cum ſanguine materiam ſpiſſam nec ſatis coctam educere, reliquam autem partem ſucceſſiue emollire et depurare.

§. 1091.

In ipſis vero his abſceſſibus incidendis vulnus, quantum fieri poteſt, amplum efficiatur, quo materia contenta libere effluere, et ita depuratio ſufficiens fieri poſſit. Hoc eo magis tum neceſſarium eſt, cum, abſceſſu ſponte rupto, pus ſaepe ſanioſum per exiguum tantum orificium effluit, et ſinum continuo madentem relinquit. Cum enim tunc temporis acerbus dolor non vrgeat, aeger auxilium ipſe negligit, et ex his paruis initiis vlcera ſinuoſa et calloſa ſiue fiſtulae verae oriuntur. §. 500. Diſquiſitio itaque et curatio nunquam negligenda eſt, confirmato enim malo, auxilium difficulter praeſtatur.

§. 1092.

§. 1092.

Situs aegri in diſquiſitione ſinuum et fiſtularum, circa anum oriundarum, et in iis recte diiudicandis, et poſtea incidendis, a chirurgo bene attendi meretur. Imo ventre in latus incumbere, et adductis cruribus nates diducere, vna ſitus ratio eſt: aptior vero ea eſſe videtur, cum aeger pronus, coxis elatioribus, in lectulum transuerſim, vel ſuper ſellam aut menſam reponitur, et diductis natibus inteſtini recti orificium eiusque ambitus diſquiritur. In vtroque ſitu attendendum eſt, quomodo ſitus partium et ſinuum decurſus ſine nimia muſculorum adſtrictione ſpecillis diſquiri et poſtea incidi poſſit.

§. 1093.

Ante diſquiſitionem aluus exoneranda, vel lotione eluenda, et vrina mittenda eſt, poſtea ſpeculo ſic dicto ani, forcipis obliqui in modum formato, orificium ani nonnihil diducatur, et cruribus illius ſucceſſiue ad varias ani partes ductis, omnis ambitus inteſtini perueſtigetur. Hoc facto digitus oleo inunctus in anum introducatur, quo durities partium, vel fluctuans materia, vel arteria pulſans detegatur. Eo ipſo tempore ſpecillum flexile, vel cereus, in aperturam ſinus vel fiſtulae externam intromittatur, et blande adigatur, ne contextus celluloſus ſanus pertundatur. Hoc examine ſub vario partium ſitu repetito, amplitudo, directio, et aliae conditiones fiſtulae detegantur *).

*) De differentiis fiſtulae ani conf. HEISTERI Chirurgia Tom. II. cap. 168. §. 1. 2. pag. 1118. nos vlteriorem expoſitionem omittimus, et in methodo medendi potius differentias attendimus.

§. 1094.

§. 1094.

Fiſtula itaque diſquiſita, prognoſis ſequenti ratione formetur. In ſanis et validis corporibus, quibus moderata pinguedinis copia circa anum eſt, curatio ex voto ſuccedit, inprimis ſi totus ambitus ſinus et ſpecillo, et ſcalpellis, et medicamentis attingi poſſit. Inciſio quoque inteſtini recti et ſphincterum ani, licet attentionem exigat, adeo tamen extimeſcenda non eſt, dummodo in curatione et inciſio apta perficiatur, et medicamenta ſelecta ad locum conuenientem applicentur.

§. 1095.

Corpora impura, inprimis venerea labe vel alia grauiori cachexia infecta, vix ſanationem facilem promittunt, inprimis ſi fiſtulae ad proſtatam et corpora penis cauernoſa excurrant, ſi cum his vitiis nexae ſint, aut vel ex iis oriantur, et excreſcentiis fungoſis ac putri carne ſcateant. Simile iudicium ferendum eſt, cum aliae partes ſimul affectae ſunt, v. c. vagina vteri et veſica, cum caries oſſis ſacri et coccygis complicata eſt, cum contextus celluloſus circa inteſtinum totus quaſi calloſus vel deſtructus eſt, cum ſuprema pars fiſtulae attingi nequit, et ita applicationem auxilii omnino non concedit. Rebus vero ſic ſe habentibus, cura vel difficilis redditur, vel multae fiſtulae ſanari nequeunt.

§. 1096.

Fiſtula ſimplex externe patula, §. 1093. nec adeo alte aſcendens, facile inciditur, et callus, labiis vulneris diductis, vel ſcalpello vel forcipe praeſcinditur, quo vulnus, vt recens et purum, conſolidari queat. Cum autem vulnus ad inteſtini recti orificium extenditur, cicatrix non nimis adſtricta fiat, ne calloſa eius durities in excretione foecum moleſta ſit. Et in exi-

guo ac ſimplici ſinu vel molli vel calloſo facto haec medendi methodus praeſtat alteri, qua orificium anguſtum turundis ex ſpongia cerata et rapis exſiccatis ampliatur, et callus lapide infernali vel aliis cauſticis tollitur.

§. 1097.

Quoties fundus fiſtulae inteſtino proximus eſt, vel ſpecillum in cauum inteſtini, ſed non nimis alte penetrat, ſpecillum ſulcatum flexile argenteum, apice ferreo inſtructum, introducatur: quod quidem fieri poteſt, ſi apex acutus cera muniatur; tum enim paulo ſupra finem fiſtulae inteſtinum pertunditur, ſpecillum non nihil inflectitur et attrahitur, et fiſtula tota ex contextu celluloſo ſano exſcinditur: qua in re tamen integumentis ſanis parcendum eſt, ne nimia earum portio praeſcindatur, et cicatrix inde arctior reddatur.

§. 1098.

Cum vero fiſtula interdum paulo altius in inteſtinum rectum penetret, diſquirendum ſaepe eſt, an ſtercus per eius orificium, an liquor iniectus medicatus per anum exeat, et tandem tentandum, an via ad inteſtinum rectum, introducto per fiſtulae orificium cereo, definiri poſſit. Si itaque adeo alte ad inteſtinum penetrat, vt ſuper ſpecillum ſulcatum exſcindi nequeat, inciſio tamen ſpecillo duce facienda eſt. Ad hunc vſum alia quoque ferramenta, culter regius, ſyringotomus, cet. inuenta fuerunt *).

*) vid. PLATNERI Inſt. Chir. rat. §. 1006. et citati ibidem Auctores, inprimis HEISTERI Chirurgia, Tab. V. et XXXV.

§. 1099.

Aperta fiſtula, alii inordinatis forficis inciſuris callum deſtruunt, et medicamentis ſuppurantibus et adurentibus vulnus purgant; alii ſcalpello potius lineas longitudinales et transuerſales omni callo incidunt, quo digerentia et alia medicamenta altius penetrare queant. §. 492. In quo quidem norma vniuerſalis non conſtituenda, ſed a prudenti chirurgo in ſingulari caſu inuenienda eſt; id tamen attendi debet ſedulo, ne ex vna parte contextus celluloſus ſanus nimis deſtruatur, ex altera calloſae partes relinquantur. Omnibus depuratis balſamica medicamenta, quae vlcus purum carne replent, admouenda ſunt, ne ſtrictior cicatrix fiat.

§. 1100.

Si fiſtula exſciſſa §. 1097. vel inciſa §. 1098. ſinuum latentium ſuſpicio eſt, in illos ſtatim ab operatione inquirendum eſt, quo et hi aperiantur; ſuppuratione enim iam ſuccedente, difficilius diſquiruntur: quod ſi vero vel aegri imbecillitas, vel haemorrhagia ſuperueniens hanc diſquiſitionem in ipſa operatione impediant, et, vt interdum fieri ſolet, ſinus laterales vel circa orificium ani, vel ad vicina loca excurrant, durante curatione ſcrutinium attentum inſtituatur. Si enim vel percepta durities, vel ſanies, ex laterali orificio effluens, nos de ea re moneat, ductu ſpecilli in ſinus directionem inquiratur, vt noua operatio priori iungatur.

§. 1101.

Longe difficilior redditur diſquiſitio et curatio fiſtulae, ſi, orificio externo nullo exiſtente pus et ſanies ex inteſtino tantum feruntur, et fiſtulam modo interne perforatam produnt: digito tum et ſpecillo in anum immiſſo, in hoc orificium internum accu-

rate inquirendum eſt, quo inde natura et magnitudo calli cognoſcatur, et materiae directio verſus cutim efficiatur: inciſione enim integumentorum externa vel ſuper callum, vel, ſi fieri poteſt, ſuper ſpecillum incuruatum et in fiſtulam introductum, facta haec vtrinque patula redditur, et ita reliqua operatio ad normam ſupra praeſcriptam adminiſtratur.

§. 1102.

Cum autem circa anum copioſa vaſa excurrant, in omnibus his inciſionibus haemorrhagia, eaque interdum inſignis excitatur, quae ſi moderata eſt, ab initio toleretur, paulo poſt linamentis ſiccis vel alcohole imbutis coerceatur; vbi vero nimium ſanguinis profluuium ligatura vaſis, in profundo loco ſiti, cohiberi nequeat, et faſcia quae circa imum ventrem ducitur, et poſtea vtrinque a parte inferiori adſuta habena per anum et perinaeum antrorſum fertur, et ad circularem iterum firmatur, vas internum in vulnere hians non ſatis comprimat, aeger in latus collocandus eſt, quo miniſter orificium vaſis puluillo et digito ſemper coerceat, §. 377. donec effluens ſanguis ſiſtatur. In his haemorrhagiis agatici querni vis optime cognoſci poteſt §. 382.

§. 1103.

Poſtquam haemorrhagiae metus euanuit, linamenta variarum formarum, medicamentis aptis imbuta, ita applicanda ſunt, vt fundum caui attingant, et altiorem partem primum mundam reddant, orificio quantum fieri poteſt aperto conſeruato. Ex ſtercore has vias tranſeunte multa incommoda oriuntur, inprimis ſi, quod crebrius fieri ſolet, frequens deſidendi conatus adſit: ſemper enim, aluo depoſita, vulnus recte purgari, et deligatio noua inſtitui debet;

quam

quam ob cauſſam neceſſe eſt, vt ante operationem aluus repurgetur immiſſa lotione emolliente, quo aeger deinde illam facilius comprimere queat.

§. 1104.

In cura fiſtulae magna attentio adhibenda eſt, vt pura et ab omni callo libera fiat. Quotidie itaque aut ſpecillo aut digito omnis ambitus caui diſquiratur, puris excreti copia et indoles ſimul attente examinetur, et perſpiciatur, vtrum vulnus magis humidum, an ſiccum ſit, quo medicamenta in curationem directa ſeligi, et, ſi opus eſt, mutari queant. Et quamquam inciſio ſphincteris altior extimeſcenda non eſt, hae tamen partes, adurentibus praecipue remediis nimium tentatae, calloſam ſaepe cicatricem relinquunt, quae in depoſitione alui moleſtias adfert.

§. 1105.

Diaeta vt in vulneratis, §. 384. et febri et inflammationi accommodanda eſt, praecipue vero aegrum primis diebus parcius nutrire conuenit. Si fiſtula altius in inteſtinum penetrat, ita vt fundus tangi et ſanari nequeat, vel ſi ſinus nimis late ad vicinas partes excurrunt, vt omnes incidi nequeant, accuratior quidem diaeta aegro aliquod ſolatium adfert; cum tamen pus et ſanies quotidie colligantur et effluant, optime caua ſinuoſa et fiſtuloſa infuſo agrimoniae et ſcordii cum melle, vel aliis infuſis et decoctis iniectis eluuntur, ne ſaniei reſorptio cachexiae occaſionem praebeat. Interdum etiam exſiccatio, quae ex aqua calcis viuae vel phagedaenica iniecta oritur, nimium ſaniei effluxum cohibet.

§. 1106.

Crebrior deſidendi ſtimulus, ex acri et irritante cauſſa, inteſtinum rectum et orificium eius maxime

afficiente, oriunda, v. c. ab aſcaridibus, ſaepe cum teneſmo coniuncta eſt, hinc vehemens niſus in aluo exoneranda, et laxitas inteſtini, et pinguedinis circumfuſae copia haud raro efficiunt, vt inteſtinum quaſi inuerſum exeat, quod vitium procidentiam ani appellant. Hoc in infantibus, vtpote laxioribus ſubiectis, crebrius occurrit, et interdum in his, ſed etiam in adultis, in quibus pertinacius eſt, ſi acrimonia ſtricturam nimiam ſphincteris efficit, cum inflammatione coniunctum eſſe ſolet.

§. 1107.

In infantibus, in quibus procidentia ani crebrius occurrit, inteſtinum protinus reponendum eſt, et cura habenda, quo primae viae lenioribus laxantibus, mannatis et rhabarbarinis abſtergantur, vel inteſtinum rectum clyſmate eluatur. Linteis etiam complicatis preſſius ad anum applicatis proſpiciatur, ne niſu aluum exonerandi nimio inteſtinum vrgeatur; praeterea fotus et ſuffimigia roborantia applicentur. Idem in adultis attendendum eſt, ſi a laxitate ſola dependet: ſi vero inflammatio imminet, vel accedit, ea protinus diſcutientibus non nihil emollientibus fotibus et cataplaſmatibus reſoluenda eſt, praemiſſa tamen, ſi opus eſt, venaeſectione; inteſtino autem vt decet repoſito, roborantia medicamenta vel in fotu, vel ſuffimigiis, vel clyſteribus applicentur.

§. 1108.

In infantibus recens natis anus interdum membrana tenui praecluſus eſt, quae a foecibus vrgentibus praecipue diſtenta mox inciditur, quo aluus exoneretur, poſtea turunda immiſſa orificium apertum ſeruetur, ne denuo coaleſcat. Si vero inteſtinum ipſum coalitum altius incidendum eſt, ſimilis quidem medendi ratio tentetur, deprauata tamen haec

haec conformatio vtplurimum lethalem morbi exitum inducit, vel triſtia incommoda relinquit: interdum enim foeces aluinae in foeminis per vuluam, in pueris per veſicam exeunt.

CAPVT VII.

DE VIARVM VRINARIARVM VITIIS.

§. 1109.

Variae ſunt et internae cauſſae quibus expedita vrinae ſe et excretio cohibetur, de quibus, quatenus curatione interna tractari poſſunt, iam alibi (m. c. § 926. ſeqq.) diſſeruimus: cum vero et in ipſis vrinae viis varia occurrant impedimenta, quae medicamentis externis et pluribus in hunc vſum inuentis inſtrumentis corrigi et leuari poſſint, de his nunc potiſſimum agendum eſt, antequam ad praecipuum morbum, qui vias vrinae afficit, calculum accedimus, et de variis chirurgicis auxiliis ad lithotomiam pertinentibus exponimus.

§. 1110.

Vrina ex renibus per vreteres deſcendens in veſica ſaepe copioſius colligitur, ibique ex variis cauſſis nimis diu retenta, diſtenſione et partium vicinarum preſſione dolorem efficit, quem, cum a nimia tenſione et ſpaſmo partium membranacearum et muſculoſarum, quae veſicam vrinariam conſtituunt, oriatur, haud raro, niſi medela afferatur, inflammatio et gangraena ſequuntur. Alia ratione, et in ſenibus potiſſimum, a nimia laxitate, vel paralyſi veſicae, vrina interdum in ea accumulatur, ſaepius

pius tamen incontinentia vrinae et continuum eius ſtillicidium ſequitur.

§. 1111.

His veſicae vitiis accedunt interdum tumores, in interiori veſicae ambitu nati, nec non calculi, vrinae iter praecludentes. In ſexu potiori vero, et inprimis in iis, qui gonorrhoea, eaque virulenta laborant, ſanguinea, viſcida et purulenta concrementa nonnunquam vrinae iter cohibent, idque eo magis euenit, ſi crebrius hoc morbo affecti fuerint aegri, isque inueterarit aut male tractatus ſit, vnde vel vlcera ſinuoſa et calloſa, vel tumores varicoſi, fungoſi et ſcirrhoſi, inprimis ad collum veſicae, proſtatam, et glandulas capiti gallinaginis proximas oriuntur, et ita ſpaſmo ſimul accedente, vrethram vel ex parte, vel totam coarctant.

§. 1112.

In tanta varietate cauſſarum, quae efficiunt vrinae difficiliorem exitum, aut eum prorſus obturant, diſquiſitio earum, etſi ſumme neceſſaria, maxime tamen difficilis eſt. Ex diſpoſitione enim aegri vniuerſa et morbis praegreſſis cauſſa praediſponens intelligitur; ex tumore vel ſupra os pubis, vel infra illud, vel in perinaeo et ad inteſtinum rectum oriundo, gradus diſtenſionis veſicae aeſtimantur; ex reliquis tandem ſignis, inprimis inflammatoriis, vehementia morbi eiusque triſtes mutationes cognoſcuntur. Singularis vero partium in viis vrinae mutatio, cum ſaepe alte repetenda ſit, vel occulta lateat, omnem medici et chirurgi diſquiſitionem confundit, nec niſi attento ſtudio detegitur.

§. 1113.

His quantum fieri poteſt examinatis, prognoſis colligitur. Inertia fibrarum muſcularium, veſicam con-

contrahentium, poſt nimiam diſtenſionem inducta, auxiliis aptis interdum corrigitur; ſenilis tamen inertia et paralyſis harum fibrarum raro auxilium admittit, ſed poſt moleſtam ſaepe ſtranguriam tandem vel iſchuriam, ceu plenariam vrinae retentionem, vel incontinentiam eius relinquit. Contra impedimenta aut in cauo veſicae, aut in vlteriore vrinae via, ſi recte cognoſci et tolli poſſunt, remedium parari poteſt, ſaepe tamen in abſconditis his viis nec dignoſcenda, nec remouenda triſtia et habitualia in vrina reddenda relinquunt incommoda, mortemque adeo accelerant.

§. 1114.

In cura ſuſcipienda de diureticis vulgo ſic dictis medicamentis, praecipue acrioribus, quorum vſus in expedienda vrinae ſe et excretione ſalutaris inuentus fuit, (i. m. §. 1604.) vix cogitandum eſt, cum et blanda diluentia, et reſoluentia, ob nimium vrinae augmentum, interdum vſurpari nequeant. Externa emollientia dolorem atque ſpaſmum, ſi adſit, quodammodo leuant ſed morbum ſuo modo augent; roborantia vero et frictio vix adhiberi poſſunt, niſi vrinae reddendae impedimenta remota ſint. De vrina itaque ſubducenda primum ſollicitus ſit chirurgus, quod quidem vel per catheteres, vel per inciſionem aut perforationem veſicae fieri ſolet.

§. 1115.

Catheteres ſunt fiſtulae argenteae, vel ex alio metallo confectae, et vario modo incuruatae, quae per vrethram in veſicam ingeruntur, quo vrina per canalem medium effluat. Craſſities, longitudo et incuruatio catheterum diuerſae eſſe debent, quatenus vel breuis foeminarum via, vel longior et inflexa virorum vrethra requirit. Orificium ſit coecum,

laeuigatum, et a latere vel perforatum, vel ſulco inciſum, quo vrina expeditius tranſeat. Canalis ſemper filum metallicum contineat, quod eundem purum ſeruat, et cathetere in veſicam immiſſo educitur: illud vero genus catheterum, qui extremum orificium apertum habent, globulo munitum ſit, quo in canali aperiendo introrſum protrudi poſſit. Sunt etiam flexiles catheteres facile in veſicam adigendi, et ſi opus eſt in vrethra relinquendi. Hi ex argento fabrefacti ſunt, vel ex tela ſericea cerata ſuper chordam ſuo tempore remouendam conuoluuntur, et filis ceratis circumductis in canalis formam efficiuntur.

§. 1116.

In viris difficilius introducitur catheter, quam in foeminis, inprimis ſi anguſtia viae, inflammatio et tumor obſtruens, in vrethra obicem ponant. Aeger ſupinus iaceat, et chirurgus fiſtulam oleo inunctam, cute penis adducta, in vrethram immittat, et parte gibba pubi hominis obuerſa illum vsque ad collum veſicae vrgeat, quo facto colem leniter trahendo inſtrumentum inuertat, vt vlterius ſub oſſe pubis in veſicam propellatur. Si vero fiſtulae, vt interdum fieri ſolet, partem gibbam perinaeo obuertat chirurgus, tunc illa ad collum veſicae deducta, cole non nihil eleuato blande ad veſicam dirigitur. Qua in re tamen vt decet perficienda exercitio opus eſt et attentione, ne vrethra et collum veſicae vulneretur, vel nimium irritetur, et haemorrhagia ac inflammatio moueantur.

§. 1117.

Fiſtula ſic in veſicam introducta, filum educatur, vel ſi huius apex globulo munitus eſt, §. 1115. non nihil protrudatur, quo vrina effluat, qua emiſſa

fiſtula

fiſtula quoque educatur. Cum autem remota fiſtula impedimentum vrinae reddendae ſaepius reuertatur, flexilem catheterem interdum relinquere conuenit. Cauſſa vero diſtenſionis ſublata, inertia veſicae vel ſponte ceſſat, vel roborantibus medicamentis externe applicatis corrigitur, porro etiam via vrinae blandis diureticis eluitur, ne acer ſtimulus tenſionem excitet, et ſpaſmo oborto vrina denuo colligatur, ac nouam moleſtamque catheteris applicationem exigat.

§. 1118.

Quod ſi vero catheter nec applicari, nec auxilium, eo applicato, afferri poſſit, de paracenteſi veſicae cogitandum erit. Acu quidem triquetra nonnulli chirurgi tumorem, ſuper os pubis natum, perfodiunt; ſed cum a lenta nimis aquarum ſubductione in contextu celluloſo ſaepe vlcera ſubnaſcantur, tutius videtur, aut in perinaeo ſcalpello ancipiti, aut a latere potius acu triquetra cum cannula veſicam pertundere, cuius rei ratio ex percepto veſicae tumore, et ex iis, quae de lithotomia dicturi ſumus, patet. Vrina autem per conſuetam viam ſecedente, vulnus, ne vlcus fiſtuloſum remaneat, caute conſolidandum eſt.

§. 1119.

Cum calculi aliaque vrinae reddendae impedimenta haud raro in ipſis renibus haereant, in noſtra tractatione ad renes, ceu viſcera ſecretionis vrinae, recurrendum, et quaeſtio mouenda eſt, num renes in lumbis incidi, et peregrina corpora ex iis eximi queant? Nephrotomiam hanc adminiſtratam fuiſſe, nonnullae quidem obſeruationes confirmare videntur; re autem accuratius perpenſa facile perſpicimus, eandem non niſi tum locum habere, cum abſceſ-

abſceſſus, ad lumbos natus et eleuatus, locum inciſionis accuratius definit: ſed et in his curationibus vlcera relicta ſaepe noua incommoda afferunt.

§. 1120.

Calculi, ſanguis et purulenta materia, in vreteribus retenta, vel lente ſaepiusque cum magnis ſpaſmis et doloribus, ad veſicam propelluntur, vel inflammatione mota tandem gangraenam inducunt. Fomentis externis, et, ſi opus videtur venaeſectione, tunc ſuccurrendum eſt aegris, quae quidem auxilia etiam in veſicae inflammationibus, et tumoribus in ea natis adhibenda ſunt. Tubercula in veſica orta, nec non vlcera calloſa et impura, inciſione veſicae facta detegere, et vel ſeparare, vel medicamentis applicatis detergere et ad ſuppurationem perducere, ardua res eſt, non niſi mutationibus morbi in quibusdam aegris ex voto accidentibus perficienda.

§. 1121.

In calculoſis, ſed magis in iis, qui gonorrhoea inueterata laborant, in quibus purulenta, ſanioſa et acris materia crebrius effluit, haud raro mala vlcera generantur, quae ex negligentia aegri et peruerſa medendi ratione ſaepius impura fiunt, putri carne ſcatent, tubercula calloſa et anguſtationem viae efficiunt, interdum etiam, cum circa has partes interdum vaſa varicoſa turgent et rumpuntur, haemorrhagias moleſtas inducunt. In omnibus his ſymptomatibus morbus praegreſſus, et materia excreta, bene examinanda ſunt, quo ex illis varia laeſionis indoles aut ad collum veſicae, aut in vrethra inde continuata detegatur et diiudicetur.

§. 1122.

Perſpectis nimirum morbi indole et gradu, medicamenta emollientia, ſuppurantia, mundificantia, leni-

leniter erodentia, roborantia cet. ex indicatione therapeutica ſeligantur et applicentur, vt ex effectu cognoſcatur, quaenam proſint vel laedant, hisque tentaminibus in locis, viſu non diiudicandis, vera medendi ratio inueniatur. Medicamenta quidem ſyringa excipi et blande iniici poſſunt; tutius tamen eſt, inprimis ſi ſpiſſiora ſint, canali argenteo excipere, et filo metallico per illum medium protruſo accurate ad locum affectum applicare; vel bacillos variae craſſitiei ex linteo cerato conuoluto formare, illisque medicamenta illinire, quo iis et via vrinae libera reddatur, et indicatio curatoria vario modo attingatur.

§. 1123.

A calculo vel alia cauſſa, inprimis venerea, ad vrethram vel ceruicem veſicae applicata et rodente, nonnunquam inflammationes et abſceſſus generantur. Si itaque inflammatio in principio fomentis diſcuti nequit, humores ſtagnantes per emollientia remedia mouentur, et abſceſſus ad maturitatem ducitur, quo, inciſione facta, res peregrinae eximantur, et depurato vlcere conſolidatio efficiatur. Cum autem vrinae effluxus aliaque incommoda in hac re perficienda nos ſaepius impediant: non raro vlcera relinquuntur, quae in ſinus et fiſtulas mutantur, longasque et taedioſas curationes minantur.

§. 1124.

Cum etiam vtplurimum impura corpora his morbis afficiantur, de curatione interna, quae externam iuuat, per diaetam et medicamenta ſerio cogitandum eſt. Interdum conuenit, vrinam per catheterem flexilem in veſicam introductum ſubducere, eumque ibi relinquere, ne iſta externas curationes impediat; praeterea omnia auxilia, quae in vlcerum et fiſtu-

fiſtularum curatione alibi propoſuimus, ad difficulter tractandas et corruptioni facile obnoxias has partes maxima cum cura applicanda ſunt. Remanent tamen nonnunquam fiſtulae, quae non ſine incommodo feruntur, cum omnem medelam reſpuant.

CAPVT VIII.

DE
LITHOTOMIA.

§. 1125.

De geneſi calculi eiusque curatione alibi diſſeruimus, (i. m. §. 1066. ſeqq. m. c. §. 938. ſeqq.) de chirurgicis vero, calculum per inciſionem veſicae vel vrethrae extrahendi, auxiliis, ſiue de lithotomia nunc demum agendum eſt. Succinctam operationis huius hiſtoriam GÜNTZIUS dedit, *) et laudatis praeſtantiſſimis ſcriptoribus, qui de ea egerunt, hoc caput chirurgiae egregie declarauit. Nos vero praecipuas operationis differentias, et ratione methodi incidendi, et ratione loci, vbi inciſio adminiſtranda eſt, indicabimus, et varia monita in curatione calculi attendenda adſpergemus.

*) vid. PLATNERI Inſt. Chirurg. rat. §. 1356.

§. 1126.

Si vrina cum dolore redditur, et in ea, vel aquoſa, vel citrina, mucus ſubſidet, cui ſquamulae quaedam tartareae inhaerent, vel ſabulum tenue in matula ſubſidens conſpicitur: diſpoſitio ad geneſin calculi in aegris cognoſcitur. Quando autem cum difficultate vrinam mittendi vario gradu moleſta, pondus

ad

ad perinaeum, et inprimis poſt motum fortiorem teneſmus, et dolor ad pubem et glandem penis, potiſſimum emiſſa vrina auctus, percipiuntur, quando tenſio penis et eius moleſta ſtrictura praeſertim in pueris obſeruatur, ſuſpicio calculi iam geniti mouetur. Calculum inſuper, inprimis aſperiorem, in veſica natum eſſe, vrina cum cruore reddita indicat.

§. 1127.

His aliisque incommodis ſemel iterumque obſeruatis, in calculi praeſentiam et varietatem accuratius indagandum eſt. Digitus oleo inunctus in inteſtinum rectum ingeratur, et corpus peregrinum in veſica haerens diſquiratur. Paulo poſt cathetere in veſicam introducto, §. 1115. ſeqq. exploretur, num corpus durum et aſperum in veſica reperiatur, a mollioribus quoque tumoribus in ea excreſcentibus diſtinguendum. Haec ipſa vero diſquiſitio aliquoties repetatur, vt, quantum quidem fieri poteſt, figura, magnitudo et numerus calculorum in veſica haerentium cognoſcantur. Interea temporis variae medendi rationes internae tentantur, (m. c. §. 944. ſeqq.).

§. 1128.

Interno remediorum vſu non ſuccedente, de curatione calculi per inciſionem veſicae et viarum vrinariarum cogitandum eſt. Ea vero non niſi in ſanis de reliquo hominibus, inprimis in principio, vbi calculus nondum mole auctus eſt, et veſica praecipue ſana deprehenditur, inſtitui poteſt. Si vero corpora cachexia et morbo diuturno debilitata ſunt; ſi calculus nimis magnus, veſicae adhaerens, vel praeternaturali eius extenſione ſeu proceſſu interceptus, cognoſcitur; ſi pus et carunculae cum vrina excernuntur:

tur: difficilis haec operatio, de cuius euentu nunquam certi ſumus, hisce contraindicantibus ſe oſtendentibus tentanda non eſt. Interdum tamen, cum aeger nimiis doloribus excruciatur, dubium hoc potius, quam nullum eligendum eſt auxilium.

§. 1129.

Aeger autem ad hanc operationem cum fructu ſuſcipiendam victu apto, et reliquo regimine diaetetico diſpoſitioni corporis vniuerſali accommodato, praeparetur: venaeſectio et alui ductiones, ſi ex ſignis occurrentibus neceſſariae iudicantur, minime negligantur. Tempus, dies et hora operationis ex conditione aegri definiantur, et quaecunque ad hanc operationem requiruntur ferramenta, aliaque ſubſidia recte diſponantur. Ante operationem autem clyſma iniiciatur, vt inteſtinum rectum a ſcybalis liberum reddatur.

§. 1130.

Cum vero calculus in varia partium diſpoſitione varias medendi methodos exigat, in iis examinandis hunc ordinem ſeruabimus. De calculo vel ex vrethra, vel ex veſicae ceruice, exſcindendo primum agamus, quo poſtea veterum methodum cum apparatu paruo, deinde apparatum magnum ducentis circiter abhinc annis additum, plenius deſcribere queamus. Lateralem porro dictam methodum, a recentioribus quibusdam magis excultam, declarabimus, et eam, quae acu triquetra fit, ſubiungamus, deinde de apparatu alto quaedam exponemus, et tandem, cum plurima virorum organis tantum accommodata deſcribantur, aliquas animaduerſiones, quae foeminarum partes concernunt, ſubnectemus.

§. 1131.

§. 1131.

Si calculus minor variae figurae, in vrethram iam propulſus, ibidem haeret, penis in lac, oleum et emollientia decocta calida immergendus, partibusque vicinis ſimilia medicamenta in epithematibus applicanda, vel in cauum meatus vrinarii iniicienda ſunt, praeterea quoque inflatio vrethrae per tubulum tentanda eſt, tandem ſpecillo admoto, calculus e loco, cui fixus inhaeret, dimouendus eſt. Si his auxiliis calculus mole auctus, vel nimis aſper, e ſede dimoueri nequit, exſcindi debet, qua in re cutis tendenda, eaque ſola incidenda eſt, vrethra poſtea ſuper calculum inciſa, hic vel preſſione, vel ſpecillis variis leuatus eximatur, cute tunc adducta vulnus vrethrae obtegatur: et linteis carptis et faſcia applicatis ſanatio vulneris ſuccedit, nec vrinae affluxu impeditur.

§. 1132.

Calculi ſaepe oblongo cuſpidati ſunt, et ceruici veſicae inhaerentes, accedentibus calcareis particulis, vrina praeterfluente ita mole augentur, vt neque vlterius in vrethram progredi, neque in veſicam recedere queant. Hi ſuper ceruicem ſimili modo exſcindendi ſunt, in quo tamen maiori attentione opus eſt, ne continuus vrinae effluxus fiſtuloſis vlceribus occaſionem praebeat; quod quidem eo magis metuendum eſt, ſi ex calculo ibidem haerente, et partes ſenſiles irritante, abſceſſus et vlcera iam nata fuerunt, quae et calculo remoto difficilius depurantur et ſanantur.

§. 1133.

Ex hac ſectione methodus veterum, quae paruo apparatu conſtat, et CELSI dicitur, facile intelligitur, et primo deſcribenda eſt. Monemus autem, eam in pueris melius, quam in adultis adhi-

beri poſſe. Aegro intra crura miniſtri vel alio modo, paulo poſt deſcribendo, rite diſpoſito, chirurgus indicem et medium digitum, oleo inunctos, in anum illius immittit, et calculum in veſica repertum ita verſus eius ceruicem premit, vt ſuper eum ab ano vsque ad veſicae ceruicem integumenta primum longitudinali inciſione diuidat, iisdem paululum diductis, aliam transuerſam inciſionem efficiat, quo calculus ſine magna vi expellatur, vel volſellis et vncis applicatis eximatur.

§. 1134.

Cum vero nec in calculo maiore, nec in adultis haec ſecandi methodus apte adminiſtrari queat, a chirurgis peritioribus iam fere duobus abhinc ſeculis calculi ſectio, quam vulgo Marianam dicunt, inſtituta fuit. Requiritur ad hanc lithotomiae operationem maior ferramentorum apparatus, quem breuiter indicabimus, itemque modum collocandi aegrum, denique de nonnullis miniſtris chirurgi ſimili ratione dicemus *).

*) conf. PLATNERI Inſt. Chirurg. rat. §. 1363. ſeqq.

§. 1135.

Ferramenta, quae ad apparatum ſic dictum magnum pertinent, ſunt 1) ſpecilla vtplurimum itineraria dicta, catheteribus cauis §. 1115. quoad figuram ferme ſimilia, ſed ſolida, magis firma, ex chalybe confecta, magisque inflexa, in conuexa parte ſulco, et in media huius parte fiſſura et apice obtuſo, in altera extremitate annulo, quo firmius teneri poſſint, inſtructa. 2) Scalpellum anceps, lanceolae ferme ſimile, ſed maius, firmius et latius, quod durante operatione faſciola linea circumligandum eſt,

eſt, quo melius teneri poſſit. 3) Ductor canaliculatus ferme ſemicylindricus, in vna extremitate manubrio breui, in altera lingula inſtructus *). 4) Forcipes diuerſae magnitudinis, brachiis longioribus, quae vbi inter ſe committuntur, firma quidem ſunt, ſed facile mouenda, extremis anterioribus rectis, vel non nihil incuruis, oblongis, excauatis, cauis denticulatis. 5) Specillum craſſum leuiter flexum, *bouton*, in dorſo eminentia longitudinali, in vna extremitate globulo, in altera cochleari inſtructum, ad calculum dirigendum eiusque diffracti partes eximendas **).

*) Ductores duo anguſtiores, eminentia longitudinali in medio inſtructi, quorum vnus, qui mas dicitur, lingula, alter, qui foemina appellatur, inciſura in apice praeditus eſt, quibus dum lingula apici inciſo immittitur, vulnus diduci poteſt.

**) Haec ferramenta et reliquum apparatum vide delineatum in HEISTERI Chirurgia. Tab. XXVII. ſeqq.

§. 1136.

Aeger, cui operatione ſubueniendum eſt, menſae firmius ſtanti imponatur, coxae margini proximae ſint, dorſum autem eius in plano inclinato puluinaribus ſubſtratis collocetur. Crura poſtea diducantur, et manus eius vel ad malleos, vel ad genua, faſcia alligantur. Praeterea vero duo miniſtri ab vno et altero latere adſtent, qui has partes firmiter teneant, et corpus aegri ſimul in ſitu retineant; tertius vero miniſter poſt vnum aut alterum ita collocetur, vt ſuper aegrum extenſus chirurgo, ante eum ſtanti, in variis, quae perficienda ſunt, opem ferat, v. c. ſcrotum retineat, cutim in perinaeo adducat, ſpecillum in ſitu retineat. cet.

§. 1137.

Omnibus his rite diſpoſitis, chirurgus ad operationem efficiendam ſe confert. Eligit tunc ſpecillum incuruatum, §. 1135. 1. aegri partibus accommodatum, oleoque inunctum, in veſicam immittat, §. 1116. quo calculus exploretur; paulo poſt partem incuruam ita deorſum agat, vt ſulcus, conuexae parti inſculptus, in perinaeo tumorem quendam attollat, et ab indice chirurgi ſecantis percipiatur *), ſcalpellum §. 1135. 2. deinde arripit, et latum digitum ſub ſcroto vsque ad anum ferme, inciſionem amplam per integumenta efficit, ſulco ſpecilli tunc denuo accurate diſquiſito, ſuper hunc inciſionem in ipſam vrinae viam et ceruicem veſicae continuat, ſcalpello ex ſulco nunquam ſecedente, donec deorſum et ſurſum progrediendo plagam magnitudini calculi proportionatam inflixerit.

*) Miniſter adſtans ſpecillum manu tenere poteſt, ſed melius eſt, ſi ipſe chirurgus ſpecillum tenet, et ſuper illud incidit. Repugnat tamen SHARPIUS in a critical enquiry in to the preſent ſtate of ſurgery. London, 1754. 8. cap. V. p. 214.

§. 1138.

Vulnere ſatis amplo reperto, ductoris canaliculati §. 1134. 3. lingula ſuper ſulcum ſpecilli in veſicam immittatur, et exploretur, num veſica rite aperta ſit, vt ſpecillo remoto et cultro ſepoſito reliqua perfici poſſint. Adhibent quidem chirurgi nonnulli ductores duplices, marem et foeminam, §. 1134. * quo his coniunctis vulnus quodammodo diduci poſſit: ampliatio tamen vulneris per nimiam diſtenſionem, quae inflammationem auget, minus idonea videtur, potius ad ductum vnius ductoris

ctoris forceps in veſicam introduci debet, et ea mediante, ductore prius remoto, etiam calculus eximi.

§. 1139.

Forceps §. 1134. 4. vero eligenda eſt maior vel minor, recta, vel quodammodo incurua, calculo accommodata, quae ipſa lente hinc inde mota calculum tangit, poſtea brachiis diductis vulnus non nihil ampliat. Calculo autem apprehenſo, leni agitatione facta, percipiatur, vtrum mobilis ſit, an aliqua veſicae pars ſimul forcipe comprehenſa fuerit, et tunc extractio ipſa tentanda eſt. Si forte calculus, in maxima diametro comprehenſus, extrahi nequeat, iterum dimittendus eſt, quo alia ratione et in minima diametro arripiatur, tandem etiam, forcipe verſus anum declinata, leni aliqua vi adhibita extrahatur.

§. 1140.

Quae ſi non ex voto ſuccedant, alia attendere tenetur chirurgus. Si maior eſt calculus, quam vt per vulnus educi poſſit, hoc ſcalpello denuo admoto ampliandum eſt; ſi vero ea, quae ſine noxa partium vicinarum fieri poterit ampliatio vulneris, non ſufficit, calculus frangendus et per partes eximendus eſt, quod quidem, quanquam vi quadam adhibita praeſtari nequit, triſtem euentum praedicit, calculus enim poſt tantos dolores toleratos relinquendus eſt. Cum fractus per partes eximitur, et operationem retardat, et doloroſam reddit, nec raro dilacerationes et inflammationes veſicae inducit.

§. 1141.

In calculo diſquirendo et dirigendo ſpecillum craſſum §. 1134. 5. intra brachia forcipis introductum, laborem faciliorem reddit, quod etiam ob eminentiam longitudinalem, vt ductor, in veſica relinquitur, quo forcipem educendam et aliam aptio-

 rem

rem introducendam dirigat. Et indice digito interdum intromiſſo calculi directio ad forcipem paululum adiuuatur. In fractis autem calculi partibus eximendis, cochlear, ſeu altera extremitas ſpecilli craſſi, applicetur. Hoc etiam in duplici vel triplici calculo eximendo attendendum eſt *) fragmenta autem paruula et ſabulum taedioſo labore non extergantur, cum vrina eadem abluat, et per vulnus expellat.

*) Plures calculos in veſica eſſe, cathetere nonnunquam detegitur, vno tamen exemto, ſi ſuperficiei aliqua pars polita apparet, vnum aut plures latere concludimus, neque tamen hoc ſignum ſemper certum eſt.

§. 1142.

Multo triſtior eſt aegri conditio, ſi calculus veſicae adhaeret, et vel in extenſione partis morboſae ſeu proceſſu calloſo, vel etiam carunculis excreſcentibus comprehenditur, quo tempore tentandum eſt, an ſeparari poſſit, quod tamen, ne veſica cum calculo attrahatur, ſuſpenſa manu et leni tantum agitatione effici debet. Si hac ratione calculus ſeparari nequit, potius relinquendus, quam vi vrgendus eſt, cum inciſio et ſeparatio, ſcalpelli ope praeſtanda, vix tuto fieri queat.

§. 1143.

Operatione finita aeger in lectulum bene diſpoſitum transferatur, et ſplenio molli multiplici vulneri appoſito, et cruribus faſcia tantum conſtrictis, ita collocetur, vt ab aeris iniuriis defenſus quieſcat, et vires quodammodo colligat, dato etiam, ſi res ita poſtulat, hauſtu vini vel analeptico medicamento. Per hoc tempus vrinae profluuium particulas forte in veſica relictas eluit, quo facto ſplenium nouum,

primo

primo remoto, addatur, et faſcia apta circumducta firmetur, cruribus etiam, ne vulnus nimium diſtendatur, coniunctis.

§. 1144.

In curatione vulneris ad veſicae depurationem praeſtandam et inflammationem mitigandam reſpiciatur; illa vrinae effluxu partim per vulnus, magis tamen per vrethram ſuccedit, haec externis interniſque remediis ita moderanda eſt, vt ſuppuratione blanda ſuccedente detergi, et cicatrix induci queat. Qua in re chirurgi attentio eo dirigenda eſt, ne ex vulnere impuro vlcera et fiſtulae generentur. Praecipue tamen victus ratio ita habenda eſt, vt febris intra moderatos limites retineatur.

§. 1145.

Recentioribus vero chirurgis curatio vulneris melius ſuccedere viſa eſt, ſi ceruix veſicae ad vrethram vſque non recta, ſed inferior pars veſicae ad ceruicem vſque a latere incideretur, id quod operationi laterali vario modo excolendae anſam dedit. Aeger in menſa trium circiter pedum altitudine ſupinus iaceat, ſcapulis depreſſis, capite tantum, inprimis vero coxis puluinaribus ſubſtratis non nihil eleuatis. Specillum curuum, quod in veſicam immittitur, profundius ſulcatum ſit, quo inciſio ſuper ſulcum certior fieri poſſit, ſcalpellum quoque rectum ſit, nec adeo craſſum, manubrio longiore.

§. 1146.

Vulnus tunc a latere perinaei iuxta anum ad tuber iſchii producitur, et integumentis primo diſciſſis ac diductis in ſulcum ſpecilli eminentem inquiritur, omnique cura attenditur, ne inteſtinum rectum vicinum laedatur. Dum vero ceruix veſicae cum proſtata vſque ad veſicam a latere inciditur, arteria-

rum ad bulbum vrethrae procedentium laeſione maior haemorrhagia, quam in operatione ſuperius deſcripta efficitur, de his itaque vel ligatura, vel agarico coercendis cogitandum eſt, quod tamen chirurgus vel ante calculi extractionem, vel, ſi fieri poteſt, melius poſtea efficiat.

§. 1147.

Haec ſummatim tantum indicauimus; multae enim enchireſes, quae in obliqua inciſione veſicae et eius ceruicis a RAUVIO, CHESELDENO aliisque vſurpatae et emendatae fuerunt, et ferramentorum ac reliqui apparatus varietas, ſuccincta tractatione a nobis exponi non poſſunt. Conferatur autem praeter alios HEISTERUS *) et PLATNERUS **) qui rationem et hiſtoriam operationis plenius declararunt, citatis inſuper variis auctoribus vlterius euoluendis.

*) In chirurgia. Tom. II. cap. 143. p. 955. ſqq.
**) Inſt. Chirurg. rat. §. 1375. ſeqq.

§. 1148.

FOUBERTI tamen methodus breuiſſimis indicanda eſt. Veſica vrinaria vel decocto emolliente, vel vrina diu retenta maxime diſtenta, quod machina penem comprimente melius efficitur, ea porro, ſuper os pubis preſſa, inferius magis protuberat, quo inter proſtatam et ſiniſtri vreteris inſertionem, acu triquetra, cannula ſulcata comprehenſa, perfodiatur, et acu educta, ſuper ſulcum cannulae ſcalpello longo anguſto, et inter laminam et manubrium non nihil incuruato, inciſio veſicae fiat. Ductor canaliculatus duplex, forcipis in modum formatus, extenſioni vulneris, ſi opus eſt, inſeruit, et forcipem ad veſicam ducit. Quomodo inteſtini recti laeſio euitari

tari et aliae enchireſes praeſtari debeant, ipſe Auctor luculentius deſcripſit *).

*) vid. Memoires de l'Acad. Roy. de Chirurgie a Paris. Tom. I. pag. 650. ſeqq. tab. 1. ſeqq.

§. 1149.

Haec FOUBERTI methodus variis incommodis ſtipata, neque ideo ab aliis probata aut exculta eſt, videtur tamen occaſionem dediſſe inuentioni lithotomi occulti. Lamina nimirum cultri quatuor pollices cum dimidio longa, ſed anguſta in vagina retinetur, et continuatio eius in manubrio verſatili ita diſpoſita eſt, vt egreſſus laminae, dum elatere vrgetur, ad definitam diſtantiam fiat. Poſtquam igitur integumenta alio ſcalpello longo vulnere inciſa fuerunt, apex lithotomi occulti in ſulcum ſpecilli caui ita introducitur, vt veſica apto loco pertundi poſſit, in hac vero lithotomus aperitur, et, dum extrorſum ducitur, vulnus calculi magnitudini proportionatum efficitur. Sed ſucceſſus huius operationis nondum ſatis confirmatus fuit *).

*) vid. Memoires de l'Acad. de Chirurg. a Paris Tom. III. pag. 628. tab. XIX.

§. 1150.

Ad apparatum altum ſiue ad extractionem calculi ex veſica, ſuper oſſa pubis inciſa, nunc accedimus. Haec praeſtari nequit, niſi aegri veſica ſana et verſus ſuperiorem partem ſatis extenſa ſit; cum vero ex ſtimulo calculi et vrina crebrius reddita veſica contracta, parua et ſaepe calloſa ſit, ea, ſi hac methodo vti libeat, vel aqua vel decocto emolliente immiſſa quodammodo diſtendenda eſt, antequam operatio inſtituatur. Aeger tunc in le-

 ctulo,

ſtulo, vel in menſa ſupinus collocetur, coxis elatioribus, et genua in ima parte lectuli firmentur.

§. 1151.

Miniſter cutim ſuper penem deorſum extendit, et ſimul eo compreſſo vrinam retinet, chirurgus vero inciſionem longitudinalem trium circiter pollicum per integumenta ad ductum lineae albae vsque ad initia penis efficit, paulo poſt eodem ſcalpello ſimili inciſione lineam albam ad ima abdominis caute diuidit, quo veſica ſine vlla peritonaei laeſione detegatur, et poſt oſſa pubis quoque quodammodo ſeparetur. Index tunc digitus in vulnus immittatur, inciſio in veſicam ſub vracho deorſum verſus pubem efficiatur, et quantum fieri poteſt continuetur, quo digitus ſuper vulnus collocatus mox in veſicam immitti, et vel eodem, vel variis ferramentis calculus excuti queat.

§. 1152.

Haec calculi extrahendi methodus etſi multis incommodis, tum propter veſicam anguſtam, tum propter ſanationem vulneris, obnoxia eſt, interdum tamen neceſſitate vrgente tentata et a variis emendata fuit. Inprimis vero LE CAT et in apparatu ferramentorum, et in ſecandi ratione varia addidit, quae, ſi quando illa adminiſtranda ſit, negligi non debent *).

*) vid. PLATNERI Inſtit. Chirurg. rat. §. 1394. ſeqq.

§. 1153.

Foeminae quidem rarius calculo laborant: licet enim in his eius geneſis vt in viris fieri poſſit, ille tamen rarius increſcit, quoniam per breuem et amplam vrethram facilius excernitur, et haec excretio iuuari

poteſt.

poteſt. Si vero ſubſiſtit, vrethra variis ferramentis dilatanda eſt, quod certe in laxitate harum partium ita fieri poteſt, vt per eam forcipes introducantur et calculus eximatur, quo facto partibus per medicamenta applicata nouum robur addendum eſt, ne incontinentia vrinae remaneat.

§. 1154.

Si vero eueniat, accidit autem non raro, vt calculus, et maior quidem, niſibus aegrae in vrethram depulſus ibidem immobilis haereat, vt nec remitti, nec porro promoueri poſſit, laterali quadam in viam vrinae inciſione liberandus eſt. Quae res attenta chirurgi cura ſaepius ſine remanente vrinae incontinentia perfecta eſt. Cum calculus maior in foeminis ſub oſſibus pubis educi nequeat, tentandum eſt, an apparatus altus applicari poſſit §. 1150. ſeqq.

CAPVT IX.

DE VTERI ET VAGINAE MORBIS.

§. 1155.

De partu et ſecundinarum excluſione (i. m. §. 577. ſeqq.) nec non de morbis grauidarum, parturientium (m. c. §. 1000. ſeqq.) alibi propoſuimus. Ab inſtituto noſtro itaque alienum non foret, praemiſſa partus praeternaturalis explicatione, auxilia in embryulcia adhibenda, quae vere chirurgica ſunt, addere. Sed quoniam tam amplam doctrinam ſuccincte vix tradere poſſumus, ad artis obſtetriciae ſcriptores noſtros ablegamus, et tantum de morbis in genitalibus foeminarum partibus oboriundis quaedam ſubiungimus.

§. 1156.

§. 1156.

De catameniorum ortu et morboſis mutationibus (m. c. §. 401. ſeqq.) et fluore albo foeminarum (m. c. §. 978. ſeqq.) iam diximus. Quod ſi igitur acrium humorum decubitus ad has partes vera medendi ratione non auertatur, in vteri cauo, inprimis circa orificium eius, nec non in vagina et pudendo externo, vlcera ſordida oriuntur, quae, quoad ex internis cauſſis, venerea v. c. vel alia cacochymia proveniunt, ex variis ſymptomatibus diiudicantur, et internis remediis ſuo modo corriguntur; cum autem haec ſaepius non ſufficiant, praeter balnea et iniectiones vterinas decoctis mundificantibus agrimoniae, abſinthii, marubii cet. cum aqua ſimplici vel calcis viuae vel ipſa phagedaenica paratis, vel melle vel digeſtiuis balſamis admiſtis depurantur et exſiccantur.

§. 1157.

Quoniam autem in locis his abſconditis, ob laxam potiſſimum et vaſculoſam vteri fabricam, variae excreſcentiae ſimul oriuntur, ad eas quoque reſpiciendum eſt. Interdum enim verrucae in calloſo facto vtero progerminant, et, cum ex ipſo vlcere pendeant, ſimul reſoluuntur et ſecedunt, vel verae excreſcentiae fungoſae et polypoſae, immo et ſarcomata oriuntur, ea, cum excreſcunt, ligaturis vel aliis auxiliis coercenda ſunt, quae ex doctrina de polypo narium §. 895. ſeqq. huc referri, et ſuo modo diiudicari et applicari debent.

§. 1158.

Eorum neglectus, aut parum commodorum medicamentorum vſus non raro indurationem et ſcirrhum vteri relinquit, vnde tandem vlcera carcinomatica generantur. Vteri enim ſubſtantia vaſculoſa,

loſa, quanquam non vere glandulоſa, his mutationibus facile obnoxia eſt. Hoc autem vitio nato et moto, excretiones materiae ichoroſae et foetidae, eroſiones variae, vaſa varicoſa et ex earum ruptura haemorrhagiae enormes oriuntur, et cum hae vteri laeſiones, vtpote tectae, manu chirurgi difficulter tractentur, ea, quae §. 198. ſeqq. de ſcirrho et cancro propoſuimus, huc quidem transferenda ſunt, ſed, cum praeter blandas et abſtergentes lotiones vix alia, quam haec palliatiua medela locum habeat, aegrae vtplurimum immenſis cruciatibus et aliis incommodis eneruantur ac tabe pereunt.

§. 1159.

Vterus ipſe, inprimis fundus, in partu laborioſo inuertitur, quod ex inertia vel atonia poſt nimias haemorrhagias, vel tum inprimis accidit, cum funiculus vmbilicalis breuior eſt, et ſecundinas ſimul vi quadam attrahit, vel hae arctius adhaerentes in ipſo partu vehementer trahuntur. Quam ob rem praeter monita de caute extrahendis ſecundinis praecipue curandum eſt, vt vterus, praecipue fundus prolapſus, manu obſtetricante in ipſius cauitatem immiſſa, et digitis expanſis blande retrudatur, ac deinde tamdiu retineatur donec ſe, contrahere incipiat. Puerpera autem poſtea extenſis et compreſſis cruribus quieſcat, quo partes in ſitum redactae in eo confirmentur; hac enim cura neglecta, a nimia partium conſtrictione aut inflammatio, gangraena, et ſphacelus inducuntur, aut habitualis vteri deſcenſus cum maximo aegrae incommodo remanet.

§. 1160.

Vterus enim nonnunquam cum orificio ſuo in vaginam deſcendit, et ita verum prolapſum ſiſtit, ſi eius cauum peregrinis humoribus diſtentum, vel ipſe vterus

vterus ſcirrhoſus factus, ideoque ponderoſus eſt, quo cum malo vtplurimum vitia nunc recenſita coniuncta ſunt, et ſaepe nullam medelam admittunt. Si vero relaxatio ſola cauſſa ſit, repoſitis partibus et fomentis roborantibus applicatis curatio praeſtatur, melius tamen peſſi vterini applicantur, ad nimiam molem non nihil eleuandam et ſuſtinendam.

§. 1161.

Peſſus vterinus eſt corpus depreſſum, oblongum, rotundum vel triangulare, ex ſubere praecipue factum et cera obductum, foramine in media parte inſtructum, quod in vaginam, quam fieri poteſt, altiſſime immittitur, et, ne inteſtinum rectum et vrethram nimis premat, ad latera interna peluis firmatur. Ac hi quidem ſimplices ſunt, alii autem magis compoſiti, a recentioribus inuenti, quanquam ſimplicibus praeſtare videntur, ſuis tamen incommodis laborant, et praeter moleſtias, quas foeminis excitant, orificium vteri non ſatis ſuſtinent.

§. 1162.

Et vaginae relaxatio eiusque prolapſus euenire ſolet. Hic praecipue in ſuperiori rugarum columna poſt crebriorem et moleſtum partum, vel diu toleratum fluorem album vel abuſum fotuum emollientium inducitur, et ab initio leuiora incommoda affert, repoſitione tamen apta et epithematibus ſuffimigiisque roborantibus interdum applicatis, et quiete, compreſſis cruribus, ſeruata, corrigitur. Quoniam vero hanc laeſionem ſaepe ab initio negligunt foeminae, vitium inueteratum in tumorem variae figurae extenditur, et ita moleſtum eſt, vt interdum vel ligatura vel ſcalpello tolli debeat, ne continua frictione et irritatione inflammatio moueatur, variis euentibus moleſta.

§. 1163.

§. 1163.

Atretae dicuntur foeminae, in quibus via ad vterum vel prorſus praecluſa, vel maxime anguſta eſt. Morboſas vteri ipſius coalitiones in viuis vix detegere poſſumus, ſed in ſectione cadauerum nonnunquam obſeruamus. Membrana hymenis autem, orificio vaginae praetenſa, nec perforata, in recens natis facile negligitur, attamen ſi illa increſcit et non nihil calloſa fit, ideoque inſtantibus menſtruis demum moleſta ſymptomata inducit, his perceptis, facile medelam admittit: cum enim vtplurimum ſanguine affluente turgeat, et ita in tumorem attollatur, ſine partium vicinarum laeſione inciditur.

§. 1164.

Coalitus vaginae, in recens natis iam perceptus, anguſtiam calloſam in puellis relinquit, inprimis ſi paulo altius in vaginam aſcendat, nec ſectione nec turundis poſtea applicatis tollitur. Quod ſi vero vaginae exulceratio, in venereo malo potiſſimum, anguſtiam et coaleſcentiam efficiat, tunc quidem ſectione via aperitur, et turundis ex ſpongia paratis aperta ſeruatur, applicatis, ſi opus eſt, medicamentis, quae cum ſanguinis fluxum ſiſtunt, tum calloſas partes non nihil emolliunt, et erodendo tollunt. Loco turundae interdum canalis eburneus vndique foraminibus pertuſus applicari poteſt.

CAPVT

CAPVT X.

DE

LVXATIONE OSSIS COCCYGIS.

§. 1165.

Os coccygis cum oſſis ſacri fine committitur cartilagine flexili et ligamentis ſedem firmantibus. Rarius quidem accidit, vt in anteriorem partem vi externa adhibita propellatur, tum vero digito in anum immiſſo in ſedem ſuam reducendum eſt, aegro in ſella perforata ſedente, aut ſimili lecto incumbente, ne vi iterum introrſum prematur. Si vero, quod in partu difficili fieri ſolet, os coccygis nimis retrorſum premitur, mox reducendum et pannis complicatis et faſcia muniendum eſt, ne neglecta medela inflammatio et abſceſſus oriantur.

TRACTATIO VI.

DE

EXTREMITATVM MORBIS.

§. 1166.

Cum extremitates corporis oſſibus cylindricis, inprimis articulis mobilibus, et muſculis, et tendinibus ſuis vario modo directis, praecipue conſtent, de morbis harum partium nunc diſſerendum eſt, de ganglio, paronychia et vulneribus tendinum De luxationibus quidem et fracturis, quae in his partibus frequentius occurrunt, in doctrina generali §. 603. ſeqq. et §. 648. ſeqq. iam expoſuimus, nonnulla tamen ſeparatim de iis proferenda erunt, quo tandem tractationem de amputatione membrorum ſubiungere queamus.

CAPVT

CAPVT I.

DE GANGLIO.

§. 1167.

In tendinum vaginis et contextu celluloſo, easdem ambiente, ſi illi violenter extenſi fuerint, ſaepe humor lymphaticus cogitur, et tumorem durum renitentem refert, qui velamento quaſi incluſus haeret, ipſi tendini nonnunquam accreſcit, quod quidem in manuum et pedum tendinibus crebrius, quam in aliis locis, euenire ſolet. Recenti malo, tumor valida preſſione diſcutitur, vel emollientibus emplaſtris prius applicatis eo diſponitur: diſcuſſo autem et ad reſorptionem diſpoſito humore, lamina plumbea apponenda et fortius adſtringenda eſt, quo noua humoris collectio impediatur.

§. 1168.

Accidit vero, vt medela neglecta membranae tumoris occalleſcant, et humor in iis ſtagnans nimis cogatur, ideoque diſcuſſio fieri nequeat, ſed tumor totus exſcindendus ſit. Hoc ſumma cura praeſtandum eſt, ne membranae calloſae pars relinquatur, nec tendo, cui adhaeret, violetur: quod ſi enim et hoc auxilio neglecto aeger medicamentis nimis emollientibus aliisque inepte applicatis tumorem moueat, nimium increſcit, motum impedit, et exulceratione facta non niſi foetidam ſaniem emittit.

CAPVT II.

DE PARONYCHIA.

§. 1169.

Non tantum ad vngues, ſed in reliquis quoque digitorum partibus inflammationes et inde abſceſſus oriuntur, qui pure emiſſo facile ſanantur, eo tamen retento et ſanioſo facto vlcus ſiſtunt, quod paronychiam et vulgo panaritium dicunt. Coit vero pus vel acris ſanies aut ſub vngue, aut ſub cute denſiore, aut ad perioſteum, aut in ipſis tendinum vaginis, et has partes acutiſſimo dolore afficit. Cauſſa occaſionalis potiſſimum in puncturis, acu vel feſtuca factis, refrigerio poſt calorem, vel calore poſt frigus applicato, conſiſtit, et in illis crebrius occurrit, qui manus in lixiuium aut aquas ſpurcas, lauando vaſa coquinaria, ſaepe immittunt.

§. 1170.

Abſceſſu tantum ſub cute in contextu celluloſo haerente, dolor per ſe quidem leuior, ſed a leuiſſimo attactu acerbus eſt, et in cute reliqua inflammationis ſigna excitat. Applicanda itaque ſunt emplaſtra emollientia vel cataplaſmata ſimilia, quo humor cito coeat, et inciſione per denſam cutem facta, protinus educatur. Difficilius praeſtatur curatio, ſi pus ſub vngue, inprimis eius radice haereat, ille enim incidendus eſt, quo ſeparetur, et nouus, licet tardiſſime, ſuccreſcat, ob teneras fibras cera obtegendus.

§. 1171.

Si in dolore valde acerbo nec tumor vllus, nec reliqua inflammationis ſigna exterius apparent, inflammationem profundius et ad os haerere cognoſcimus,

mus, accedente inprimis febre grauiore aliisque ſymptomatibus. Locus itaque dolens cataplaſmatibus applicatis, quantum fieri poteſt, emolliatur, vt, digito firmato, ſcalpello profunde incidatur, et pus, ſanguis ac ſanies effluant. In ſectione et articuli ligamenta, et tendinis vagina, modo fieri poteſt, tangenda non ſunt, continuanda tamen eſt cataplaſmatum applicatio, vt ſuppuratione facta vulnus depuretur.

§. 1172.

Si abſceſſus, isque paruulus, diu ad perioſteum latet, et in vlcus mutatur, non raro os ipſum carie laeditur, quae res curationem tardiorem reddit, inprimis ſi caries ad articulum haereat et proſerpat. Cum igitur oſſis pars arida ſit, raro ſponte ſecedit, ſed vtplurimum ſcalpello vel alio ferramento radenda eſt. Applicanda praeterea ſunt medicamenta, magis balſamica, quam pinguia, ne caries peior fiat. Nonnunquam os totum vitiatum amputationem exigit, de qua re in vltimo huius tractationis capite acturi ſumus.

§. 1173.

Interdum abſceſſus et vlcus inde natum in vagina tendinis haeret, ex qua cauſſa non tantum acerbus dolor oritur, ſed inflammatio etiam proſerpendo ita augetur, vt tumor ad tractum vaginae et muſculi in manum et brachium continuetur. Hoc potiſſimum iis accidit aegris, qui ad dolorem leuandum manum et digitos erectos ſuſtinent, ideoque progreſſum materiae rodentis iuuant. Dolor tunc ad condylum humeri externum, ſiue ad initia muſculi flexoris profundi deducitur, et, niſi cito ſuccurratur, inprimis in cacochymicis, gangraena, in contextu celluloſo proſerpens, naſcitur.

 §. 1174.

§. 1174.

Inciſio igitur, inuento loco apto, non tantum per integumenta, ſed ad vaginam tendinum ipſam efficiatur, quo humor euocetur, et quod reliquum eſt inflammationis diſcutiatur. Materia autem purulenta, vagina inciſa, cum vulnus anguſtum ſit, vix educitur, niſi inciſio, ſpecillo ſulcato immiſſo, ad huius ductum continuetur, quamquam interdum ne haec quidem ſufficit, ſed per volam manus ad carpum vsque, et, ſi res ita poſtulat, ſpecillo ſub ligamento carpi transuerſo dimiſſo, ſuper carpum continuanda eſt, quo pus et ſanies eliminari, et omnis ambitus vlceris detegi poſſit.

§. 1175.

Diuturna et taedii plena eſt tam ampli vulneris curatio, non tantum ob inflammationem, quae gangraenae auertendae et blandae ſuppurationis efficiendae cauſſa aptis epithematibus coercenda et mitiganda eſt, ſed ob carnes etiam fungoſas hinc inde excreſcentes, et adurentibus, et ſcalpello non raro ſeparandas. Durante etiam curatione, ipſa tendinum exſiccatio et caries variorum oſſium, quae ſaepe eueniunt, non negligi, ſed ab exercitato chirurgo variis auxiliis iuuari debent. Omni tamen attentione adhibita, aeger nonnunquam poſt multos dolores liberum partium motum amittit.

CAPVT III.

DE TENDINVM VVLNERE ET SVTVRA.

§. 1176.

Tendinum et membranarum tendinoſarum ſiue aponeuroſium fabrica ita comparata eſt, vt ob ſicci-

ſiccitatem contextus celluloſi ad fabricam oſſium aliquo modo accedat; iis itaque laeſis, diſciſſis ſcilicet et diſruptis, aut calli geneſis diſcedentes partes vnit, aut ſubſtantia ipſa deſtructa, fibrae ſucceſſiue ita ſecedunt, vt ſeparatio cum exfoliatione oſſium comparari debeat. In vulneribus itaque, quibus et tendines et aponeuroſes laeduntur, ad hanc ſeparationem attente reſpiciendum eſt; balſamicis autem medicamentis ex terebinthina, et balſamis nobilioribus terebinthinae ſimilibus applicatis, putredo vicinarum partium coercetur, licet ſeparatio tendinis his non acceleretur.

§. 1177.

Vti itaque in vulneribus ſciſſis vel calloſis partium, quae copioſo et ſucci pleno contextu celluloſo cinctae ſunt, inflammatione oborta facilius ſuppuratio ſuccedit et ſeparationem iuuat: ſic contra tendine ſimul male affecto, vtpote exſucco, ſeparatio tardiſſima expectanda eſt. Haud raro etiam ex tendinis fibris, cum vaginis tendinum coaleſcentibus, immobilitas partium ſequitur. Vbi vero tendo vnus vel alter tantum diſciſſus, vel ſine multa fibrarum deſtructione ruptus eſt, ibi extremae tendinis partes ſutura inter ſe vniuntur, quo iterum coaleſcant.

§. 1178.

Membrum itaque vel extendendo, vel flectendo in eo ſitu confirmetur, in quo extrema tendinis, quae receſſerunt, ſe iterum contingant, poſtea acus per vnum alterumque tendinum extremum et integumenta ſimul traiiciatur, et fila ita adducantur, vt ſuper panniculum interpoſitum conſtringantur, et in ſitu retineantur. Acus ſint curuae, attenuatae, vtrinque acutae, ne tendinum ſubſtantiam nimium dilacerent, ſed vulnus inter fibrarum ſtrata inducant.

Pars poſtea in eo ſitu, in quo ſutura facta eſt, retineri debet, ideoque faſciis aliisque auxiliis iuuetur aeger, et inflammatio ſuperueniens ſuo modo tractetur.

§. 1179.

Si tendinis orae poſt aliquot hebdomadas, vti in oſſibus euenire ſolet, vel tardius, vel celerius, callo nato, inter ſe cohaerent, et denſitatem conuenientem referunt, ligatura vel ſponte ſecedit vel ſoluitur, et partes tunc calloſae redditae vel epithemate emolliente fouentur, vel vnguento ſimili v. c. de althaea fricantur, quo, ſi fieri poteſt, mobilitas tendinis reſtituatur. Saepius quidem integumenta aſſuta cum tendine coaleſcunt, et ſimul trahuntur; interdum tamen vi quadam adhibita tendo leuiter agglutinatus ſeparatur, et in vagina ſua, vt decet, mouetur.

§. 1180.

Maximus corporis tendo, calcaneo affixus, qui chorda Achillis dicitur, interdum diſciſſus et iterum ſutura vnitus fuit: accidit vero, vt is interdum oſſis ad inſtar ſine vulnere integumentorum frangatur, quo facto extrema ſecedentia, extenſione pedis ſumma, qua fieri poteſt, praeſtita, iterum ad ſe inuicem accedant, et auxiliis aptis applicatis ſine ſutura in eo ſitu retineantur, donec conſolidatio per callum formata eueniat, et poſtea ſucceſſiua extenſione admiſſa liber motus reſtituatur, quam medendi rationem, praeter PETITUM, quippe qui omnium primus de hoc argumento egregie ſcripſit *), MONRO proprio exemplo declarauit **).

*) vid. Traité des maladies des os, a Paris 1741. 8vo. Tom. II. p. 289. ſeqq. et Diſcours hiſtorique et critique ſur le Traité des maladies des os de feu Mr.

PE-

PETIT, par M. LOUIS, qui exſtat in noua editione 1758. 8vo. pag. 15. ſeqq.

**) vid. Eſſays and Obſervations phyſical and literary, Vol. I. Edinbourg. 1754. 8vo. Art. XXI. p. 450.

CAPVT IV.

DE ARTICVLORVM VVLNERIBVS.

§. 1181.

Articulorum vulnera non tantum ob diuerſitatem ligamentorum, tendinibus ſimilium, §. 1176. iis peiora ſunt, quae carnoſis et mollibus partibus inferuntur, ſed ea quoque, quae horum tantum ſuperficiem feriunt, ideo moleſta ſunt, quod vaſis lymphaticis laeſis affluxum continuum ſeri, ſuppurationem cohibentis, afferunt, quam ob rem, digerentibus pinguibus applicatis, facile in vlcera ſordida abeunt: balſamica ergo, et quae non nihil exſiccant et vaſa roborant, remedia v. c. eſſentia ſuccini et myrrhae ſine alcali, vel maſtichis puluis inſperſus, melius conueniunt, et cicatricem inducunt.

§. 1182.

Longe maiora oriuntur incommoda, ſi ligamenta, et capſularia potiſſimum, diſcinduntur, perfodiuntur, vel cum tendinibus a latere excurrentibus dilacerantur, ſi oſſium apophyſes et epiphyſes ſimul concutiuntur et franguntur. In principio magna metuenda eſt inflammatio, et hac moderata, liquor gelatinoſus melleae ſaepius conſiſtentiae, albus, quem ſynouiam dicunt chirurgi, et qui non tantum ex articuli cauo, ſed ex lymphaticis quoque vaſis ruptis copioſe affluit, ſuppurationem impedit; tandem et lenta tendinoſarum fibrarum ſeparatio conſolidatio-

nem vulneris ita protrahit, vt multis ex cauſſis articuli immobilitas remaneat. §. 638.

§. 1183.

In principio quidem inflammationi epithematibus et fomentis ex decoctis hyſſopi, abſinthii, aliisque herbis diſcutientibus, paratis occurrendum eſt, paulo poſt inciſiones et ſeparationes partium deſtructarum ſcalpello et forfice praeſtandae ſunt, ne corruptio et ſeparatio nimis diu protracta ſequantur, tandem ora vaſorum lymphaticorum balſamicis medicamentis §. 1181. defendenda et conſtringenda ſunt, quo vulnus exſiccetur et conſolidetur. Rigiditas articuli, quae ſaepe remanet, fomentis emollientibus et vnguentis ſimilibus, nec non ſapone et aliis balneis naturalibus et artificialibus nonnunquam corrigitur, ſaepe tamen immobilitas et vera ankyloſis §. 637. ſeqq. relinquitur.

CAPVT V.

DE LVXATIONE EXTREMITATVM SVPERIORVM.

§. 1184.

De luxatione in genere §. 648. ſeqq. egimus, quare nunc in extremitatum articulis maxime inter ſe diuerſis hoc vitium vario modo diiudicandum, eiusque curandi ratio indicanda eſſet; cum vero ea, quae in hoc et ſequenti capite monenda forent, ſuccincta tractatione abſoluere, et enchireſes omnes paucis tradere nequeamus, ſufficiet omnino praecipuas tantum luxationum differentias attendere, et ſigna diagnoſtica addere, quo auxilia manus, ferramentorum

rum et faſciarum, ad oſſa in veram ſedem reducenda, et in ea retinenda, ſummatim indicemus.

§. 1185.

Clauicula, quae et iugulum dicitur, ad ſternum, proceſſum coracoideum et acromium validiſſimis ligamentis adſtringitur, ideoque ſine fractura ſimul eueniente rarius ex ſitu ſuo mouetur; quod ſi vero vel retrorſum ſub ſterni os, vel antrorſum ſuper ſternum quodammodo cedat, vel, id quod rariſſime euenit, ab acromio non nihil dimoueatur, caput, humeri cum ſcapula connexa vel antrorſum magis, vel retrorſum ita agendum eſt, vt hac diſtenſione adiutus chirurgus clauiculam in extremis ſuis nonnihil vrgere, et in verum ſitum reducere queat.

§. 1186.

Hoc quidem haud difficulter praeſtari poſſe perſpicimus, quoniam inter vtrumque extremum interpoſita cartilago interarticularis non nihil gliſcit, et ideo motum repoſitionis iuuat, ac validum ligamentum, quod clauiculam proceſſui coracoideo nectit, eandem ſuſtinet. Paulo poſt autem ſummo humero et brachio rite diſpoſitis et faſcia firmatis, pannis complicatis ſuperiori et inferiori lateri clauiculae appoſitis, et faſcia porro ſuperiori thoracis parti circumducta, quies diu et eo vsque ſeruetur, donec ligamenta valide diſtenta robur priſtinum recuperent.

§. 1187.

Capitis humeri articulus, ad cauitatem glenoideam ſcapulae liberiori motu conſpicuus, ligamentis quidem non adeo adſtrictis retinetur, et a ſcapulae liberiori motu ſummam agilitatem adipiſcitur, muſculis tamen validis cinctus, iis ipſis in motu vario iuuatur et dirigitur. Limites eius in motu verſus ſuperiora praecipue per coniunctum cum clauicula acromium et ligamentum validum, ab hoc pro-

ceſſu ad coracoideum deductum, figuntur, ex qua partium fabrica apparet, luxationem magis verſus anteriorem et poſteriorem partem, quam verſus ſuperiorem et inferiorem admitti.

§. 1188.

In macilentis caput humeri eiusque ſitum peruerſum tactu quidem ſolo cognoſcimus, in obeſis et carnoſis corporibus diſquiſitio difficulter inſtituitur; ad dolorem itaque in vario motu brachii, ad eius directiones in varias partes non praeſtandas, ad tumores et ſinus iuxta hanc vel aliam partem articuli obſeruatos, in definienda luxatione reſpiciendum, idque variis tentaminibus confirmandum eſt. Situ autem peruerſo cognito, repoſitio non protrahenda eſt, ne partes ipſae intumeſcant, et, dum dolorem et tenſionem nimiam in reponendo efficiunt, difficilior, immo impoſſibilis reductio reddatur.

§. 1189.

Aeger in ſedili corporis ſtaturae accommodato collocetur, eiusque pectus a miniſtro in ſitu firmo contineatur: chirurgus ipſe humerum ex directione peruerſa lente extendit, et durante extenſione caput humeri ita dirigit, vt in veram ſedem reuertatur. Si brachium aegri ita extendi poteſt, vt ſuper humerum miniſtri adduci queat, illud ab hoc ita retineatur, vt ſub eleuatione humeri miniſtri ſucceſſiue tentata pondus proprium corporis aegri diductionem a capituli cauitate praeſtet, et hac diductione, quantum fieri debet, continuata, chirurgus adſtans manu ſua repoſitionem dirigat et perficiat.

§. 1190.

In validis et robuſtis corporibus, faſciis amplis ſuper humerum et ſub alas in forma cruciata demiſſis, et a parte oppoſita ad vncum parietis firmatis, non ſolum

ſolum pectus aegri in ſitu apto figatur, ſed praeterea a robuſto miniſtro retineatur et dirigatur. Extenſio humeri poſtea alii miniſtro ſatis robuſto committatur, qui manibus ipſis melius, quam faſcia ſuper cubiti articulum applicata, vtetur. Extenſione ſucceſſiue peracta, chirurgus, qui manibus ſuis articulum humeri comprehendit, caput eius caute dirigit, et ab ea parte, qua elapſum eſt, opportuno tempore vel eleuando, vel premendo vrget. In eleuando etiam capite humeri faſcia ſub alis ducta, quae ſimul collo chirurgi inhaeret, repoſitionem iuuat.

§. 1191.

Machinae variae in hunc vſum inuentae, vt ambe, polyſpaſtus, et in primis gloſſocomium, in difficili humeri repoſitione adhibitae, ab auctoribus variis deſcribuntur *); earundem tamen applicandi ratio diiudicanda et a prudenti chirurgo dirigenda eſt. Cauendum enim omnino eſt, ne vaſa ſubaxillaria nimium comprimantur, ne actio muſculorum, ligamento capſulari inſertorum, quorum motu caput humeri dirigitur, infringatur. Etſi enim valida extenſio ſaepe neceſſaria videtur, verae tamen enchireſes in ſucceſſiuis humeri, durante extenſione, agitationibus et directionibus poſitae ſunt, quibus rite obſeruatis, caput humeri ſponte ſaepius in veram ſedem reuertitur.

*) vid. HEISTERI Chirurgia p. 245. Tab. X.

§. 1192.

Poſt repoſitionem non aeger ipſe, ſed miniſter, qui extenſionem brachii praeſtitit, motus quosdam moderatos tentet, chirurgus tamen interea articulum manibus ſuis comprehendat, et caute dirigat. Secundum haec et panni molles complicati et faſcia

iniicia-

iniiciatur, praeterea totius brachii ſitus ita dirigatur, vt capitulum humeri eo vsque in quiete conſeruetur, donec ſatis confirmatum, et ad motus denuo incipiendos aptum ſit.

§. 1193.

Cubiti articulus, ex humeri extremitate inferiore, vlnae et radio appoſita, compoſitus, et figura ſingulari partium commiſſarum munitur, et ligamentis validis continetur; retrorſum tamen magnis niſibus expellitur, et ideo vel extrorſum, vel introrſum ſimul non nihil dimouetur. Extenſio in vtramque partem protinus praeſtanda eſt, quo manus chirurgi dimotas eminentias in caua oppoſita propellat, hoc facto faſcia circumducatur, et confirmatis iterum ligamentis, cubiti articulus lento motu exerceatur. Et radius ab vlna in ſuprema parte recedens eodem modo reducitur ac coercetur.

§. 1194.

Quod ſi vero humor morboſus in articulo confluat, et oſſa coniuncta ſenſim et ſponte a ſe inuicem dimoueat, vel neglecta diu repoſitione liquor articularis ſpiſſior reddatur, vel nimia vi applicata ligamenta violenter diſtendantur, aut diſrumpantur: apta partium repoſitio ex voto praeſtari nequit, ſed immobilitas quaedam vel vera ankyloſis remanet, inprimis ſi fractura ſimul complicata ſit. Hae quidem mutationes in iunioribus ſubiectis eo magis extimeſcendae ſunt, cum molles epiphyſes a diaphyſi ſeparentur, comprimantur, et haud raro omnimodam articuli deſtructionem relinquant.

§. 1195.

Cum manu extrema, et quidem cum carpi oſſiculis, in vnum quaſi corpus coniunctis vlna, et radius in inferiori extremitate committuntur, validisque

que ligamentis vniuntur; quod ſi igitur in hoc et reliquis manus extremae articulis luxatio eueniat: ex articuli figura et ligamentorum ſitu atque robore diiudicanda eſt, quod, cum haec omnia tactu percipiantur, facillime fieri poteſt. Extenſione in contrariam partem protinus peracta, partes quodammodo emotae reponantur, et faſciis contineantur; ſi tunc motus leuior nonnunquam a chirurgo articulum dirigente praeſtatur, articuli firmitas et mobilitas ex voto reſtituitur.

CAPVT VI.

DE LVXATIONE EXTREMITATVM INFERIORVM.

§. 1196.

Femoris capitulum obliquo ceruici annexum in ſede ſua, ſcilicet in acetabulo oſſium coxarum, firmiter retinetur; licet enim ligamentum teres vel triquetrum internum motum tantum dirigat, margo tamen acetabuli eminens et elaſticus capitulum arcte comprehendit: porro capſulare ligamentum, in ſe quidem laxum, validis tamen ſtratis fibrarum tendinoſarum firmatur, tandemque muſculi cum minores, tum alii maiores motum bene dirigunt, ac omnem ambitum acetabuli cingunt atque muniunt: non obſtante tamen hac fabrica, vel vi admodum valida nonnunquam illata, vel liquore morboſo intus confluente, ex ſede ſua dimouetur et expellitur.

§. 1197.

Si in adultis, quorum oſſa iam confirmata ſunt, femori magna vis facta eſt, ceruix vtplurimum fran-

frangitur, de qua laeſione alibi dicturi ſumus; ſi vero ceruice renitente caput e ſede ſua expellitur, vtplurimum inferiora et interiora verſus adigitur, et tunc non tantum ligamentum teres, ſed et ipſum capſulare vehementer extenditur, vel quoque laceratur, et muſculi vicini partim comprimuntur, partim trahuntur. Capitulum vero in hanc partem elapſum eſſe, praeter alia ſolita ſymptomata, tumor ad inguina ortus oſtendit: cum etiam trochanter maior introrſum cedat, ſinus ſatis profundus ad nates conſpicitur.

§. 1198.

Elapſum vero caput non reponi poteſt, niſi faſcia per inguina ducta vnco ad parietem a latere lectuli affigatur, et alia faſcia ad genu applicetur, quo extenſio polyſpaſto perfici, eaque ad conuenientem gradum deducta, caput femoris in priſtinam ſedem remitti poſſit. Quod ſi vero valida vi ligamenta ipſa dilacerentur, caput, licet, vt nunc oſtendimus, recte reponatur, difficulter tamen retinetur, cum faſcia non tam arcte circumduci queat, vt tenſioni ſatis reſiſtat, ſed leuiſſimo motu iterum excidat. Saepius etiam ob vim in luxatione applicatam, et paulo poſt in repoſitione adhibendam, partes molles ita vexantur, vt abſceſſus oriatur, ankyloſis ſequatur, et alia incommoda coniuncta ſint, quae aegrum haud raro in tabidum ſtatum coniiciunt.

§. 1199.

Et in iunioribus, in quibus ligamenta magis cedunt, non tantum haec antrorſum facta luxatio euenit, ſed et vi muſculorum glutaeorum poſtea ſurſum et extrorſum ſuper marginem acetabuli producitur capitulum. Hoc in caſu non raro epiphyſis capituli ſimul diducitur, et cum acetabulo coaleſcit, extre-

extremo ceruicis in nouum quaſi capitulum efformato, et cum acetabulum deſtructum articulum mobilem non admittat, nouum ſuper os ileum efformatur planum laeuigatum, quod, partibus vtcunque confirmatis, moleſtam claudicationem inducit. Si in aetate infantili femur interdum vehementius attrahitur, articulus ipſe deſtruitur, et moleſta elongatio femoris motu prorſus ſublato remanet.

§. 1200.

Etiam poſt contuſiones validas articuli, et humore metaſtatice ad cauum huius articuli moto, hoc diſtenditur, et capitulum ex ſede ſua, relaxatis ſenſim paulatimque ligamentis, expellitur. Venaeſectio, euacuatio aluina, et roborantia interna, quae reſorptioni humoris fauent, non ſemper ſufficiunt, etiam faſcia externa infirmitati oppoſita affluxum non ſatis coercet, abſceſſus potius difficulter aperiendi naſcuntur, et niſi tabidus ſtatus aegrum conſumat, coalitus partialis immobilitatem relinquit.

§. 1201.

In genu quoque articulo condyli femoris, ſuper tibiam fulti et ſemilunatis cartilaginibus ac patella firmati, licet ſatis mobiles ſint, non tamen, niſi ligamentis valida vi diſtentis, e ſede dimouentur, extenſione autem ſufficienti facta in verum ſitum reducuntur, et faſciis aptis muniuntur, donec robur ligamentorum his partibus retinendis aptum reſtituatur. Hoc in incompleta luxatione accidit, completa autem cum dilaceratione ligamentorum, et nonnunquam fractura condylorum coniuncta, vix corrigitur, ſed varia incommoda inducit, quae etiamſi attenta curatione tolluntur, ankyloſin tamen relinquunt.

§. 1202.

§. 1202.

Item fibula, quae tibiae extremitati ſuperiori extrorſum alligatur, et in extremitate inferiore ad tarſum producitur, malleolumque externum conſtituit, raro quidem in ſuperiori, frequentius in parte inferiore deducitur; dimotae igitur partes protinus in veram ſedem reducendae, et, quo ligamenta robur priſtinum accipiant, faſcia diu applicata continendae ſunt. In reliquis tarſi, metatarſi et digitorum oſſibus idem notandum eſt, cum vtplurimum tantum diducantur, ac mox in ſedem priſtinam reprimi et faſcia confirmari queant.

§. 1203.

Si oſſium horum luxatio cum ligamentorum et tendinum dilaceratione, vel oſſium quorundam validis contuſionibus et fracturis coniuncta eſt grauiora ſuccedunt ſymptomata, inflammationes ſcilicet et abſceſſus, quae tunc peculiarem merentur attentionem, et ex aliis doctrinae noſtrae capitibus diiudicari debent. Difficulter tamen ſuccedit curatio, et, ſi in corporibus cacochymicis accedunt, vlcera ac caries oriuntur, et his etiam ex voto ſanatis, partes, quae non ſatis retineri poſſunt, ſaepe in peruerſo ſitu coaleſcunt.

CAPVT VII.

DE FRACTVRIS EXTREMITATVM SVPERIORVM.

§. 1204.

Accedimus nunc ad fracta oſſa, et doctrinam de illis generalem §. 603. ſeqq. monitis nonnullis addi-

additis, illuſtrabimus. Clauicula non raro frangitur, huiusque fracturae conditio, cum hoc os in ſumma pectoris parte collocatum ſit, facile perſpicitur: in transuerſa fractura partes vicinae vix laeduntur, et os melius reponitur, in obliqua vero apices ſaepe eminent, ideoque, cum nonapte reponi queant, vulnere inciſo tolli debent. Chirurgus tunc ſumma cum cura eo reſpiciat, ne acutae oſſis partes vaſa maiora ſub clauicula deſcendentia laedant, et haemorrhagiam non compeſcendam inducant.

§. 1205.

Repoſitio clauiculae fractae et apta calli formatio diuerſo humeri ſitu iuuatur. In fractura transuerſa, repoſitione facta, humeri caput non nihil antrorſum inclinetur, cubiti vero articulus retrorſum ducatur, et his partibus in ſitum aptum vbique diſpoſitis, panni complicati ſupra et infra clauiculam, et alia ſplenia cruciatim applicentur, paulo poſt faſcia omnis ambitus pectoris et humeri confirmetur. In obliqua fractura humeri caput quodammodo retrorſum ducatur, quo partes clauiculae fractae non nihil diſtendantur, et in verum ſitum reductae in eo faſciis applicatis retineantur.

§. 1206.

Latum ſcapulae os raro frangitur, cum muſculis vbique cinctum impetum externum ſaepe elidat; quod ſi vero fractura ſola ſine vulnere accidat, apta deligatio, quae ſimul humerum anteriora verſus figit, in tenui etiam oſſe ſanationem promittit; ſi in varias partes diffringitur, aut iam cum vulnere eſt, aut inciſione facta partes fractae detegantur, quarum aliae iam liberae eximantur, aliae in ſitum ve-

rum reducantur, quo conſolidatio cum curatione vulneris ſimul abſoluatur.

§. 1207.

Vis valida, ſummo humero illata, acromium ſiue proceſſum ſuper caput humeri productum frangit. Haec fractura vt facile cognoſcitur, ita humeri capitulo ſurſum preſſo pars fracta reponitur, ſed vix in eo ſitu retinetur, et poroſum os difficulter coaleſcit. Humeri itaque capitulum, quantum fieri poteſt, ſurſum agendum, et faſcia apta tamdiu in quiete retinendum eſt, donec callus in parte fracta formetur. Si ex valida tenſione inflammatio et abſceſſus generatur, ſi capitulum humeri ſimul ex ſede ſua mouetur, alia et vix ſatis remouenda incommoda ſubnaſcuntur.

§. 1208.

In humeri fracturis generalis medendi ratio in extenſione, repoſitione et ferularum atque faſciarum applicatione attendenda eſt. In omnibus tamen his auxiliis, vt decet, applicandis, muſculorum ad hoc os collocatorum ſitus bene attendatur. Transuerſa fractura facile occalleſcit, obliqua maiorem attentionem exigit, ne extenſae partes vi muſculorum retrahantur, et humerus breuior reddatur: muſculi itaque in actione ſua per validam adſtrictionem coercendi ſunt, et cum oedema tunc vix euitari poſſit, videndum eſt, ne maiora mala inde oriantur.

§. 1209.

Fracturam prope extremitatem maiora vtplurimum comitantur incommoda, vel enim cum luxatione confunditur, vel faſcia applicata non ſatis firmari poteſt. Vera extenſio et adſtrictior faſcia curationem iuuat: raro tamen illa ſine aliqua oſſis curuitate praeſtatur. In iunioribus interdum epiphy-

ſis

ſis capituli humeri diducitur, quae tunc difficulter in ſitum verum reducitur, ideoque minus recte coaleſcit, et immobilitatem vel nimis arctum articuli motum relinquit*). Idem de olecrano vlnae, in iunioribus ſecedente, ſed et in adultis nonnunquam fracto annotandum eſt.

*) vid. D. G. C. REICHELII Diſſ. de Epiphyſium ab oſſium diaphyſi diductione. Lipſiae 1759. 4to. §. 12. 13. Tab. I.

§. 1210.

Ex cubiti oſſibus fractis vnum ſaepius integrum eſt, quod alterum ſuſtinet, et extenſionem faciliorem reddit, ita tamen ambitus, ferulis diſpoſitis, ſpleniis et faſcia muniendus eſt, vt fractum os ab integro melius ſuſtineatur. Radio nimirum fracto, manus in prono, vlna vero fracta, manus in ſupino ſitu collocanda eſt. Si vtrumque os inprimis oblique fractum eſt, extenſio validior ſit, et ferulae et panni ita apponantur, quo ligamentum interoſſeum et ipſa oſſa paululum diſtendantur, ne contracto ligamento oſſa inter ſe coaleſcant.

§. 1211.

Si ex manus extremae oſſibus quaedam ſine vulnere franguntur, repoſitio et apta faſciarum applicatio ſufficit: ſi vero fractura complicata eſt, et partes variae deſtruuntur, illae protinus remouendae ſunt, ne geneſis noui calli impediatur: ſaepe tamen his in partibus, contextu celluloſo molli non cinctis, accurtationes oſſium et ankyloſes ſuperueniunt, inprimis ſi tendinum et ligamentorum dilacerationes coniunctae ſint.

CAPVT VIII.

DE
FRACTVRIS EXTREMITATVM
INFERIORVM.

§. 1212.

Fractura oſſis femoris in diaphyſi, inprimis prope mediam ſui partem, exigit, vt poſt extenſionem validam, qua contractio muſculorum ſuperatur, extremitates fractae et dimotae ſibi accurate accommodentur. Hoc in transuerſa fractura melius efficitur, quam in obliqua, in hac enim nec ferulae appoſitae, neque faſciae circumductae, oſſa ita continere poſſunt, vt veram ſedem ſeruent, ſed femur haud raro breuius redditur, et quodammodo incuruum. Si femoris os in longitudinem finditur, ſi partes oſſis acutae vicinas molles dilacerant, varia oboriuntur incommoda. quae calli geneſin impediunt.

§. 1213.

Fractura ceruicis femoris, quae crebrius accidit, a luxatione §. 1196. ſedulo diſtinguenda eſt. Nullus tumor in inguine apparet, trochanter maior ſemper ſurſum trahitur, et ceruice ex obliquo ſitu in horizontalem deducta femur abbreuiatur *). Etiamſi vero adminiculis variis adhibitis extenſio tentatur, vera tamen partium conformatio reſtitui nequit, ſed claudicans aeger redditur. Quod ſi iunioribus accidit, ſaepe collum femoris totum deſtruitur, et vacillans minusque aptus membri motus relinquitur, interdum autem maiora mala, abſceſſus ſcilicet vel vera ankyloſis, ſubſequuntur. Et inferiorem femo-

femoris epiphyſin, condylos ſiſtentem, diduci poſſe, exemplis declaratur **).

*) vid. Proluſio noſtra de collo femoris eiusque fractura. Lipſ. 1755. 4to. c. fig.

**) vid. Diſſ. REICHELII paulo ante citata . 15. Tab. II.

§. 1214.

Patella, flexo genu, vehementer in corpus durum impacta, vtplurimum transuerſim frangitur, et partem ſuperiorem muſculi valide attrahunt: ſub maxima igitur, quae fieri poteſt, genu extenſione eo enitendum eſt, ut pars patellae ſuperior ad inferiorem adducatur, quo in ſedem ſuam reducta et firmata occalleſcere poſſit. Faſciae, quae circa genu et potiſſimum circa margines eminentiores patellae applicantur, fortius adſtringendae, et variis adminiculis adiuuandae ſunt.

§. 1215.

Grauiora ſunt aegri incommoda, et longe difficilior auxiliorum applicatio, ſi ligamentum patellae, quo tibiae iungitur, dilaceratur, vel ſi patella in plurima fragmenta frangitur; Nam cum ob irregularem callum et minus aptum coalitum, vel articulus obrigeſcat, et ad motum continuandum inutilis reddatur, vel nimia partium vacillatio relinquatur, variis in hunc vſum inuentis et applicatis machinis robur partium confirmari, et motus extremitatis inferioris iuuari debet.

§. 1216.

Cum ex cruris oſſibus alterum fractum, alterum integrum eſt, extenſio facilior redditur, et repoſitae partes melius continentur; et licet craſſior tibia ſit, et ſola ferme cruris firmitatem efficiat, tamen et fibula fracta eo reſpiciendum eſt, quo illa ferulis apte appoſitis a tibia diducatur, ne cum ea coaleſcat,

ſcat, quare etiam faſciae non nimis adſtringendae ſunt. Malleoli externi ſiue fibulae extremitatis inferioris fractura non raro tali rigiditatem adfert, quoniam diu fortius adſtricta ankyloſi inducta coaleſcit. Fractura oſſium pedis extremi ex iis diiudicatur, quae §. 1211. propoſuimus.

CAPVT IX.

DE AMPVTATIONE MEMBRORVM.

§. 1217.

Si in extremitatibus corporis ſuperioribus aeque ac inferioribus vulnera eaque colliſa potiſſimum, cum fracturis oſſium complicata, vel aliae cauſſae, partes ita deſtruunt, vt actiones partium reſtitui non poſſe videantur, eo quidem reſpiciendum eſt, vt, ſeparatis partibus, gangraena, ſphacelo et carie corruptis, forma membri vtcunque reſtituatur; ſi vero commemoratorum vitiorum progreſſus cohiberi nequit, tunc, ſeruandi hominis cauſſa, non tantum vitiata, ſed et partis ſanae quaedam portio tollenda eſt, quo pars mutila, firma cicatrice inducta, ſeruetur, membrumque artefactum annecti queat.

§. 1218.

Quaeſtio mota fuit, vtrum deſtructione inſigni, per vulnera ſclopetorum potiſſimum inducta, amputatio laeſionem continuo ſequi, an differri debeat? quam quaeſtionem vix in genere definiri poſſe §. 427. monuimus, in ſingulis potius vulneratis diſquirendum eſt, vtrum impetu laedente et haemorrhagia nimis commoti vel debilitati ſint, an vigor iuuenilis curationem per aptam ſuppurationem et oſſium exfo-

exfoliationem ſuſtineat? vtrum febris inflammatoria vel citius, vel tardius accedens, ſanationem iuuet, an vires frangat? vtrum ſuppuratio nimia, an celere gangraenae et ſphaceli incrementum poſt plures dies amputationem non admittant. Quae quidem res omnes, licet ſedulo perpendantur, vere ambiguae ſunt, attamen ex iis, quae de vulneribus ſclopetorum diximus §. 411. ſeqq. illuſtrantur *).

*) „Conf. Recueil des pieces, qui ont concourru pour le „prix de l'acad. roy, de Chirurgie a Paris Tom. III. „p. 489. ſeqq. et p. 521. ſq. Item J. U. BILGUER Diſſ. „de membrorum amputatione rariſſima adminiſtranda aut quaſi abroganda. Halae 1760. 4to.

§. 1219.

Praecipue vero in lenta partium deſtructione amputationem haud admittunt imbecillitas virium, inprimis diuturno morbo inducta; corruptio humorum purulenta vel gangraenoſa, cum corpore iam communicata, ex febre continua, vel acuta, vel lenta, aegrum excruciante, colligenda; vitium partium ex cauſſa externa vniuerſali, v. c. ſphacelus ſenilis; vlcera inueterata cum carie, labes ſcorbutica, venerea, cet, in his enim vel maxime dubius vel exitioſus plane eſt amputationis effectus.

§. 1220.

In leuiori malo, et vbi digitus, vel eius articulus reſecari debent, haec contraindicantia non adeo attendenda ſunt, quam in maioribus extremitatum partibus: ſemper tamen et in his cura habenda eſt, vt aeger ad operationem ſubeundam conueniente diaeta et medicamentis praeparetur, et ita inflammatio, ſuppuratio, oſſium exfoliatio et cicatricis formatio, vt decet, perficiantur, nec mala vlcera eueniant, quae vel ſimilem operationem exigunt, vel nullam amplius admittunt.

§. 1221.

Si digiti articulus reſecandus eſt, vix conuenit, vti veteribus in vſu eſſe ſolebat, eundem ſcalpro exciſorio variae formae ſubmittere, et malleo plumbeo percutere, ſed melius eſt, cuti parcere, eaque retracta et digito non nihil inflexo inciſionem in dorſo incipere, paulo poſt oſſiculum ex articulo exſoluere, et eo extenſo cutim inferiorem praeſcindere. Si oſſiculum proximum, quod relinquitur, carie vitiatum eſt, forcipe acuta extremitas anterior tollatur, quo integumenta relicta melius adduci, et firma cicatrix effici queat.

§. 1222.

Prima phalanga, oſſi metacarpi proxima, vitiata, vel huius capitulo carie adeſo, difficilior redditur operatio; non ſolum enim cutis intra digitos ita incidenda eſt, vt a laeſa parte incipiatur, ſed digito ex articulo ſoluto, tendinibusque praeſciſſis, capitulum metacarpi, ſi neceſſe eſt, remoueri, et vaginae tendinum incidi debent, ne ſtrictae nimis partes ſuppurationem cohibeant, et ita continuatam inflammationem moueant.

§. 1223.

In articulorum digiti exſtirpatione haemorrhagia non timenda eſt, cum arteria a latere excurrens diſciſſa vel ſponte conſtringatur, vel compreſſione applicata ſanguinis profluuium coerceatur, nec ligatura opus ſit. Si vero in articulo primae phalangae, oſſi metacarpi proximae, exſtirpatio inſtituitur, ad arterias vtrinque poſitas accuratius reſpiciendum eſt, vt, niſi praeſciſſae per ſe conſtringantur, agarico applicato vel filo circumducto praecludantur.

§. 1224.

§. 1224.

Si integumenta ſatis ampla relicta ſunt, antequam deligatio fiat, attrahantur, cauum autem linteis carptis repleatur, pannis poſtea complicatis minoribus, cruciatim poſitis, frons reſecti digiti contegatur, et faſcia, quae a carpo incipit, et ad digitum progreditur, hunc, quantum neceſſe eſt, conſtringat, paulo poſt ad carpum reuertatur, et ibi finiatur. Brachium poſtea mitella excipiendum eſt, et quieſcat. Simili quoque modo in phalangis digitorum pedis verſandum eſt, in quibus frigore tactis auxilium hoc chirurgicum crebrius applicari poteſt.

§. 1225.

Cum manus vsque ad carpum vitio affecta eſt, cubiti oſſa ad duos pollices ſuper articulum inferiorem praeſcindenda ſunt; minus enim conuenit, carpum ex articulo cum cubito exſcindere, cum carpo laeſo vaginae tendinum, circa carpum poſitae, haud raro altius affectae deprehendantur. Vlterius ſerpente vitio, in media et paulo ſuperiore parte cubitus tolli poteſt. Si labes ad articulum cubiti vsque acceſſit, humeri os in media vel paulo inferiori parte, amputatur ſin vitium paulo altius aſcendit, ſub limitibus deltoidei muſculi inciſio praeſtatur, quo in caſu compreſſio vaſorum maiorum ſub alis antea efficienda eſt. De amputatione humeri in articulo, finita conſuetae operationis deſcriptione, dicturi ſumus.

§. 1226.

In extremitatibus inferioribus, pede extremo labe vix corrigenda deſtructo, inprimis ſi limbus carnis reſectae oſſa tegere debeat, paulo ſuper medium crus amputatio inſtituenda eſt; ſi vero et in ſurae muſculis vitium haeret, paulo altius ſub inſertione tendinis muſculi ſartorii eadem praeſtatur. Fe-

mur ob magnam, quae metuenda eſt, haemorrhagiam et nimiam muſculorum craſſitiem non niſi in inferiori parte praeſcindi poteſt. Amputatio femoris ex articulo acetabuli, quae forte tantum in cadaueribus tentata fuit, crudelis nobis et exitioſa eſſe videtur.

§. 1227.

His praemiſſis de amputatione in genere expoſituri ſumus, adiectis et interſperſis nonnullis monitis, quae particulares operandi modos concernunt, omnem vero apparatum, qui ad partem praeſcindendam et deligandi rationem pertinet, et quem chirurgus ante operationem rite diſponere debet, ſuccincte indicabimus, quo apta ferramentorum applicatio inde melius cognoſcatur *).

*) vid. HEISTERI Chirurg. Tom. II. tab. 12. 13. 14. et PLATNERI Inſtit. Chirurg. rat. §. 238. ſeqq.

§. 1228.

Sunt nempe ferramenta: 1. Culter manubrio ſat craſſo inſtructus, vt manu firmiter teneri queat, lamina inde procedente latiore, primo recta, paulo poſt et quando ad mediam partem peruenit, falcis inſtar inflexa; in quibusdam partibus maior, in aliis minor requiritur. 2. Scalpellus minor anceps, lamina craſſa inſtructus, quo ligamenta interoſſea diſcinduntur, et perioſteum abraditur. 3. Serra, cuius lamina quidem ſatis firma ſit, ſed lata, denticulis leuiter reflexis, manubrio craſſo manum contractam replente, arcu firmo ad manubrium magis recto antrorſum incuruato. 4. Forceps, inter brachia elatere valido munita, quo anteriores partes breuiores, planae, intus non nihil ſulcatae firmiter claudantur, et vi diſtentae arteriam ligandam arripiant, et

poſtea

poſtea comprimant. Addantur praeterea acus incuruae, ſplenia et faſciae, paulo poſt indicandae.

§. 1229.

De ſanguinis impetu per machinam tortilem coercendo in operatione aneuryſmatis §. 317. ſeqq. diximus. Cum autem ibi tantum de arteria brachiali in ſuperiori et interiori humeri parte comprimenda egerimus, monendum nunc eſt, in amputatione cruris globulum comprimentem ad regionem poplitaeam, et in amputatione femoris ſub inguine ad deſcenſum vaſorum cruralium applicari debere, quo nimius ſanguinis affluxus in operatione coerceatur.

§. 1230.

Quando ad operationem ipſam accedit chirurgus, machina tortili applicata, membrum praeſcindendum a miniſtris in firmo ſitu retineatur, et licet cutis, manu miniſtri ad ſuperiorem partem collocati, quantum ſufficit, reduci poſſe videatur, optimum tamen eſt, praeterea ad limites inciſionis definiendos integumenta faſcia circumducta firmare. Chirurgus poſtea a latere membri amputandi collocatus, cultro falcato integumenta circumcirca incidat, quo magis reduci queant, et paulo poſt hoc ipſo cultro alteram ſectionem circularem ita praeſtet, vt primo dorſum ſcalpelli ipſi obuerſum, manubrio ſurſum directo, et ſectione circulari omnium carnium valida preſſione ad os ipſum vsque peracta, ad eandem directionem iterum reuertatur.

§. 1231.

Alio poſtmodum et ancipiti ſcalpello, in cubiti vel cruris amputatione, caro et ligamenta inter duo oſſa haerentia, ſectione iſta circulari non diſcindenda, prorſus diſſecentur, poſtea perioſteum non tantum

tum incidatur, ſed a parte ſana ad vitiatam circum circa deorſum ſtringatur, quo os eo in loco, vbi reſecandum eſt, penitus denudetur. Hoc facto, linteum ad mediam vsque partem diſciſſum intra vulnus immittatur, et ſupra carnes reſectas ſurſum reducatur, ne illae ſerra ſimul dilacerentur.

§. 1232.

Chirurgus itaque aequalibus ductibus et moderata vi ſerram ita trahat retrahatque, vt os transuerſim praeſcindatur. In cubito ſerra prius ſuper radium, poſtea ſuper vtrumque os ducatur, quo ſub finem vtrumque ſimul ſeparetur. Idem in crure obſeruandum eſt, vbi tibia prius, paulo poſt fibula, ſimul ſerra ſtringitur et tollitur. Miniſter vero, qui vitiatam partem manu tenet, hanc inprimis ſub finem ita ſuſpenſam retineat, ne ſerrae ductus ex vna parte impediantur, nec ex altera os iam tenuius factum frangatur *).

*) „Monita varia in adminiſtranda amputatione attenbdenda proponuntur in Memoires de l'acad. roy. de „Chirurgie a Paris Tom. II. p. 268. ſeqq. et p. 355. ſeqq.

§. 1233.

Extremitate reſecta, et linteum ſciſſum, et faſcia ſanae parti applicata, tollantur, integumenta et muſculi reſecti relaxentur, quo in arterias diſſectas inquiri poſſit. In hunc finem torcular paululum relaxatur, arteriae ſalientes deteguntur et ligantur §. 378. quod auxilium aliis ſanguinem ſiſtendi methodis praeſtat, et vt hoc accurate fieri poſſit, forcipe in hunc vſum inuento §. 1228. 4. arteria paululum protrahatur, quo acus incuruae, fila cerata trahentes, eo melius circumducantur §. 383. et haemorrhagia recrudeſcens arceatur; num agaricus paulo maioribus arteriis applicatus ſufficiat, dubium omnino eſt.

§. 1234.

§. 1234.

His peractis, oſſi truncato linteum ſiccum apponitur, omnis vero ſuperficies truncatae partis linamentis carptis ſiccis, vel ſingulari modo in glomerem conuolutis, integumentis circum circa attractis, contegitur, et linteo quadrato, cuius anguli in forma crucis inciſi ſunt, inuoluitur, ſpleniis praeterea transuerſim ſibi inuicem impoſitis, quo faſcia circumduci, et ſurſum aſcendendo et retrorſum progrediendo ita firmari poſſit, vt aeger in ſitu tranquillo poſitus quieſcat.

§. 1235.

Quemadmodum autem chirurgi cura in eo poſita eſt, vt omnis faſciarum apparatus optime retineatur, ſic medicus aegrum vt grauiter vulneratum attendat, et conſiliis iuuet. Inflammatoria febris, licet in operatione ſanguis ſaepe copioſe effluxerit, venae ſectione tamen, eaque, ſi opus eſt, repetita, moderanda eſt, id quod in iunioribus et plethoricis praecipue aegris omnino requiritur. Victus etiam et potus ratio eo modo ordinetur, quem mutationes vulneris et ſymptomata varia in diuerſis aegris exigunt.

§. 1236.

Si deligatae parti nulla incommoda accidunt, faſcia tunc demum ſoluenda eſt, quando odor ingratus mutationem apparatus vrget, et ſuppurationem fieri declarat; in vlteriori cura etiam eo reſpiciendum eſt, ne ligatura arteriae iuſto citius ſoluatur, ne integumenta et carnes citius in cicatricem mutentur, quam oſſis reſecti portio ſeparetur; huius enim tardior ſeceſſus ſaepe vlcera aliaque incommoda inducit, quae ſanationem plenariam nimium protrahunt, inprimis, ſi aeger imbecillis et cacochymia affectus ſanatio-

nationem promptam optimo humorum affluxu non iuuet.

§. 1237.

Separationem tamen reſecti oſſis per exfoliationem minus neceſſariam eſſe, ideoque impediri poſſe, nonnulli arbitrantur, in cruris igitur, potiſſimum ad ſuram et in inferiori femoris parte, amputatione alia et noua methodo cum relicta muſculorum et integumentorum parte (*lambeau*) vſi ſunt; cuius rei rationem ex carnis relinquendae apta reſectione et reductione diiudicabimus *). Nunc tantum monemus, eam operoſam magis eſſe, nec tamen ſemper votis reſpondere, cum nihilo minus interdum reſecti oſſis partes exfoliatione ſecedant, et tunc abſceſſus lentos et vlcera difficulter ſananda relinquant.

*) vid. P. H. VERDUINI Diſſ. epiſt. de noua artuum detruncandorum ratione. Amſtelodami 1696. 8vo et Memoires de l'acad. roy. de chirurgie a Paris Tom. II. pag. 243. ſeqq. et pag. 261. ſeqq.

§. 1238.

De humero in articulo ſcapulae exſcindendo primus cogitauit LE DRAN, quam methodum ſuccincte deſcripſit PLATNERUS *). Emendata haec fuit a variis, et a LA FAYE ita propoſita **), vt deltoideus muſculus primum ſeparetur et carnoſam partem exhibeat, qua, humero ex articulo reſecto, et ſub finem vaſis maioribus axillaribus ligatis, ſcapulae cauitas glenoidea contegi, et conſolidatio ſucceſſiua expectari poſſit. Etſi vero tunc pus motum melius deſcendit, maxime tamen dubitamus, foeda vlcera ſemper euitari poſſe.

*) vid. Inſt. Chirurg. rat. §. 251.

**) vid. Memoires de l'acad. roy. de Chirurgie a Paris Tom. II. p. 239.

INDEX

INDEX.

NVMERVS §. INDICAT.

A.

Abdominis morbi 981 ſq.
Abdominalium muſculorum vulnera 983
- - viſcerum vulnera 984. horum prognoſis 985. diſquiſitio 986. curatio 993 ſqq.
Abſceſſus 88 ſq. eius formatio 94. latentis diſquiſitio 95 ſq. 106. prognoſis 97. eum aperiendi tempus 106 ſeqq. modus 110 ſq. inciſionis ratio 112. locus 113
Achores 683
Acidorum vſus in gangraena 171
Acromii fractura 1207
Aduſtio 116 ſq. eius gradus 118 ſqq.
Aegilops 807
Agarici vis ſanguinem ſiſtens 382
Amarorum vſus in gangraena 167
Amauroſis 881. eius cauſſae 882. prognoſis 883 curatio 884 ſq.
Ambuſta 122 ſqq.
Amputatio membrorum 1217. eius neceſſitas 1218. contraindicantia 1219 ſq. ei conuenientia et neceſſaria inſtrumenta 1228 ſq. adminiſtrationis ratio 1230 ſqq. digiti in articulo 1221 ſqq. manus 1225. humeri ib. in articulo 1238. cruris et femoris 1226. penis 1079
Anchilops 807
Anchyloſis 637 ſq. eius cauſſae 639 ſq. diagnoſis 641. prognoſis 642. curatio 643 ſqq.
Ancyloblepharon 801
Aneuryſma 303. eius cauſſae 304. diſtinctio 305. veri cauſſae 306 ſq. ſedes 309. prognoſis 310. curatio 313 ſqq. ſpurii prognoſis 311
Ani vitia 1080. noui formatio 1005. abſceſſus 1088 ſeqq. fiſtula 1088 ſqq. procidentia 1106 ſq.
Anthrax peſtilentialis 692 ſqq.
Aphthae earumque curatio 889
Ἀποσκεπαρνισμος 710
Aquae calcis viuae vſus in gangraena 172. phagedaenicae vſus in vlcere 483. in fiſtula 511. 515
Arteriae ſanguinem fundentis diſciſſio, deligatio, compreſſio 373 ſqq.
Arteriotome 455 ſeq.
Articulorum vulnera 1181 ſeq.

Athero-

Atheroma 267
Atretae. 1163 ſeq.
Auriculae lobuli perforatio 529

B.

Balneorum vſus in laeſa oſſium nutritione 560 in rhachitide 568
Balſamicorum vſus in gangraena 167 in vlcere 491
Belladonnae vſus in cancro 225
Bronchiocele 929
Bronchotomia 925 ſeqq.
Bubo. 283 peſtilentialis 692 ſeqq.
Bubonocele 1034 ſeqq.

C.

Calculi ſigna et diſquiſitio 1126 ſq. prognoſis 1128 huius ex vrethra exſciſſio 1131 in collo veſicae haerentis exſciſſio 1132
Calli oſſium formatio 620 articularis excreſcentia 646 in fiſtula ortus 501
Cancer occultus 207 huius exſciſſio 219 aperti deſcriptio 208 ſeqq. curatio 222 ſeqq.
Cancroſa penis vlcuſcula 1076 ſeq.
Canis rabidi morſus effectus 437 ſeq. curatio 439 ſeq.
Cantharidum virtus veſicatoria 519 noxa 521
Caput obſtipum 921 capitis morbi 695 ſeqq. integumentorum inciſio 718. 720 vulnera 703 ſeqq. horum ſymptomata 704 diſquiſitio et curatio 706 ſqq.
Carbunculus peſtilentialis 692 ſeqq.
Carcinoma. 208 ſeqq.
Caries oſſium 460. 580 huius generatio 545 latentis ſigna 581 cauſſae 582 apertae ſigna 583 ſeqq. prognoſis 586 ſeqq. curatio 589 ſeqq. caries dentium 907 ſeq.
Carnis fungoſae in vlcere remotio 491
Cartilaginis natura et vſus 539 laeſio et curatio 752
Cataracta 848 ſq. eius differentia 851 ſeqq. cauſſae 855 ſeqq. diagnoſis 858 prognoſis 859 ſeq. curatio 863 ſeqq.
Catheter 1115 eiusque applicatio 1116 ſeq.
Cauſticorum vſus in fiſtula 510
Cauteriorum actualium vſus in carie oſſium 596 in fiſtula lacrymali 828 ad ſanguinem ſiſtendum 381 vſus et applicatio ad excitanda vlcera 530 ſeq
Chalazion 803
Chemoſis 746 prognoſis 774 curatio 785 ſeq.
Chinae cortex vid. Cortex peruuianus
Chirurgia. 1 eius diſtinctio 5
Cicatrix 355
Cicutae vſus in cancro 225
Cirſocele 1055 ſq.
Clauiculae fractura 1204 huius repoſitio ſeq. luxatio 1185 ſeq.
Clauus 677 ſeqq.

Car-

Coccygis oſſis luxatio 1165
Colli morbi 918 vulnera 922 ſeqq. vertebrarum fractura et luxatio 919 ſeq.
Collyria 778
Condylomata 1084 ſeqq.
Contrafiſſura 711. 713
Contuſionum effectus 400 ſeqq. diſquiſitio attente inſtituenda 403 ſq.
Corneae oculi vitia 829 ſeqq.
Corticis peruuiani vſus in inflammatione 57 in gangraena 161 in laeſa oſſium nutritione 560
Coſmeticorum vſus in morbis cutaneis 688
Coſtarum fractura 944 ſeq. luxatio 951
Cranii fractura 709 ſeqq. eius ſymptomata 714 ſeq. diſquiſitio 716 ſeqq. curatio 725 ſeqq.
Criſtae, tubercula ani 1084 ſeqq.
Cruris oſſium fractura 1216
Cruſtae vlceroſae tractatio 492
Cubiti fractura 1210 luxatio 1193 ſeq.
Cydoniorum mucilaginis vſus in aſperitate cutis 687 ſeminum vſus in ophthalmia 779
Cyſtici tumores vid. Tumores tunicati
Cyſtocele 1051

D.

Dentitio difficilis 902 ſeq.
Dentium morbi 901 ſeq. horum cauſſae 905 prophylaxis 904 euulſioni inſtrumenta apta 908 monita circa dentium euulſionem 909 ſeq.
Diaetae ratio in inflammatione 52 ſeq. in eryſipelate 71 in gangraena 159 in ſcirrho affectis 221 in vulneratis 384 in fractura oſſium 620
Διακοπὴ, caluae laeſio 710
Diaphragmatis vulnera 982
Diapyeſis 880
Diatheſis phlogiſtica 23 ſeq. putrida 133 ſeq.
Digeſtiuorum vſus in vlcere 485
Dolor vulnerum 386 ſeq. eius cauſſae 388 effectus 389 curatio 390 ſeqq. 424 in luxatione oſſium, quid indicet? 659 ſeq.

E.

Ecchymoſis 304 eius cauſſae 398 ſeq effectus 405 curatio 406 ſeqq. oculi 763
Ectropium 799
Ἕδρα, caluae laeſio 710
Ἐκκοπὴ, caluae laeſio 710
Eleuatoriorum vſus 728
Emollientium vſus in gangraena 166 in inflammatione glandularum metaſtatica 197
Emphyſema. 975 ſeq. eius curatio 977
Emplaſtra labia vulneris conglutinantia 361 horum in fractura oſſium abuſus 613
Empyematis operatio 978 quando et quo modo inſtituenda 979 ſeq.
Empyeſis 880

Encanthis 807
Enteroraphia 1003 ſeq.
Entropium 800
Epiphora 806
Epiphyſium diductio 1209. 1213
Epithematum vſus in inflammatione 51 in phlegmone 80. 83 ſeq. in vlcere 484 in exoſtoſi ſpuria 576 ſeq.
Epulis 906
Eryſipelas 60 eius ſedes 61 differentiae 62 cauſſae 64 ſeq. curatio 67 ſeqq.
Excutia ventriculi 894
Exfoliatio oſſium 590. 594 ſeqq.
Exomphali ſpecies 1024 ſq.
Exophthalmia 878
Exoſtoſis 569 ſpuria 570 vera, eiusque varietas 572 ſeq. cauſſae 574 ſeq. curatio 578 ſeq. ſpuriae curatio 576. ſeq.

F.

Faciei vulnera 750 ſeq.
Faſcia tortilis 319 ſeq. eius vſus in amputatione 1229 faſciarum vſus in luxatis 669
Faucium morbi 886. 893
Febris ab inflammatione differentia 20. 25. eius ratio in inflammatione 33 in eryſipelate 63 in abſceſſus formatione 100 in gangraena 142. 152. 157 ſeq.
Femoris fractura 1212 ſq. colli fractura 1213 luxatio 1196 ſq. 1199 ſeqq. huius ſigna 1197 repoſitio 1198
Ferularum ratio et vſus in fractura oſſium 614 ſeq.
Fibulae luxatio 1202 fractura 1216
Ficus, tubercula ani 1084 ſqq.
Fiſſura, fracturae oſſium ſpecies 605. 630
Fiſtula 500 eius ſedes et ortus 497 ſeqq. cauſſae 502 diagnoſis 503 ſeq differentiae 506 prognoſis 507 curatio 508 ſeqq. inciſio ex loco oppoſito 512 eam aperiendi modus 513 ſeq. fiſtula lacrymalis 811 huius prognoſis 816 curatio 819 ſeqq. fiſtulae ani ortus 1091 diſquiſitio 1092 ſeq. prognoſis 1094 ſeq. curatio 1096 ſeqq. exſciſſio 1097 ſeq. eiusque ſinuum curatio 1100 ſeq.
Flüte, inſtrumentum ad venaeſectionem incongruum 449
Fonticulorum vſus et locus aptus 522 illos excitandi modus 523 ſeqq. vſus in ophthalmia 792
Fotuum vſus in ophthalmia 779
Fractura oſſium 603 eius differentia 604 ſigna 606 ſq. diſquiſitio 608 prognoſis 609 ſeq. curatio 611 ſeqq. fractura cum vulnere 624 ſeqq. cum luxatione 629 fractura extremitatum ſuperiorum et inferior. 1204
Frigore tacta 125 iis medendi methodus 126 ſeq.
Fuliginis ſplendentis vſus in ſugillatione 410
Fungus narium 895
Furunculus 690 ſeq.

G.
Ganglium 1167 ſeq.
Gangraena 134 huius ſedes 135 cauſſae 137 ſeqq. progreſſus 140. 143 ſeq. prognoſis 148 ſeqq. curatio interna 156 ſeqq. externa 163 ſeq. circa eam monita 175 ſeqq.
Gaſtroraphia 1007 ſeq.
Genu articuli luxatio 1201
Gibberoſitas ſignum laeſae oſſium nutritionis 557 eius ſpecies 953. 956 cauſſae 957 ſeq. diagnoſis 959 curatio 960 ſeqq.
Glandularum fabrica 185 ſqq. inflammatio 188 ſeqq. huius in ſcirrhum mutatio 192 inflammatio metaſtatica 195 ſeq. obſtructio lenta 283 ſeqq. huius geneſis 284 ſedes et differentiae 285 cauſſae 288 ſeq. prognoſis 290 ſeqq. curatio 296 ſeqq. vlcera 469 glandularum articularium excreſcentiae fungoſae 646
Glaucoma 850. 872
Grando 802
Gutta ſerena vid. Amauroſis.
H.
Haemorrhagia vulnerum 369 ſeqq. eius cohibitio 371 cauſſa cohibitionis 383 ſiſtitur ligatura 378 in inciſione fiſtulae ani quomodo coercenda 1102
Haemorrhoidum auxilia externa 1081 ſeqq.
Hepatis vulnus 988
Hernia, 1014 ſpuria 1052 vera eiusque ſpecies 1015 ſeqq. harum cauſſae 1020 ſeq. ventralis cauſſa et curatio 1022 ſeq. vmbilicalis 1024 ſeq. inguinalis 1034 ſeqq. cruralis 1037. 1050 eius repoſitio 1038 ſeq. ſacci lacrymalis 810
Herniotomia 1042 ſeqq.
Herpetis ſpecies 680 ſeq. curatio 685 ſeqq.
Hirudinum vſus in haemorrhoidibus 1083
Hordeolum 802
Hormini ſeminum vſus in ophthalmia 779
Humeri luxatio 1187 eius disquiſitio 1188 repoſitio quomodo fiat 1189 ſeqq. fractura 1208 ſeq. amputatio 1225 in articulo ſcapulae 1238
Hydatis 264. 266 ſeq.
Hydrocele, eiusque differentiae 1063 ſeq. cauſſae 1065 diagnoſis 1066 prognoſis 1067 curatio 1068 ſeqq. cyſtica 1070
Hydrocephalus 696 eius differentia 697 cauſſae 699 curatio 700 ſeqq.
Hydromphalus 1032
Hydrophthalmia 878 eius curatio 879
Hydrops ſacci lacrymalis 810 ſcroti 1071 ſeq.
Hyperoſtoſis 569
Hypopyum 786. 880
I.
Inciſio vulneris 419. 421 huius vſus 420. 422 ſeqq. orificii fiſtulae 505

Inflammatio 19 eius ſigna ib. 34 ſeqq. ſedes 20. 26 differentia a febre 20. 25 vera et ſpuria 25 eius cauſſae 27 ſeqq. curatio 41 ſeqq. vlceri ſuperueniens 493
Iniectionum chirurgicarum in vulnere noxa. 433
Integumentorum morbi 675 ſeqq.
Intercoſtalis arteriae deligatio 946
Inteſtinorum vulnus 987 eius prognoſis 991 in vulnere propendentium repoſitio 996. 1000 ſeqq.
Iugularis venae ſectio 445

K.

Kelotomia vid. Herniotomia.
Kyphoſis 953 ſeq. 956

L.

Labium leporinum eiusque differentiae 754 operationem inſtituendi modus et tempus 755 ſeqq.
Lacrymalium viarum morbi 804 ſeq. horum cauſſae et ſymptomata 808 ſeqq. prognoſis 814 ſeqq. curatio 817 ſeqq.
Lagophthalmus 796. 798
Lapidis diuini praeparatio et vſus 788. 793 infernalis vſus in vlcere 489
Lanceola, inſtrumentum venaeſectioni aptum 449 ſq.
Lenris cryſtallinae in ſuffuſione depreſſio 864 ſeqq. huius operationis correctio 869 ſeqq.
Ligamentorum natura et vſus 541
Ligatura vaſorum quomodo inſtituenda 378 venae ſectae 453 ſeqq.
Linguae morbi 886 horum curatio 888 ſeq. huius frenuli ſolutio 887
Lippitudo chronica 768. 786
Lithotomia 1125 ſeqq. variae eandem adminiſtrandi methodi 1130 ſeqq. quae fit apparatu paruo 1133 magno 1134 ſeqq. lateralis 1145 ſeqq. alto apparatu 1150 ſeqq.
Lithotomus occultus 1149
Lordoſis 953 ſeq.
Luſcus 874
Luxata 648 horum differentiae 651 ſeq cauſſae 653 ſeqq. ſymptomata 656 diagnoſis 657 ſeqq. prognoſis 661 curatio 664 ſeqq.
Luxatio extremitatum ſuperiorum 1184 ſeqq. inferiorum 1196 ſeqq. oſſis coccygis 1165

M.

Mammae morbi 934 ſeq. nodi 937 ſeq. horum exſciſſio 939 amputatio mammae 940 ſeqq.
Manus oſſium fractura 1211 extremae luxatio 1195
Maxillae oſſium fractura 911 ſeqq. inferioris fractura 914 ſeq. luxatio 916 huius repoſitio 617
Medianae venae ſectio 446
Medullae oſſium natura 538
Meliceris 267
Mercurialium vſus in ſcirrho 214 ſeq. in vlcere 488 in vlceribus oculi 794 in carie oſſium 591

Mille-

Millepedum vſus in ſuffuſione 862
Morbi chirurgici vniuerſales 13. 16 particulares 14. 16. 673 ſeqq.
Mors ex frigore 125
Moſchi vſus in vulneribus venenatis 439
Moxae vſus 532
Mydriaſis 877
Myocephalus 845
Myopes 876
Myrrhae vſus in gangraena 169

N.

Narium morbi 895 ſeqq.
Naſi oſſium fractura 912 ſq.
Nephrotomia 1119
Neruorum tenſio et dolor in vulnere 386 ſeq. huius medela 390 ſeqq. 424.

O.

Oculorum morbi 759 ſeqq. ſiccitas eiusque curatio 789 motus vitiatus 873 ſeqq.
Oedema 242 eius cauſſae 243 ſeqq. differentia 248 diagnoſis 249 prognoſis 250 ſeq. curatio 252 ſeqq. membris fractis ſuperueniens 633
Olei empyreumatici chartae albae praeparatio et virtus 687 oliuarum vſus in morſu viperae 440
Omenti e vulnere propendentis cura 996. 999
Omphalocele 1024 ſeqq.
Opercula oculi 777
Ophthalmia 760 eius differentiae 761 ſeqq. cauſſae 769 ſeqq. prognoſis 773 ſeq. curatio 777 ſqq.
Oſcheocele 1034. 1048 ſeq.
Oſſis fracti repoſitio 611 ſeq. deligatio 613 ſeqq. circa eandem cautelae 616 ſq. deligationis remotio 621
Oſſium natura 534 fabrica 535 denſitas varia 536 nutritio 549 ſeq eaque laeſa 552 ſeqq. huius cauſa 556 diagnoſis 557 prognoſis 558 curatio 559 ſeq. morbi vniuerſales 542 ſeqq. tumor vid. Exoſtoſis.
Oſteoſarcoſis 554
Oſteoſteatoma 571. 577

P.

Paedarthrocace 600. 602
Palpebrarum morbi 795.
Panaritium 1169 eius curatio 1170 ſeqq.
Pannus, corneae vitium 833 ſeq.
Paracentheſis abdominis, vbi et quomodo perficienda 1010 ſeqq. veſicae vrinariae 1118
Paralyſis eleuatoris palpebrae ſuperioris 796. 798
Paraphimoſis 1075
Paronychia 1169 eius curatio 1170 ſeqq.
Parulis 906
Patellae genu fractura 1214 ſeq.
Pectoris morbi 933 ſeqq. vulnera 964 ſeqq. horum diſquiſitio 965 diagnoſis 966 prognoſis 970 curatio 971 ſeqq.
Penis morbi 1073 ſeqq. verrucae

rucae 1078 vlcuſcula cancroſa 1076 ſeq. amputatio 1079
Perioſtei natura et vſus 537 regeneratio 592 ſeq.
Peritonaei vulnus 983 ſeq.
Perniones 127 ſeqq.
Peruuianus cortex vid. Cortex peruuianus.
Peſſus vterinus 1161
Phalangoſis 800
Pharyngotomus 891
Phimoſis 1073 ſeq.
Φλασις, caluae laeſio 711
Phlebotomia oculi 788
Phlegmone 73 ſeq. eius cauſſae 75 prognoſis 76 ſeq. curatio 78 ſqq. phlegmone oculi 765 huius prognoſis 775
Phthiſis pupillae oculi 877
Pilorum abraſio et euulſio in vulnere capitis 707
Pladarotis 803
Polypus narium 895 eius cauſſae 896 prognoſis 897 curatio 898 ſeq.
Porri 677. ſeqq.
Porrigo 683
Presbytae 876
Prolapſus vteri 1159 ſeq.
Pterygium, corneae vitium 833 ſeq.
Pulmonum vulnus 967
Puris geneſis 37 ſeq. 90 ſeqq. reſorptionis ratio 98 citius educti noxa 107 diutius relicti noxa 109 in vulnere abſterſio 359

R.

Rabidorum animalium morſuum effectus 437 ſeq. curatio 439 ſeqq.
Radii fractura 1210
Ramex 1055 ſeq.
Raninarum venarum ſectio 445
Renum vulnus 989
Reſonitus 713
Rhachitis 561 ſeq. eius cauſſae 563 ſeqq. curatio 566 ſeqq.
Ῥωγμὴ τριχώδης, caluae laeſio 712
Rubiae tinctorum vſus in ſugillatione 410 in laeſa oſſium nutritione 560

S.

Salium vſus in gangraena 172
Saphaenae venae ſectio 447
Sarcocele 1058 ſeqq. huius exſciſſio 1060 ſeqq.
Sarcoma narium 895
Sarcomphalus 1033
Scapulae fractura 1206
Scarifatio 457 ſeq. vbi inſtituenda 458 eius vſus in ſugillatione 406 ſcarifatio oculorum 787
Schnepper, inſtrumentum venaeſectioni aptum 449
Scirrhi geneſis 39. 192. 199 ſeqq. definitio 198 cauſſae 200 ſeqq. prognoſis 203 ſeqq. in cancrum mutatio 207 ſcirrhi reſolutio 214 ſeqq. exſciſſio 216 ſeq.
Sclopetorum vulnera 411 ſeqq. horum impetus, gradus et effectus 412. 414. ſeq. inciſionem exigunt 414 ſeq. 419 eorum curatio 428 ſeqq.
Scolioſis 953 ſeqq.

Scor-

Scorpionis morſus effectus 437 curatio 440
Scrophula 929 illius cauſſa 930 prognoſis 931 curatio 932
Scroti hydrops 1071 ſeq.
Setacei adminiſtratio 527 vſus 528 in ophthalmia 790. 792
Sinapiſmi praeparatio et actio 519 vſus in inflammatione 50
Sinuum vulnerum diſquiſitio et cura 433
Specillorum ratio et vſus ad diſquiſitionem fiſtulae 504
Speculum oris 893
Spermatocele 1057
Sphacelus 134 eius ſedes 135 cauſſae 137 ſeqq. ſigna 145 ſeq. prognoſis 148 ſeqq.
Spina ventoſa 600 ſeqq. bifida 698
Spiritus ſalis ammoniaci vſus in vlcere 486 in fiſtula 510
Staphyloma 836 eius differentiae 837 ſeqq. cauſſae 840 prognoſis 841 curatio 843 ſeqq.
Steatoma 267
Stenoniani ductus laeſio 753
Sterni fractura 947
Strabismus 874 eius cauſſa et curatio 875
Struma 929
Suffuſio 848 huius differentiae 851 ſeqq. cauſſae 855 ſeqq. diagnoſis 858 prognoſis 859 ſeq. curatio 863 ſeqq. quae fit depreſſione lentis ib. ſeqq. eductione lentis 870 ſeqq.
Sugillationis cauſſae 398 ſeq. effectus 405 curatio 406 ſeq.
Sutura palpebrae ſuperioris 797 cruenta vulnerum 363 eius apparatus 364 eam adminiſtrandi modus 365 ſeq.
Synizeſis pupillae oculi 877

T.

Taraxis 763
Tendinum vulnus 1176 ſeq. ſutura 1178 ſeq. tendinis Achillis fractura 1180
Terebinthinae vſus in gangraena 167 in tenſione neruorum 392 in vulneribus tendinum 1176
Teſticulorum morbi 1052 ſqq. inflammatio 1053 ſeq.
θλασις, caluae laeſio 711
Thoracum vſus in gibberoſitate 962
Tibiae fractura 1 16
Tinea 291 683 rhachitidi accedens 567
Tonſillarum et freti oris morbi 890 ſeqq.
Tourniquet, 319 ſeq. eius vſus in amputatione 1229
Tracheotomia 925 ſeqq.
Trepanatio 737 inſtrumenta ad eam neceſſaria 738 ſeqq. operationis vſus et locus aptus 742 loci minus conuenientes 743 eius adminiſtratio 744 ſeqq. repetita ſaepius requiritur 748
Trepanum 738 ſeq. huius applicatio 745 ſeq.
Τριχισμος, caluae laeſio 712
Tumores frigidi 226 horum geneſis 228 differentia 229 ſeq. cauſſae 231 ſeq. ſigna 235 ſeq. prognoſis 237 curatio 238 oſſium vid. Exoſtoſis. tumores tunicati 260 ſeq. horum geneſis 261 differentia 262 ſeqq. cauſſae 268 ſeq. diagnoſis 270 ſeq. prognoſis 272 curatio 273 ſeqq. exſtirpatio 277 ſeqq. tumor vlceri accedens 493
Turundarum vſus in fiſtula 505. 509
Tutiae vſus in morbis cutaneis 689 lotae vſus in ophthalmia 778. 794

V. Vari

V.
Vari 682 horum curatio 685 ſeqq.
Varix 333 eius cauſſae 334 diagnoſis 335. prognoſis 336 curatio 337
Venaeſectio, circa eandem cautelae 444. 448. ei inſtrumenta apta 449 451 eius vſus in inflammatione 42. 44 ſeq. noxa in inflammatione 46 ſeq. vſus in phlegmone 78 in vulneribus vexatis 406 in vulneribus ſclopetorum 428 in ophthalmia 781
Venenata vulnera 436 horum curatio 439 ſeqq.
Ventriculi vulnus 987 huius prognoſis 991
Verrucae 677 ſeqq. penis 1078
Vertebrarum luxatio 952
Veſicae vrinariae vulnus 989
Veſicatoriorum praeparatio 519 ſeq. adminiſtratio 520 noxa 521 vſus in inflammatione 50 in ophthalmia 790. 792
Viperae morſus effectus 437 curatio 440
Vlcus 460 eius cauſſae 461 ſeqq. differentiae 466 ſeqq. prognoſis 476 ſeqq. curatio interna 479 ſeqq. externa 482 ſeqq vlcera habitualia 496. 516 artificialia 516 ſeqq.
Vlnae fractura 1280
Vnguenti viridis Woolhouſii praeparatio 793 aegyptiaci vſus in fiſtula 509
Vnguis, abſceſſus corneae 835
Vrinariarum viarum vitia 1109 ſeqq. horum cauſſae et diagnoſis 1112 prognoſis 1113 curatio 1114 ſeqq.
Vrticationis vſus in rigiditate membrorum 623
Vteri morbi 1155 ſeqq. vulnus 989 vlcera 1156 verrucae 1157 ſarcoma ib. ſcirrhus 1158 inuerſio 1159 prolapſus verus 1160 vaginae morbi 1155 ſeqq. prolapſus 1162 coalitus 1164
Vulnus 339 eius differentiae 340 ſeqq. ſymptomata 348 ſimplicis natura et mutatio 350 ſeqq. vulnera artificialia 443 ſeqq. colliſa 395 vexata 397 horum cauſſae 398 curatio 406 ſeqq. quae virus habent, vid. Venenata vulnera: vulnerum haemorrhagia 369 ſeqq.
Z.
Zinci cinerum vſus in morbis cutaneis 689
Ξύσις 786 ſeq.

Emendanda.

p. 21 l. 11 §. 23 lege §. 25. p. 25 l. 17 calor l. color. p. 34 l. vlt. muturarionem l. maturationem. p. 39 l. 9 lanſa l. laeſa. ib l. 22 vulneria l. vulneraria. p. 48 l. 21 §. 124 l. 140. ib lin. 27 §. 130 l. 146. p. 67 l. 29 minus l. nimis. p. 72 l. 20 §. 116 l. §. 216. p. 87 l. 9 tumor lege humor. p. 90 l. 14 viribus pollent adde §. 213. p. 106 l. 8 tab. IX lege tab. XI. p. 156 l. 9 §. 325 l. §. 335. p. 162 l. 13 aerugimis l. aeruginis. p. 217 l. 29 vera l. vero. p. 220 l. 14 caſſa l. cauſſa. p. 233. l. 3 laneis lege lineis. p. 266 l. 1 operatiouibus lege operationibus. p. 277 l. 17 Pslpebra lege Palpebra. p. 383 l. 4 cyſtocelen lege cirſocelen.